



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1707

urn:nbn:de:hbz:466:1-42515



Th. 2403


G XI
53

Claudio
La Croix
Soc. Jesu
Tomus Tertius

La Croix

La Croix

La Croix



Convento pp Capucinoꝝ m
THEOLOGIA
MORALIS
paderbornium

ANTEHAC EX PROBATA
Auctoribus breviter concinnata

à
R. P. HERM. BUSENBAUM
Societatis JESU, SS. Theo-
logiæ Licentiato ;

Nunc pluribus partibus aucta

à
R. P. CLAUDIO LA CROIX
ejusdem Societ. JESU, SS. Theo-
logiæ in Universitate Coloniensi
Doctore & Professore
publico.

TOMULUS II.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud SERVATIUM NOETHEN
Bibliopolam, an der hoher Schmidt.
Cum Privilegio Sacrae Casareae Majestatis,
& Superiorum permissu.
Anno 1707.

Bernarding. m. v. Ci. 1712

Contra de Capitulo 12

12
12
12

Handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule, arranged in several lines. The text is significantly faded and difficult to decipher.

Handwritten text at the bottom of the page, likely a signature or a reference, also in a medieval script.

I N D E X

Tractatum, Capitem, Dubiorum,
Quæstionum, quæ sunt in Libri III.
Parte I.

Numeri hic, designant paginam.

L I B E R III.

De Præceptis Decalogi & Ecclesiæ. *Pag. 1.*

P A R S I.

De septem primis præceptis Decalogi. 1.

Questio 1. An præcepta DEI observari possint, deûrque gratia sufficiens ad illa observanda. *Pag. 1.*

T R A C T A T U S I.

De 1. Præcepto Decalogi. 4.

C A P U T I.

De superstitione & speciebus ejus. 4.

D U B I U M I.

Quid sit & quotuplex. 4.

D U B I U M II.

De Divinatione. 6.

Q. 2. Quænam hic præterea debeant censerilicita vel illicita. *II.*

D U B I U M III.

Quid & quotuplex sit idololatria. 13.

Q. 3. Quid notandum sit circa imagines & circa cultus varios hominum vel rerum sacrarum. *14.*

Q. 4. An sit idololatria credere dæmoni, aut eum interrogare, si loquatur ex obsessio. *22.*

† 2

DV.

Index Tractatum &c. & Questionum.

DUBIUM IV.

Quid & quotuplex sit vana observantia, & unde colligatur. 23.

Q. 5. Quas præterea regulas tradant AA. pro dignoscenda vana observantia. 27.

Q. 6. Si mulier sit suspecta, an licitum sit per immersionem in aquam explorare, an sit saga. 37.

DUBIUM V.

Quid sit maleficium, & quomodo possit tolli. 40.

Q. 7. Quomodo liceat tollere maleficium. 43.

Q. 8. An sit licitum uti effectu maleficii. 44.

Q. 9. Si Medicus sciatur esse magus, an sit licitum petere vel admittere curationem ab illo. 44.

CAPUT II.

De irreligiositate eiusque speciebus. 46.

DUBIUM I.

Quid sit Tentatio Dei. 46.

Q. 10. An sit tentatio Dei, si petas, ut Deus manifestet voluntatem suam aliquo miraculo. 48.

Q. 11. An sit tentatio Dei, offerre se ad Martyrium. 48.

DUBIUM II.

Quid & quotuplex sit sacrilegium. 49.

Q. 12. Quandonam præterea censeatur committi sacrilegium. 52.

DUBIUM III.

De simonia. 54.

ARTICULUS I.

Quid sit & quotuplex. 54.

Q. 13. An simonia bene dividatur in eam, quæ est Juris Divini seu naturalis, & in eam, quæ est Juris humani seu Ecclesiastici. 59.

Q. 14. Quid notandum sit circa simoniam mentalem. 60.

Q. 15.

Index Tractatum &c. & Questionum.

- Q. 15. An sit simonia mentalis, si spirituale intendatur vel fiat principaliter propter temporale, aut contra. 63.
- Q. 16. Quid notandum circa simoniam confidentialem. 65.
- Q. 17. Quomodo in materia Beneficiorum contrahatur simonia communis. 68.
- Q. 18. Quibus præterea modis contrahatur simonia in materia Beneficiorum. 77.
- Q. 19. An sit simonia dicere, *confer mihi Beneficium, intercede pro me &c. & ero tibi gratus.* 90.
- Q. 20. Quænam hæc veniant sub nomine Beneficii. 91.
- Q. 21. Cur Beneficiorum permutatio propriâ auctoritate facta sit simonia. 94.
- Q. 22. An omnis permutatio rei spiritualis cum spirituali sit simoniaca. 97.
- Q. 23. An vendere Beneficium Ecclesiasticum sit simonia Juris Divini seu naturalis. 98.
- Q. 24. An sit etiam injustitia dare Beneficium aut aliud spirituale pro pretio temporali. 100.
- Q. 25. An ergo Beneficia Ecclesiastica nihil in se habeant, quod possit esse vendibile absque simonia vel injustia. 101.
- Q. 26. An sit simonia vendere vel locare Decimas aut fructus Beneficiorum. 102.
- Q. 27. An sit simonia vendere vel elocare jus Patronatus. 103.
- Q. 28. An sit simonia, pro Beneficio pecuniam dare patrono hæretico. 106.
- Q. 29. Quomodo hæc licitum sit vexam redimere. 108.
- Q. 30. An sit simonia, si quis pecuniâ emat titulum Ordinationis. 115.

Index Tractatum &c. & Questionum.

- Q. 31. An sit simonia vendere vel elocare res benedictas, consecratas aliasque similes. 115.
Q. 32. An sit simonia dare pretium pro Sacramento, precibus, cantu spirituali: item pro obligatione faciendi aliquid spirituale. 118.
Q. 33. An sit simonia dare vel accipere pretium pro exercitio virtutis vel actu aliquo bono. 120.
Q. 34. An sit simonia accipere pretium pro actionibus Jurisdictionis vel functionis spiritualis. 122.
Q. 35. Quandonam committatur simonia, si pretium detur pro omissione aliqua. 126.
Q. 36. An sit simonia docere Theologiam pro pretio. 127.
Q. 37. An sit simonia emere jus sepulturæ vel sepulturam in sacro. 129.
Q. 38. An sit simonia dare vel accipere pecuniam pro ingressu in Religionem. 131.
Q. 39. An consuetudo excuset à simonia. 132.
Q. 40. Quid censeretur debeat in dubio. 135.
Q. 41. An in simonia detur parvitas materiæ. 135.

A R T I C U L U S II.

Quæ sit pœna simoniæ. 137.

- Q. 42. Quid sit simonia ficta, & an per eam incurrantur pœnæ. 138.
Q. 43. An simonia mentalis inducat pœnas. 140.
Q. 44. An per simoniam tantum materiale incurrantur pœnæ juris. 140.
Q. 45. Quid dicendum sit, si simonia per tertium tantum sit commissa. 141.
Q. 46. An per simoniam conventionalem necdum realiter completam incurrantur pœnæ juris. 144.

Q. 47.

Index Tractatum &c. & Quaestionum.

- Q. 47. An pœnæ juris incurrantur per simoniam
juris Ecclesiastici tantum. 145.
- Q. 48. Quid præterea sit addendum circa pœnas
simoniæ communis. 146.
- Q. 49. Quid addendum sit circa pœnas simoniæ
confidentialis. 148.
- Q. 50. Si actus, in quo simonia committitur, sit
invalidus, an pœnæ Juris incurrantur. 150.
- Q. 51. An metus gravis excuset, ut quis possit re-
tinere Beneficium, alioqui propter simoniam
dimittendum. 150.
- Q. 52. An Papa possit incurrere simoniam &
pœnas. 151.
- Q. 53. Quis dispensare possit in pœnis simoniæ.
152.
- Q. 54. An Papa sanet vitium simoniæ, si in Bulla
confirmationis dicat se supplere omnes defectus,
v. g. in electione commissos. 154.
- Q. 55. Quid notandum circa Judicem, accusato-
rem, testes & litem in causa simoniæ. 154.

A R T I C U L U S III.

*An & cui sit restituendum simoniacè acce-
ptum. 155.*

- Q. 56. Quid circa hanc restitutionem sit præ-
terea notandum. 156.

T R A C T A T U S II.

De 2. præcepto Decalogi. 159.

C A P U T I.

Quid & quotuplex sit blasphemia. 159.

- Q. 57. Si quis contra homines & jumenta
iratus enunciet Sanguinem Christi, Sa-
cramen-

Index Tractatum &c. & Questionum.

eramenta &c., quandonam cenferi debeat peccare mortaliter. 163.

Q. 58. An fit blasphemia, vel quomodo peccet, qui ex joco sæpe effutit verba blasphema: item qui verbis scripturæ utitur ad res profanas. 164.

Q. 59. An Cajus blasphemet, qui, ut ne blasphemet, dimidiat vel parum immutat verba. 165.

Q. 60. An Titius blasphemet dicens se ad Dei gloriam velle, v. g. inebriare se. 165.

Q. 61. An fit blasphemia, si quis dicat, stultus es, quamvis haberes Deum Patrem. 165.

Q. 62. An peccet, qui ebrium vel stultum vel puerum rationis usu non utentem inducit ad blasphemandum. 166.

C A P U T II.

De juramento. 166.

D U B I U M I.

Quid sit juramentum. 166.

Q. 63. Quod modis fiat juramentum. 169.

Q. 64. Quandonam præterea censeatur quis jurare vel non jurare. 170.

Q. 65. An falsò jurans reipsa juret. 172.

Q. 66. An omne juramentum falsum etiam sit blasphemia. 172.

D U B I U M II.

Quotuplex sit juramentum. 172.

Q. 67. An juramentum assertorium essentialiter differat à promissorio, etiam in ratione juramenti. 173.

D V.

DUBIUM III.

An & quomodo sit licitum jurare. 174.

- Q.** 68. An sit licitum jurare circa rem malam. 177.
- Q.** 69. An sit mortale jurare se facturum rem, quam jurans scit esse moraliter impossibilem. 177.
- Q.** 70. An sit licitum jurare rem, quam tantum probabiliter judico esse veram. 178.
- Q.** 71. Quanta adhiberi debeat diligentia in inquirenda veritate, antequam jurari possit. 179.
- Q.** 72. An cives vi & injusto bello subjugati possint in vasoribus praestare generale juramentum fidelitatis. 179.
- Q.** 73. Si Cajus subordinet Titium Procuratorem, ut pro se falso juret, uter illorum sit perjurus vel incurrat poenas perjurii. 180.
- Q.** 74. Quomodo peccet, qui jurat habens consuetudinem jurandi. 180.

DUBIUM IV.

An in juramento uti liceat equivocatione. 182.

- Q.** 75. An sit licitum jurare sine animo jurandi, aut cum animo non implendi vel se non obligandi. 183.
- Q.** 76. Quid notandum sit circa alias propositiones hic damnatas. 187.
- Q.** 77. An simulatio vel dissimulatio sit licita. 195.
- Q.** 78. Quomodo excusentur mercatores, qui dicunt, vel etiam jurant, se non posse tali pretio merces vendere; item merces sibi pluris constare, 195.

Index Tractatum &c. & Questionum.
Itare, cum tamen neutrum in rigore sit verum.
197.

Q. 79. An complementa sint mendacia. 198.

DUBIUM V.

Qua & quanta sit obligatio juramenti promissorii. 199.

Q. 80. An in juramento falso detur parvitas
materiae. 203.

Q. 81. Utra obligatio sit major, voti an juramenti. 205.

Q. 82. Quomodo juramenta sint interpretanda. 206.

Q. 83. An verum sit, quod juramentum sequatur naturam actus, cui adjicitur. 208.

Q. 84. An juramentum illicitum possit obligare. 208.

Q. 85. An qui fictè juravit, seu nolens se obligare, reipsa obligetur. 211.

Q. 86. An juramentum obliget, si opponatur priori juramento. 211.

Q. 87. An juramentum alteri factum obliget, si hoc, quod jurasti, obstet fini perfectiori. 212.

Q. 88. An juramentum obliget, quo quis jurat non revelare artem, v. g. curandi podagram. 213.

Q. 89. An qui juravit non revelare secretum, si à judice vocetur in testem, possit dicere veritatem. 214.

Q. 90. Si quis alteri nescienti promittat & juret se daturum aliquid, an obligetur. 214.

Q. 91. Si moroso debitori jurasti rem mutuo acceptam reddere, an tenearis. 215.

Q. 92.

Index Tractatum &c. & Questionum.

Q. 92. Si reus ad tempus emissus jurarit se rediturum in carcerem, an ad hoc teneatur. 216.

Q. 93. Ad quid teneatur, qui juravit nunquam, v. g. ludere chartis vel nunquam bibere vinum. 217.

Q. 94. Quomodo obligatio juramenti dicatur esse personalis. 217.

Q. 95. Si ad me dicas, adjuro te in virtute Dei, per nomen Dei, per salutem tuam &c. an tenear. 219.

DUBIUM VI.

Quibus casibus excusetur ab obligatione, qui in promissorio juramento obligationem contraxit. 219.

Q. 96. Quandonam præterea sit excusatio à juramento, propter conditiones in eo inclusas. 220.

DUBIUM VII.

Quomodo obligatio juramenti tollatur per irrationem, dispensationem, commutationem & remissionem. 223.

Q. 97. Quid circa illas deobligationes juramenti sit præterea advertendum. 224.

CAPUT III.

De voto. 226.

DUBIUM I.

Quid sit votum & quotuplex. 226.

Q. 98. An propositum firmum sit votum vel inducat aliquam obligationem. 228.

Q. 99.

Index Tractatum &c. & Questionum.

Q. 99. Per quid propositum distinguatur à promissione. 228.

DUBIUM II.

Quæ requiratur voti deliberatio & intentio!
229.

Q. 100. An voveat, qui sic dicit, *ô Domine redde mihi sanitatem, & vitam castè.*
233.

Q. 101. An ad obligationem contrahendam requiratur, ut vovens sciat, quid sit vovere. 233.

Q. 102. Quomodo peccet, qui vovet fictè vel absque deliberatione. 236.

Q. 103. Quid præterea notandum sit circa errorem in fine voti. 237.

Q. 104. Qualis debeat esse circumstantia, cujus ignorantia vel error possit invalidare votum.
238.

Q. 105. An plena libertas requiratur ad omne votum. 239.

Q. 106. Quid dicendum sit in variis dubiis circa vota. 240.

DUBIUM III.

Quæ requiratur materiam voti. 246.

Q. 107. An votum de re partim possibili partim impossibili, partim apta partim inepta sit validum. 249.

Q. 108. An votum nunquam peccandi sit de materia apta. 250.

Q. 109. Quid ergo dicendum sit de voto vitandi omnia etiam venialia. 251.

Q. 110.

Index Tractatum &c. & Questionum.

- Q. 110. Ad quid teneatur, qui vovit confiteri omnia venialia. 252.
- Q. 111. Quid præterea notandum sit circa materiam voto aptam vel meliorem. 252.
- Q. 112. Quomodo peccet, qui vovet illicita, vel indifferentia, vel ob malum finem; aut qui talia vota exequitur. 260.

DUBIUM IV.

Qua & quanta sit obligatio voti. 261.

- Q. 113. Quæ sint regulæ generales, & quomodo ex illis discernenda sit obligatio voti. 266.
- Q. 114. Ad quid teneatur, qui vovit nunquam amplius ludere, v.g. chartis. 281.
- Q. 115. Ad quid teneatur, qui vovit non bibere vinum. 284.
- Q. 116. Quomodo obligatio voti conditionati sit explicanda. 286.
- Q. 117. Quid dicendum sit de voto pœnali. 289.
- Q. 118. An votum per alium impleri possit vel debeat. 291.
- Q. 119. Quo ordine veniant solvenda, debita, vota, legata. 293.

DUBIUM V.

Quot modis tollatur obligatio voti. 293.

- Q. 120. An votum castitatis aut Religionis obliget, si ille, qui vovit, sit ita proclivis in luxuriam, ut ipsi salubrius sit inire Matrimonium. 295.
- DV.*

DUBIUM VI.

De voti irritatione. 295.

ARTICULUS I.

An & quomodo tollatur obligatio voti per directam irritationem. 295.

- Q.** 121. Per quid irritatio differat à dispensatione voti. 297.
- Q.** 122. An Papa vel alii Prælati Ecclesiæ possint directè irritare vota Christianorum. 298.
- Q.** 123. An Superior possit propria vota irritare. 298.
- Q.** 124. Quid præterea sit addendum ad melius intelligendam naturam irritationis. 299.
- Q.** 125. An qui vovit non petere dispensationem à voto, possit petere irritationem aut commutationem, vel contrà. 305.
- Q.** 126. An votum non utendi irritatione vel dispensatione sit irritabile aut dispensabile. 305.

ARTICULUS II.

Quis vota indirectè possit irritare. 306.

- Q.** 127. Quid præterea hîc notandum sit. 307.

DUBIUM VII.

Quid sit voti commutatio. 308.

- Q.** 128. Quid circa hanc votorum commutationem sit præterea notandum. 310.
- Q.** 129.

Index Tractatum &c. & Questionum.

- Q. 129. An votum factum in favorem tertii possit commutari. 318.

DUBIUM VIII.

Quid sit dispensatio & qui possint dispensare in votis. 320.

- Q. 130. An Superior, si rogetur & possit, teneatur dispensare in votis. 322.

- Q. 131. Quid præterea circa dispensationem votorum sit notandum. 323.

- Q. 132. Quid circa vota reservata sit notandum. 324.

- Q. 133. Quid specialiter notandum sit circa votum castitatis. 329.

- Q. 134. Quid circa votum Religionis sit notandum. 333.

- Q. 135. Quid circa votum trium peregrinationum sit notandum. 334.

T R A C T A T U S III.

De tertio & quarto præcepto. 335.

C A P U T I.

Quid tertium præceptum. Memento, ut diem Sabbati sanctifices. 335.

- Q. 136. An præceptum observandi festa obliget sub mortali. 335.

DUBIUM I.

Quæ opera tum hoc præcepto tum ab Ecclesia prohibeantur. 336.

- Q. 137. Quænam præterea opera censeantur servilia. 339.

Q. 138.

Index Tractatum &c. & Quaestionum.

- Q. 138. An peccet mortaliter, qui die festo mandat sex famulis, ut singuli unâ horâ laborent. 342.

DUBIUM II.

Qua causa excusent ab observatione Festorum, ob quas opera prohibita liceant. 344.

- Q. 139. Quid notandum sit circa dispensationem pro labore in die festo. 346.
Q. 140. Quid circa consuetudinem. 347.
Q. 141. Quomodo pietas excuset. 347.
Q. 142. An charitas excuset laborantem pro paupere. 348.
Q. 143. Ad quæ præterea se extendat excusatio propter necessitatem. 348.
Q. 144. Quomodo aliquis ratione temporis excusetur à mortali. 350.
Q. 145. Quid notandum circa Forensia. 351.

DUBIUM III.

Qua opera festis diebus præcipiantur. 354.

- Q. 146. An satisfaciat præcepto Missæ, qui partes illius simul audit. 358.
Q. 147. An opinio, quæ dicit satisfieri, si successivè audiantur duæ medietates, sit adhuc probabilis. 359.
Q. 148. Quinam obligentur ad Missam. 361.
Q. 149. Quibus diebus sit audienda. 364.
Q. 150. Qualis Missa sit audienda. 365.
Q. 151. Quo tempore audiri debeat. 366.
Q. 152. Quo loco audiri debeat. 366.
Q. 153. Quænam requirantur, ut quis satisfaciat præcepto. 369.
Q. 154. Qualis intentio requiratur. 369.
Q. 155.

Index Tractatum &c. & Quaestionum.

- Q. 155. Qualis praesentia corporalis. 372.
Q. 156. Qualis assistentia. 374.
Q. 157. Qualis attentio. 375.
Q. 158. Quandonam peccetur graviter vel leviter non audiendo totam Missam, sive omittendo partem. 383.

DUBIUM IV.

An sit obligatio audiendi Missam in parochia Dominicis & festis majoribus. 388.

DUBIUM V.

Quae excusent ab auditione Sacri. 394.

- Q. 159. Quae sit regula generalis ad discernendum, sitne aliquis ab audienda Missa excusatus necne. 396.

CAPUT II.

De 4. precepto. Honora patrem &c. 403.

DUBIUM I.

Ad quid teneantur liberi erga parentes. 403.

- Q. 160. An liceat filio optare, vel gaudere de morte patris, propter commodum sibi inde proveniens. 405.
Q. 161. Quid addendum sit circa obligationem filii jam in statu Religioso professi, si parentes egeant. 406.

DUBIUM II.

Ad quid teneantur parentes erga filios. 406.

- Q. 162. Quid notandum sit circa obligationem alendi vel aliter juvandi proles, aut proximè agnatos. 409.
†† Q. 163.

Index Tractatum &c. & Quaestionum.

Q. 163. Si dubitetur, quis è duobus sit pater, à quo proles sit alenda. 411.

DUBIUM III.

Ad quid teneantur Tutores & Curatores, qui parentum sunt loco. 413.

DUBIUM IV.

Qua obligatio dominorum & famulorum, aliorumque Superiorum & inferiorum erga se invicem. 415.

Q. 164. An Superiores Religiosi graviter peccare possint dissimulando leves defectus subditorum. 417.

DUBIUM V.

Quid teneantur conjuges erga se mutud vi hujus precepti. 418.

Q. 165. Quid sit circa alimentationem conjugis notandum. 420.

Q. 166. An uxori adulteræ debeantur alimenta, pars acquistorum, restitutio dotis, saltem per hæredes, si maritus obierit. 421.

Q. 167. Cui conjux teneatur primò subvenire. 424.

Q. 168. Quis viro teneatur primò subvenire. 427.

Q. 169. Quomodo liceat marito uxorem percutere. 428.

DUBIUM VI.

Qua obligatio parochorum erga suos. 429.

Q. 170. Quomodo parochus teneatur reside-
re. 430.

Q. 171.

Index Tractatum &c. & Quaestionum.

- Q. 171. An parochus teneatur ad curam per se-
ipsum. 436.
Q. 172. Quæ fit obligatio parochi tempore mor-
borum & belli. 438.
Q. 173. An parochus teneatur aliquando Missam
offerre pro parochianis. 441.
Q. 174. Quæ fit obligatio parochi circa concio-
nes. 442.
Q. 175. Quandonam potissimum ratione officii
sui graviter peccet parochus. 443.

DUBIUM VII.

Quæ obligatio Præceptorum & Discipulorum. 445.

TRACTATUS IV.

De 5. & 6. præcepto. 446.

CAPUT I.

Quid 5. præcepto prohibeatur. Non occides. 446.

DUBIUM I.

*An aliquando liceat occidere vel mutilare
seipsum. 446.*

Q. 176. Quanta fit obligatio servandi vel pro-
longandi vitam. 450.

DUBIUM II.

*An & quomodo liceat occidere malefacto-
rem. 458.*

Q. 177. An marito liceat occidere uxorem in
adulterio deprehensam. 458.

Q. 178. An banniti, publici grassatores, vel cri-
minosi possint ubique & ab unoquoque occidi.
460.

DUBIUM III.

An liceat occidere iniquum aggressorem. 463.

Q. 179. Quid notandum fit circa aliquas propositiones hęc damnatas. 466.

Q. 180. Quid addendum fit circa alias propositiones hęc damnatas. 472.

Q. 181. Quid præterea fit addendum circa occisionem aggressoris. 476.

DUBIUM IV.

An aliquando liceat occidere innocentem. 481.

Q. 182. Quid circa abortum fit dicendum. 483.

Q. 183. Si quis cum bestia se miscuerit, an licitum fit bestiam mactare. 487.

Q. 184. Si iniquus aggressor objiciat infantem quasi pro scuto, an liceat hunc occidere. 487.

Q. 185. An sceminae & pueri innocentes emissi ex urbe obsessa, possint ab obsidentibus repelli in urbem, in qua vitæ periculum subibunt. 488.

DUBIUM V.

De duello & bello. 488.

ARTICULUS I.

Quid sit & an liceat duellum. 488.

Q. 186. An fit licitum acceptare duellum. 490.

Q. 187. An duellum liceat ultra casus à Busenb. notatos. 490.

Q. 188. Quale fit illud duellum, quod ab Ecclesia sub pœnis prohibetur. 493.

Q. 189.

Index Tractatum &c. & Questionum.

Q. 189. Quæ sint poenæ statutæ ratione duellorum, & quinam eas incurrant. 496.

A R T I C U L U S II.

An & quousque liceat bellum. 505.

Q. 190. Quid circa jus bellandi, Officiales & milites sit præterea notandum. 509.

A R T I C U L U S III.

Quid in bello iusto liceat. 514.

Q. 191. Quid circa ista præterea sit notandum. 516.

C A P U T II.

De 6. & 9. præcepto: Non mœchaberis; Non concupisces. 520.

D U B I U M I.

An & quanta peccata sint oscula, amplexus, verba obscœna & similia extra Matrimonium. 521.

Q. 192. An osculum carnale & sensibile sit peccatum mortale. 524.

Q. 193. Quid sit delectatio speculativa, quid practica; & an semper sint mortale. 529.

Q. 194. Quid præterea sit notandum circa aspectus, oscula, tactus, turpiloquia quoad solutos. 531.

Q. 195. Quid circa illos sit addendum, qui sunt aut fuerunt in Matrimonio; item circa habentes sponsalia. 534.

Q. 196. An detur parvitas in materia venerea. 534.

Q. 197. An sit peccatum, si voluntas in motibus Venereis habeat se negativè. 537.

†† 3

Q. 198.

Q. 198. Quæ generaliter sint remedia contra luxuriam. 537.

DUBIUM II.

Quæ sint species luxuriæ consummata naturalis. 538.

Q. 199. Quid hîc sit addendum. 541.

Q. 200. In quo consistat virginitas, & quando amittatur. 542.

DUBIUM III.

Quæ sint species luxuriæ consummata contra naturam. 543.

Q. 201. Quodnam peccatum sit gravius, sodomia an furtum. 545.

DUBIUM IV.

An aliquando liceat procurare pollutionem. 545.

Q. 202. In quo consistat malitia pollutionis. 549.

Q. 203. Quid circa causas pollutionis sit addendum. 549.

Q. 204. Quid circa pollutionem in somno sit addendum. 555.

Q. 205. An liceat efficaciter appetere pollutionem naturaliter orituram, vel gaudere de ea involuntariè secuta. 557.

TRACTATUS V.

De 7. precepto. Non furtum facies. 559.

CAPUT I.

De furto. 559.

DUBIUM I.

Quid sit furtum & quale peccatum. 559.

Q. 206. Quid notandum sit circa naturam furti & rapinæ. 561.

Q. 207.

Index Tractatum &c. & Quaestionum.

- Q. 207. Quæ sint species furti. 564.
Q. 208. An furetur, qui rem aufert domino vidente & non contradicente; aut si putetur esse contentus. 565.
Q. 209. An ille furetur, qui pro statu suo servando facit in vestitu, victu, famulatio &c. expensas, quibus solvendis scit se esse imparem. 566.
Q. 210. An ille præsumi possit esse fur, qui rem alienam accipit vel in cujus domo res aliena invenitur. 566.
Q. 211. An licitum sit furari in gravi vel extrema necessitate. 567.
Q. 212. An occulta compensatio sit furtum. 571.
Q. 213. An famulantes possint dominis suis occultè surripere aliquid ad compensandum laborem, cui putant non respondere æqualem mercedem. 583.

DUBIUM II.

Quid sit quantitas notabilis ad mortale peccatum. 587.

- Q. 214. Quidnam probabilius statuatur pro materia gravis furti. 588.

DUBIUM III.

Quàm graviter peccet, qui multa minuta furtiva committit. 603.

- Q. 215. Quid hinc notandum sit ad clariorem intelligentiam. 604.

DUBIUM IV.

Quid in genere notandum sit de furto domesticorum & amicorum. 612.

- Q. 216. Quid præterea notandum sit circa furtiva domesticorum. 615.

Q. 217.

Index Tractatum &c. & Questionum.

- Q. 217. Quænam dicantur bona conjugum dota-
lia, paraphernalia, antiphernalia, propria, com-
munia; & quid circa ea possint maritus & uxor.
616.
- Q. 218. Quænam dicantur bona filiorum-fami-
lias castrensia, quasi-castrensia, adventitia, pro-
fectitia; & quid circa ea possint tales filii. 621.
- Q. 219. Quid addendum sit circa furta filiorum.
623.
- Q. 220. An filio, in domo paterna laboranti de-
beat salarium; & possit illud occultè sibi
compensare, si negetur, vel si pudeat petere.
625.
- Q. 221. Quid circa famulos sit addendum. 627.
- Q. 222. Quid liceat illi, cui committitur, ut
emat, vendat, solvat, negotietur pro altero. 628.



LIBER III.

LIBER TERTIUS.

De Præceptis Decalogi & Ecclesiæ.

PARS PRIMA.

De septem primis Præceptis Decalogi.



Uestio I. addenda hîc est: ^{N. 1. 2.}

an Præcepta Dei observari possint, deturque gratia sufficiens ad illa observanda.

R. §. I. *Jansenius docuit, aliqua Dei Præcepta etiam à Justis observari non posse, &*

deesse gratiam, quâ observari possint: Sed Innoc. X. & Alexand. VII. hanc I. Jansenii Prop. aliqua Dei Præcepta hominibus iustis volentibus & conantibus secundum præsentem, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant, damnârunt veluti temerariam, impiam, blasphemam, hæreticam. Similiter Trid. Sess. 6. c. II. ait: Debet nemo temerariâ illâ & à P.P. sub anathemate prohibita voce uti, Dei Præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis. Can. 18. Si quis dixerit, Præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit. Eundem errorem vocavit S. August. stultum: S. Basil. impium: S. Hier. anathemate dignum; uñ adductis eorum verbis ostendit Eliz. L. 7. q. 5. §. 2. Ratio est: quia imprudens & tyrannicum foret, obligare, aut
A velle

II.

velle punire propter illud factum vel omisum, quod quis omittere vel facere non potest. Quæ opponuntur de Præcepto dilectionis Dei & inimicorum, de Præcepto Charitatis, &c. dudum solverunt S.S. P.P. apud *Eliz.* suprâ, & falsa esse probat experientia. Et quod non sit obligatio ex Charitate implendi Præcepta, constat ex dictis L. 1. n. 691.

2 §. 2. Idem *Jansenius* docuit nullam à Deo dari gratiam propriè sufficientem ad observanda Præcepta, sed omnem gratiam esse efficacem, cui resisti non possit. Ex quo inferebat eum, qui Præceptum non observâset, non habuisse gratiam ad illud observandum. Sed iidem Pontifices has ejusdem *Jansenii* propositiones velut hæreticas damnârunt. *Interiori gratia in statu natura lapsa nunquam resistitur.* Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratia interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. *Trid. Sess. 6. Can. 4.* anathemate ferit illum, qui dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum non posse dissentire, si velit.

§. 3. *Sinnichius* docuit gratiam sufficientem, quæ daretur ad observanda Præcepta, fore perniciosam, ita ut meritò rogare possemus Deum: à gratia sufficiente libera nos Domine. Sed *Alex. VIII.* damnavit hanc 6. Prop. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm perniciosa est, sic ut proinde meritò possimus petere: à gratia sufficiente libera nos Domine.* Unde certum est gratiam etiam purè sufficientem dari nobis, eamque esse utilem, quia cooperando possumus facere efficacem: Et ita doceri à *S. Aug.* demonstrat *Arca. inter Controv. recent. de gratia, c. 2. §. 3.*

§. 4.

§. 4. Quidam Religiosi Duacenses in libello, 4
de Scientia media, n. 168. docent, quod homo,
 qui caret gratiâ victrice, reddatur impotens
 ad implenda Mandata. In Triumpho Thomistico
 n. 126. & 132. docent, quod finè auxilio gratiæ victri-
 cis non possit impleri Præceptum. Et n. 114.
Cum non in omnibus Justis vincatur Concupiscentia,
nec tollatur ignorantia, concludendum esse, non omni-
bus Justis auxilium sufficiens dari. Si opponas illis :
 quoties homo peccat contra Præceptū, non habet
 gratiam victricem ad observationem Præcepti;
 ergo tum est impotens servare Præceptum; ergo
 peccat in eo, quod vitare non potest. Item: ergo
 D E U S jubens non dat gratias sufficientes 5
 ad implendum illud, quod jubet. *Respondent,*
 talia Præcepta non posse quidem observari ex gra-
 tia data: posse tamen observari ex gratia oblata
 & danda, si non posuerit impedimentum, id est,
si amaverit, non Creaturas, sed Deum aut Justi-
tiam. *Contra est:* Ergo dispositio ad acquirendam
 gratiam pro observandis Præceptis erit Amor Dei
 aut Justitiæ; sed hunc ipsum amorem, secundum
 Adversarios, non potest habere finè gratia victrice,
 prædeterminante ad illum, quam gratiam & præ-
 determinationem non habet ille, qui transgreditur
 Præceptum; ergo talis simpliciter non habet gra-
 tiam, quâ observare possit Præceptum, quæ est
 Hæresis *Jans.* Hinc *Gonet* T. 5. d. 5. n. 243. merito
 dicit, veros Thomistas unanimiter profiteri
 tanquam certâ Fide tenendum, omnibus Justis
 instante aliquâ gravi tentatione (idem est de obser-
 vatione Præcepti) auxilia sufficientia non tantum
 esse oblata; sed de factò collata & concessa.

TRACTATUS I.

De primo Præcepto Decalogi.

6 **H**ujus Præcepti, prout est affirmativum, materia propria sunt Actus Virtutis Religionis. Est autem hæc, virtus moralis, quæ interior & exterior Cultus Deo debitus exhibetur. Actus ejus internus est animi submissio, quæ infinitam Dei excellentiam veneramus: Externus est, quod internum testamur, ut Oratio, Sacrificium, &c. de quibus *v. Schol. 1. 2. & 3. parte.* Prout verò est negativum, prohibet vitia Religioni opposita, quæ quia opponuntur virtuti inter morales præcipuæ, sunt peccata, post ea, quæ contra Virtutes Theologicas committuntur, gravissima, & ex genere suo mortalia. Sunt autem duplicia: alia, quæ opponuntur per excessum, ut superstitio cum suis speciebus; alia per defectum, ut irreligiositas cum suis.

CAPUT I.

De Superstitione & speciebus ejus.

DUBIUM I.

Quid sit & quoruplex.

7 **R**esp. I. Superstitio est falsa religio, seu Cultus vitiosus veri vel falsi Numinis, *Lesb.* Et convenit cum definitione communi ex *S. Thom.* quæ dicit, esse vitium, quod Religioni opponitur, secundum excessum. Dicit: *per excessum:* non quod Deus nimium coli possit, aut majore honore quam

quàm dignus sit; sed intelligitur secundùm circumstantias, eò quòd exhibeat Cultum, vel quem non debet; vel eo modo, quo non debet; vel illi, cui non debet.

R. 2. Superstitio est duplex: alia cultûs indebiti, sive incongrui, quo verus Deus, sed modo indebito colitur, tribuendo ei cultum falsum & perniciosum vel superfluum, qui nimirum sit contra vel præter Ecclesiæ consuetudinem ac præscriptum. Alia est ratione rei cultæ, cum scilicet Cultus Deo debitus falso Deo, vel Creaturæ defertur. Et hæc subdividitur in Idololatriam, Divinationem & vanam observantiam; ad quam Magia vel revocatur, vel potius quartam speciem constituit. *Laym. L. 4. t. 10. c. 1. ex S. Th. 2. 2. q. 92. a. 2. Ex quibus resolves.*

I. Superstitionem cultûs falsi committit. I. Qui Deo nunc offert cultum per ceremonias veteris Legis, v. g. Circumcisionem, immolationem Agni, &c. quia significant Christum adhuc venturum, & nondum venisse. 2. Laicus, qui DEUM colit tanquam publicus Minister Ecclesiæ, v. g. sacrificando, absolvendo; quod semper esse mortale, docet *Suar. de Rel. L. 2. de superst. c. 2.* 3. Is qui suâ autoritate proponit aliqua faciendâ, tanquam ordinata ab Ecclesia ad Dei cultum. 4. Qui falsas reliquias proponit, vel miraculum factum esse per aliquam imaginem, vel se habuisse has vel illas revelationes fingit, sive ad faciendum lucrum sive ad devotionem augendam. 5. Qui, ut populum moveat, fingit miraculum aliquod, vel historiam reperiri in Scriptura Sacra, &c. Et hæc superstitione, etsi sit ex genere suo mortalis, quia primæ Veritati injuriam irrogat, & religionem fundat in mendaciis, sæpe tamen excusatur ignorantia, vel simplicitate, *Less. L. 2. c. 43. dub. 1. Sanchez. 2. mor. c. 37.*

«*Navar. Man. c. 12. Laym. l. c. Bon. Tom. 2. d. 3. q. 5. p. 1.*
 « II. Superstitio cultus superflui est v. g. I. Cerimonia
 « audiendi Misam ante ortum Solis, cum certo
 « numero, situ, ordine cereorum ; vel Sacerdotis,
 « qui dicatur Joannes ; vel qui habet Staturam
 « Christi, &c. quia hic cultus est ex se ipso inanis, &
 « ad spiritum excitandum inutilis. 2. Jejunare
 « die Dominico, cum non jejunas aliis diebus. Item
 « in Missa contra Rubricam plures formare cruces,
 « pluries dicere *Alleluja*, dicere *Gloria* vel *Credo*
 « contra Rubricas, aliasve ceremonias demere vel
 « addere (etsi fiant ex devotione ; hæc enim corri-
 « genda est) quia sunt præter Ecclesiæ consuetudi-
 « nem. Hæc tamen & similia bonâ intentione facta,
 « venialia tantum sunt ordinariè , ut docet *Tol.*
 « *Leß. l. c. Navar. & Laym.* quia est materia levis, &
 « actio ex se non mala ; & multa excusat simplicitas.
 « Quod si tamen ex se mala esset, ut si rem furtivam
 « offeras, turpia verba in templo canas, ore vel
 « organo notabiliter lascivam vel ad impuritatem
 « provocantem vocem edas , est superstitio verè
 « mortalis, ut *Laym. l. c. ex commun.*

DUBIUM II.

De Divinatione.

Quid & quotuplex sit divinatio.

« **R** *Esp. I.* Divinatio est, cum quis opem dæmonis
 « tacitè vel expressè invocat, ut noscat res con-
 « tingentes, & liberè futuras, aliterve occultas,
 « & naturaliter incognoscibiles. Quæ si sint tales,
 « quas solus Deus scire potest, involvitur tacita Ido-
 « latria, quod dæmoni tribuatur Cultus divinus :

Si

Si verò sint tales, quas dæmon naturaliter scire potest (nam ex signis, aliisque modis occultis, si qua quæque cognoscere potest, etiam plurimas hominum cogitationes & res futuras, ut v. *Delr.* L.4.c.2.q.2. *Sanch.* 2. *mor.* c.38.) Nihilominus illicita est; eò quòd commercium habeatur cum Dei jurato hoste, quod importat quandam proditio- nem, & apostasiam à Deo; ac fortè etiam, ut vult *Suar.* contra *Valent.* superstitionem. v. *Laym.* L.4. T.10.c.3. *Bon.* T.2.d.3.q.5.p.3. *S.Th.* 2.2.q.5.a.1.

R. 2. Divinatio est duplex: una, in qua est invocatio vel pactum expressum cum dæmone, & generali nomine dicitur *Neuromantia*: ut, cum dæmon occulta docet per pythones, arreptitios, præstigias, per personas mortuorum vel vivorum apparentium, aliave signa in aëre, aqua, igne, speculis. Alia est, in qua tantum est invocatio vel pactum tacitum, seu interpretativum; ut cum ex lineamentis corporis, vocibus, garritu avium, & similibus, quibus se dæmon immiscere solet, quæritur cognitio, ad quam ea sunt improporcionata. *S.Th.* q. 95. Cum verò utriusque speciei variæ rursus sint species, eas hic omitto, eò quòd secundum Sententiam communiorè, in genere moris non differant, nec specialem habeant malitiam, ideòque in Confessione non fit opus explicare, an V. G. facta sit divinatio ex speculis, aëre, mortuo. &c. Expri- mendum tamen necessariò est, utrum invocatio sive pactio expressa, an tacita intervenerit, quia sive hæ moraliter inter se specie differant, sive non, notabiliter tamen mutant iudicium Confessarii. *V. Laym.* l.c. *Sanch.* l.c. *Leß.* L.2.c.43.d.5. *Delrium* q.6. & seq. *Bonac.* l.c.

R. 3. Divinatio, quæ fit per pactum expressum, & quæ dæmon expressè invocatur, excusari non potest

"à mortali; eam verò, quæ fit per pactum tantum
 "implicitum, aliquando excusari à mortali, quidam
 "asserunt, videlicet tunc, cum vel intercedit simpli-
 "citas & ignorantia non crassa, nec affectata, vel
 "fides certa non adhibetur; sed tantum timor quidam,
 "aut suspicio suscipitur eventus futuri, *Laym. l. c.*
 "*Sanch. Less. Suar. Cajet. Baldel, Tom. 2. l. 4. d. 3. n. 22. & c.*
 "eò quòd tunc superstitiosa verè non fit, cum inten-
 "tio non fit talis. *V. Suar. Less. Sanch. Laym. Cajet.*
 "*Navar. Sayr. Valent. & Tannerum d. 5. de vel. q. 7. d. 1.*
 "*num. 21. & Dub. 2. num. 23. Ex dictis resolvuntur*
 "*sequentes Casus.*

" I. Expressè censetur invocare, seu convenire,
 "& pactum facere cum dæmone, qui vel verbis
 "dæmonem invocat, vel saltem facto aliquid usur-
 "pat, per quod scit aut putat dæmonem cooperari.

" II. Is verò tacitè paciscitur, qui vanis & natura-
 "liter improportionatis utitur ad aliquid cognos-
 "cendum vel efficiendum. Neque requiritur, ut dæ-
 "mon aliquando pactus fit, se ad talis vani medi-
 "adhibitionem concursurum, eo enim ipso, quo
 "quis vanitatibus iis utitur, dæmon se immiscet,
 "sicut præter intentionem utentis fit eum invocare,
 "ut docet *Suar. Less. & Sanch. l. l. c. c.*

" III. Non excusatur à peccato, qui utendo talibus
 "rebus, de quibus constat esse naturaliter impro-
 "portionatas, protestatur se nullum cum dæmone
 "commercium intendere, quia reipsa facit contra
 "suam protestationem: Cum enim nec **DEUS**,
 "nec Angeli boni talibus se misceant, dæmon impli-
 "citè iis invocatur, uti præter citatos docet *Laym.*
 "*& Bon. l. c. c.*

" IV. Neque is excusatur, qui talia Media utilia
 "credidit propter experientias, quia has dæmon pro-
 "curat, ut homines paulatim illaqueet, & ad similia
 "usur-

usurpanda inducat. *Vid. Sanchez 2. mor. c. 38.*

V. Si quis ab astris, somniis, similibusve ita dependeat, ut omnes pene actiones suas & vitam juxta ea regulare velit, eum mortaliter peccare docet *Less. Suar. Sanch. l.c.*

VI. Ex talium observatione semel atque iterum aliquid omittere, ad quod alioqui sub mortali non teneris, veniale tantum esse censet *Cajet. & Armilla V. Somnium*. Uti & subinde timere leviter, ne ita sit, aut eveniat, quod portendunt, ut notat *Suar.*

VII. Communiter & ut plurimum, in similibus, in quibus tacitum tantum est Pactum, venialiter tantum peccari, docent consequenter Doctores supra citati & mox citandi, quia communiter ferè aliquid istorum intervenit, quæ à mortali excusare dicunt, ut v.g. quod Fides integra non adhibeatur, *Sanch. n. 21. Cajet. in summa, Armilla, &c.* Rectè tamen notat *Delrio*, esse semper rem valde periculosam, juxta illa suas actiones dirigere, etiam non credendo. *V. Sanch. l.c.*

VIII. Licita est 1. Physiognomia, quæ ex vultu, dispositione & habitudine corporis & membrorum. 2. Chiromantia, si ex lineis & partibus manuum consideret temperiem corporis, imò etiam animi propensiones & affectus probabiliter conjectet. 3. Item divinatio, quæ ex somniis conjectat hominis complexionem, & hinc affectiones animi diurnas. 4. Item illa, quæ ex avium, piscium, aliorumve animalium voce, motu, aliisve actionibus naturales aliqui effectus pronunciantur futuri ut plurimum, v.g. serenitas, pluvia, &c. 5. Astrologia naturalis, quæ effectus corporeos & naturales, ut ventos, eclipsin, fertilitatem, salubritatem, morbos & similia prædicit, quæ ad medicinam

“vel agriculturam conducunt : imò etiam, cum
 “ex puncto nativitatis five horoscopo, probabiliter
 “prædicat complexionem corporis & affectiones
 “animi: Quia hæ divinationes omnes naturales sunt
 “& mediis proportionatis utuntur. *Leß. d. 7.*

“ IX. Illicitæ verò sunt omnes prædictæ divina-
 “tiones, si ex iis aliquid nosci aut pronuciari inten-
 “datur circa ea, ad quæ proportionata non sunt ; ut
 “circa effectus contingentes & liberos , aut quæ
 “à Deo pendent, ut circa statum animæ, dona gra-
 “tiæ, divitias, honores, fortunam, nuptias, statum
 “vitæ, & similia, quorum electio voluntaria est, &
 “à libera hominum voluntate pendet : itémque
 “de rebus occultis, ut furto, thesauro abscondito.
 “*V. Leß. l. c. Bon. n. 11. Suar. Sanch. l. c.*

“ X. Peccant, qui Ægyptios de fortuna consulunt,
 “& quidem (si fiat cum firma Fide vel scandalo, & c.)
 “mortaliter; si verò causâ curiositatis vel risûs, ut fit
 “communiter, venialiter tantùm. *Fill. tract. 24. n. 135.*
 “*Sanch.*

“ XI. Superstitiosa est divinatio, quæ fit per sortes
 “divinatorias, ad futurum vel occultum aliquid
 “cognoscendum, quasi sortibus Vis aliqua divina
 “insit; ut si quis v. g. ex taxillorum projectione &
 “dispositione divinnet , quis sit obtenturus victo-
 “riam, beneficium, & c. Idem ferè est de sortibus
 “consulteriis, quibus inquiritur, quid in hac vel
 “illa re sit agendum. Dixi: ferè: quia aliquando hæ
 “licitæ sunt, quando causæ necessitas & honestas
 “exigit, aptiòrque modus dubium vincendi non
 “apparet , dummodo fiant præmissâ Oratione,
 “cum debita reverentia; & indicium non exspecte-
 “tur nisi à solo Deo, ut v. g. si quis hærens in bivio
 “aliter quoad viam se determinare non possit; vel
 “si divino instinctu aut jussu fiant, ut *1. Reg. 10.*

in electione Sæulis contigit. *Fill. n. 106. Sanch. Bon. l. c.*

XII. Sortes divisoræ finè superstitione, & plerumque licitè fieri possunt, sive ad honestum ludum, sive ad hæreditatis divisionem, sive ad litis compositionem, dummodo litigantes, qui æquale Jus habent, consentiant, quia nihil aliud continent, quàm contractum inter eos, qui ad aliquam rem jus habent, ut illius sit, cui fors obtigerit. Sic etiam si plures mortem sint meriti, nec expediat omnes puniri, sorte definiri potest, quis ex iis sit occidendus. Dixi: *plerumque*: tum quia in electionibus Ecclesiasticis sunt illicita, ut *Laym. L. 4. t. 10. c. 3. n. 8.* & *Bon.* Tum quia officia secularia, non sorte, sed secundùm personarum aptitudinem sunt dividenda, etsi inter plures æquè aptos & dignos sorte agi possit. *v. Less. l. c.*

XIII. Potest excusari à superstitione, qui modo illicito futura se velle divinare ostendit joci causâ: Ratio; quia non est actus superstitiosus, nec affectatio cognitionis Dei propriæ, sed tantùm vanitas aliqua. *Suar. Sanch. Regin. l. 17. n. 170.*

A D D E N D A.

Q. 2. *Quanam hinc præterea censeri debeant licita vel illicita.* R. Constat ex seqq. §. I. Non est peccatum, saltem mortale, per Astrologiam velle cognoscere aliquod contingens liberum, judicando illam cognitionem esse incertam & tantùm conjecturalem. Ita *Cajet. Tol. Val. Delr. Castrop. Tamb. hinc l. 2. c. 6. §. 1. n. 14.* contra *Sanch. & alios.* Ratio est, quia revera astra inclinant. *Nec refert*, quòd Sixtus V. videatur hoc prohibuisse: Nam *Suar.* aliique cum *Sporer T. 2. c. 9. n. 16.* dicunt eam prohibitionem restringi ad solum Forum externum, ob præsumptionem divinationis internæ: aut
saltem

saltem dici potest, quod prohibeat ea, quæ alioquin non jure naturæ sunt illicita, quale quid non est conjecturalis ejusmodi prædictio, quæ in natura sufficienti nem fundamentum, ob dictam inclinationem, quam astra afferunt. Quod si ad conjecturam ex astris etiam accederet ratio ex temperamento personæ, aut ex consuetudine vivendi, aut alia simili circumstantia, non esset divinatio etiam cum probabiliter talia prædicere, unde & se regulant secundum talem prædictionem, dummodo non illud haberet certam credulitatem, excusaretur saltem à mortali, uti cum *Tamb.* censet *Arcd. hic* §. 2. n. 4.

10

§. 2. Credere somniis, non est mortale, quando quis non omnino credit rem in somno ostensam esse veram seu futuram, sed tantum propter tale somnium aliquid de se non malum operatur, ut evitet malum, quod somnium minatur, tunc enim quamvis fit aliqua levitas vel simplicitas aut nimis timiditas, tamen non apparet gravis malitia, quia non tam credit illud esse à Deo, aut ideo esse verum quam posse aliunde esse verum, ita *Suar. de Relig. T. 1. T. 3. L. 2. c. 13. n. 25.* Ex quo infert *Tamb. n. 22.* hominem in somno sæpius admonitum, ut certo loco terram effoderet, sicque reperiret ollam auro plenam, non peccasse graviter, quamvis deceptus sit & invenerit ollam plenam nigris carbonibus. Similiter *Leander & Tamb. apud Gob. in Exp. T. 11. n. 913.* negant te peccare mortaliter, si pauculas actiones modereris secundum prædictionem Astrologi, v.g. Si navem non conscendas eo die, quo prædixit te submergendum.

11

§. 3. Si quis mediis vanis utatur joci causâ, aut experiatur, quid casu accidat, aut quid tale signum designet, credens totum esse futile & inane, *Vab. Suar. Sanch. Bonac. Delr. Gobat n. 937.* & alij putant non

non esse nisi veniale ob imperfectionem actus, quia non videtur plenè consentire in divinationem; sed *Castrop. T. 17. d. 1. p. 3. n. 6.* meritò dicitur rariò excusari posse à mortali, quia quando ex mediis talibus, quæ seis esse improporcionata, tentas videre, quid accidat, tentas experiri, an dæmon de facto se illis immisceat; ergo tentas cum dæmone societatem habere, quod videtur semper esse mortale, licet ex joco fiat, secundum illud *1. ad Corinth. 10. v. 20. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum.* Idem tenet *Less. in Auct. v. Magia. c. 3.* quia hoc est advocare dæmonem, sub conditione, dicendo æquivalenter, Si pactus es te ad futurum ponenti tale signum, ad sis, ut sciam, an pactus sis. *Vide dicenda n. 35.*

§. 4. Graviter peccat, qui coquit partem aliquam animalis veneficio interfecti, v. g. cor vel unguam equi, ut sic cognoscat veneficum: Ratio est, quia utitur pacto cum dæmone, qui promisit seposito tali signo nociturum Venefico, vel se proditurum illum, ita *Less. c. 2. Gob. n. 942.*

§. 5. Non peccat graviter, qui cum altero pactum finit, ut præmoriens appareat superstiti, Deo id permittente, moniturus alterum de rebus ad salutem spectantibus, in hoc enim nihil intendit cognoscere ope dæmonis: poterit tamen adesse veniale peccatum ob curiositatem vel periculum deceptionis, ita cum aliis *Castrop. n. 8.*

DUBIUM III.

Quid est quod triplex sit Idololatria.

Resp. 1. Ea est, quando tribuitur honor Creaturæ sicut Deo, *D. Th. 2. 2. q. 94. art. 1.* Id verò fit, ut docet *Less. l. 2. c. 43. d. 2.* non tantum sacrificio, sed etiam quovis signo honoris, quo quisque

Cre.

“Creaturæ tanquam Deo se submittere intendi
 „v. g. genuflexione, suffitu, detestatione capit
 “ad Statuam Jovis.

“ R. 2. Idololatria est duplex: alia materialis, sive
 “simulata, ut cum quis sine interno affectu, ex metu
 “mortis, cultum idolo exhibet. Alia formalis, a
 “propria, eaque perfecta, ut cum quis adorat idolum
 “quod ex infidelitate putat esse Deum; vel imper
 “fecta, cum quis vel ex odio Dei, vel ex affectu
 “aliquid à dæmone aliave creatura obtinendi, ipse
 “quasi Deo cultum defert. *Laym. l. 4. t. 10. c. 2. ex S. Aug.*
 “& *S. Th. Unde resolves.*

“ I. Idololatria aliquando conjungitur cum infideli
 “tate vel hæresi, cum scilicet Creatura adoratur
 “in intellectu habetur pro Deo, aliquando non.

“ II. Idololatria, etiam materialis & ficta, est
 “grave & mortale peccatum, quia est saltem menda
 “cium perniciosum & contra Religionem: sæpe
 “etiam contra confessionem Fidei externam. *Sanch.*
 “*L. 2. mor. c. 37. n. 21. Azor. 1. p. l. 9. c. 11.*

“ III. Idololatria imperfecta, ob malitiam volun
 “tatis, est peccatum gravius, quàm perfecta. *v. Laym.*
 “& *Sanch. ll. cc.*

A D D E N D A.

15 Quæst. 3. Quid notandum sit circa imagines &
 circa cultus varios hominum vel rerum sacrarum.

§. I. Inter Prop. ab *Alex. VIII.* damnatas est hæc 25
 Dei Patris Simulacrum nefas est Christiano in templo
 collocare. Hanc Prop. docuit *Calvinus*, item *Joannes*
Hesfelius Doctor Lovaniensis, citans pro se *S. Aug.*
L. de Fide & Symb. Sed perperam: nam *S. Doctor*
 tantum agit contra illos, qui putabant perfectam
 Dei similitudinem & formam posse figurâ &
 coloribus exprimi: nos autem dicimus esse tantum
 metaphoricam: nunc ex damnatione propositionis
 alla-

allatæ certum est licere tales imagines ponere in templis, & ratio est, quia per hoc non significamus Deum esse corporeum, sed exprimimus illum more humano, uti ipse apparuit aut se ipsum expressit in Scriptura, in qua dicitur stare, sedere, ambulare, habere caput, manus, pedes, &c. Ergo nec illicitum erit in pictura talem exhibere, qualis in Scriptura depingitur. Sic in Symbolo de Christo dicitur: *Sedet ad dexteram Patris.* Ergo sicuti ibi exprimitur verbis; ita licitum erit exprimere coloribus, præsertim cum nunc non sit periculum erroris in Fide, quia hac de re sufficienter instruuntur imperiti secundum expressum Decretum *Trid. Sess. 25.*

§. 2. Inter Propositiones ab eodem *Alex. VIII.* damnatas hæc est 26. *Laus qua defertur MARIÆ ut MARIÆ, vana est.* Huic Propositioni videtur occasionem dedisse libellus inscriptus: *Monita salutaria B. Mariæ Virginis ad cultores suos indiscretos.* Ubi Monito 6. sic inducitur loquens B. Virgo: *Laus, qua mihi defertur ut mihi, vana est.* Quod verò attinet ad sensum propositionis damnatæ, hic valde obscurus est. Si sensus esset, quòd specialis laus non debeat Mariæ, præcisè ut persona humana est, ibi sistendo, hoc non foret falsum, cum enim etiam improbissimi homines sint personæ humanæ, si hæc præcisè ratio postularet sibi laudem, etiam hi, prout sunt persona humana, essent laude speciali digni. Si autem sensus sit, quòd non debeat ei laus, in quantum est affecta specialibus prærogativis à Deo, patet falsitas, quam etiam agnovit author libelli; subdit enim: *Quæ verò mihi defertur ut matri & ancilla Domini, sancta est.* Si autem sensus sit, quòd non debeat illi laus, nisi in quantum est Dei Mater, etiam patet falsitas, alioquin
nullus

nullus alius Sanctus esset laudandus. Denique
 si sensus sit, quod omnis laus illius sit vana, nisi illi
 formaliter deferatur propter Deum, uti imagi-
 nibus non debetur ullus honor, nisi præcisè
 propter Sanctos, quos repræsentant, etiam hic
 sensus est falsus & damnari potuit, quia persona
 B. Virginis, in quantum est bene agens, habet excel-
 lentiam præ aliis Creaturis, estque hoc ipso per se
 digna laude, uti docet S. Th. in 3. dist. 9. q. 1. his verbis:
*Quod B. Virgo sit persona quadam per se agens, ei debe-
 tur honor per se.* In quocunque autem sensu intelli-
 gatur propositio, est ad minimum scandalosa, quia
 sic crudè prolata est apta offendere pias aures
 populi & imminuere cultum Hyperdulix B. Vir-
 gini debitum. *Nec obstat, quod I. ad Timoth. I.*
dicatur: Soli Deo honor & gloria. Nam vel dicendum
est cum S. Aug. L. 2. de Trin. c. 8. & 17. quod Tò soli
non cadat super Tò debetur, sed super Tò Deo, ita
ut sensus sit: illi, qui solus est Deus, honor & gloria;
vel intelligi sic debet, quod soli Deo principaliter
debeatur omnis honor & suprema gloria.

- §. 3. Circa imagines notandum, quod Tom. 4.
 17 Bullarii apud Cherubinum p. 54. in Decreto, quod
 à S. Congreg. 13. Martii 1625. approbante *Urb. VIII.*
 inter ejus Bullas n. 37. emanavit, sic statuatur:
 Sanctissimus re etiam cum Cardinalibus Inquisi-
 toribus communicatâ & maturè consideratâ
 declaravit, statuit & decrevit, ne quorumvis
 hominum cum sanctitatis seu Martyrii fama
 (quantacunque illa sit) defunctorum imagines &
 quodcunque aliud venerationem & cultum præ-
 ferens & indicans, in Oratoriis aut locis publicis
 seu privatis vel Ecclesiis tam secularibus, quam
 Regularibus apponantur, antequam ab Apostolica
 Sede canonizentur aut Beati declarentur; &

si quæ appositæ sunt, amoveantur, prout eas statim amoveri mandavit: ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorundem hominum gesta, miracula vel revelationes seu quæcunque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes sine approbatione Ordinarii, qui in eis recognoscendis Theologos aliósque pios ac doctos viros in consilium adhibeat, & ne deinceps aliquid novum ac inordinatum committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, ejusque Responsum exspectet. Ad horum hominum sepulchra vetuit tabellas atque imagines ex quacunque materia pictas, fictas vel exsculptas appendi, & lampades sive alia quæcunque lumina accendi sine recognitione ab Ordinario, omnino ut suprâ facienda, Sedique Apostolicæ referenda ac probanda: declarans, quòd per suprâdicta præjudicare in aliquo non velit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemoriam temporis cursum, aut per Patrum virorumque SS. Scripta, vel longissimi temporis scientiâ ac tolerantiam Sedis Apostolicæ vel Ordinarii coluntur. Denique pœnas injungit transgressoribus hujus Decreti. Sed advertendum est, quòd ibidem pag. 55. habeatur declaratio ejusdem *Urb. VIII.* data 4. April. 1625. quæ fustis repetitur in Append. Tom. 4. pag. 38. in *Constit. 22.* aliàs 132. data 5. Jul. 1634. in qua permittit ejusmodi imagines separato ab Ecclesia loco custodiri, si approbantibus Ordinariis facere possint ad qualemcunque suo tempore probationem sanctitatis.

§. 4. Quod attinet ad Cultum Beatorum necdum Canonizatorum, S. Congregatio 27. Sept. 1659. præsentè & approbante *Alexandro VII.* edidit, & 3. Febr. 1660. publicavit Decretum,

in quo hæc statuuntur, 1. Quòd eorundem Beatorum imagines, etiam non principaliter & uti supplices appositæ, simulacra, picturæ, tabellæ aut Scripturæ eorum præclara gesta repræsentantes, aut referentes, in Ecclesiis, Sacrariis & Oratoriis quibuscunque, & præsertim in quibus Misæ Sacrificium vel alia Divina Officia peraguntur, inconsultâ Sede Apostolicâ nullo pacto exponantur. 2. Quòd ubi indultum fuerit per Sedem Apostolicam imagines, simulacra pictasque tabellas in Ecclesiis poni & coli posse, in pariete tantum, non autem super altari collocandi facultas tributa censeatur. 3. Quòd si concessa fuerit per eandem Sedem Apostolicam altarium erectio, non tamen ob id Misam & Officium de prædictis Beatis celebrandi vel recitandi facultas tradita præsumatur, etenim specifica & expressa concessio super his præcedere debet. 4. Ubi in loco Cultus fuerit concessus, non extendatur inconsulto Pontificatus ad alium locum quavis aliâ concurrente auctoritate. 5. In locis, ubi Beatos prædictos ab omnibus coli permisum fuit, non inde publica Officii recitatio permisa censeatur, sed tantummodo privata nec satisfactoria Præcepto recitationis, nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica de hoc indulserit. 6. Misæ pariter, quæ fuerint indultæ certis personis alicujus loci vel Monasterii, seu Presbyteris alicujus Ecclesiæ, à confluentibus Sacerdotibus quavis dignitate etiam Cardinalatibus insignitis minimè celebrentur. 7. Dies festi in Beatorum eorundem memoriam non celebrentur, nisi speciali Indulto Apostolico provisum fuerit. 8. Eorundem nomina in Calendariis non apponantur, nisi illius tantum loci earumque personarum, in quo & à quibus Cultus cum Officio &

Misæ

Missa celebratur. 9. In quibusvis Ecclesiasticis precibus, etiam in Oratoriis privatis, recitandis particularia eorundem suffragia non apponantur vel recitentur. 10. Publicis in precibus præter indulgas & à Sede Apostolica approbatas iidem Beati non invocentur. 11. Eorundem Reliquiæ in processionibus minimè circumferantur. S. tamen Congregatio remove non intendit Cultum Beatis per communem Ecclesiæ consensum, vel per immemoriam temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum Scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis scientiam ac tolerantiam Sedis Apostolicæ aut Ordinariorum hætenus præstitum, ac certo modo & formâ ab eo tempore eis exhibitum; verùm si à centum annis citrà, Cultus huiusmodi aliqua ex parte constiterit auctus & extensus, eo casu S. Congregatio eundem in pristinum reduci jubet, prout quemvis Cultum extra casus prædictos ad expressa tantùm verbaliter in Apostolicis Indultis omnino revocari mandat, sub pœnis. &c. Firmis quòque remanentibus Decretis, nempe ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum Natalitia cum Octavis celebrentur, & aliis quibuscunque à Sacra Congregatione hætenus emanatis, quæ præsentis Decreto renovantur.

Postmodum allatis ad S. Congregationem dubiis circa observationem & intelligentiam illius Decreti, I. An ubi indultum fuerit, ut Misa de aliquo Beato celebretur, liceat ejus imaginem & simulacrum super altari exponere, nec non votivas tabellas ibidem appendere. 2. An si dies festi in Beatorum honorem non celebrentur, extendatur ad Festa devotionis. 3. An Indulta recitandi Officium cum Octava vel sinè Octava, &

celebrandi Missam de Beatis, fuerint revocata per dictum Decretum. 4. An in Ecclesiis, in quibus Officium & Missa de Beatis recitari ac respectivè celebrari possunt, liceat eorum Reliquias exponere. 5. An Episcopi Regulares, qui ex Indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegiis suæ Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, possint de Beatis suæ Religionis recitare officium, & in propriis Cathedralibus Missam celebrare, & altare Beatis prædictis erigere. Sacra Congregatio 17. Aprilis 1660. respondit, ad 1. affirmativè. Ad 2. negativè. Ad 3. negativè. Ad 4. affirmativè. Ad 5. negativè.

20 §. 5. Suppositis illis proponebatur nuper hic casus : Titius, quia obtinuit à Deo gratiam per preces *Thomæ Mori* in necessitate invocati, quem omnino putat Martyrem esse, vovet se ejus picturam, attamen finè radiis, appensurum in ecclesia. *Quæritur*, an id possit, adeoque teneatur hoc Voto : *Ratio* pro parte affirmativa est, quia non vult picturam illam exponere ad publicum cultum, sed ad ornatum templi, & quidem extra altare ad parietem, ergo sicuti licitum est ibi appendere picturam quamcunque aliàs honestam, v.g. ejus, qui templum ædificavit vel altare fundavit, ita & *Thomæ Mori*. Nihilominus ex judicio virorum doctorum, quos consului, respondit non posse, ob illa Decreta n. 17. & 18. relata, nam non licet exponere imaginem non Beatificati, imò nequidem Beatificati, in Ecclesia, in qua non est licitum de eo celebrare Missam, ergo multò minùs *Thomæ Mori*, qui non est beatificatus. Ad rationem oppositam, disparitas est, quia scitur, quòd pictura Fundatoris non exponatur propter venerationem & cultum ratione sanctitatis vel martyrii, hinc non

non comprehenditur prohibitione Pontificum, è contrà cum populo alia non possit occurrere causa, cur exponatur pictura *Thomæ Mori* in ecclesia, nisi ad aliquam contestationem sanctitatis vel martyrii, re ipsa prout exposita in istis circumstantiis præsefert venerationem & cultum, ergo comprehenditur prohibitione Pontificum.

§. 6. S. Congregatio 26. Junii 1642. approbante *Urb. VIII.* inhibuit, ne imagines Christi, Deiparæ, Angelorum, Sanctorumque aliorum pingantur vel exponantur cum habitu certorum Ordinum, aut aliter, quàm in Ecclesia hætenus fuit usus: ibidem prohibet, ne in Ecclesiis vel earum frontispiciis aut atriis exponantur imagines profanæ vel aliàs indecentiam & inhonestatem præferentes, uti refert *Manigart* in praxi Pastor. p. 3. c. 8. 21

§. 7. Reliquiæ Sanctorum honorari possunt eodem cultu, quo persona cujus sunt reliquiæ; & quamvis per se coli nequeant, cum sint irrationales, possunt tamen coli respectivè propter excellentiam & sanctitatem personæ, cujus sunt: ad honorandas autem privatim tantùm reliquias sufficit privatum testimonium sanctitatis ab una persona fide digna aut ex alia probabili ratione, uti rectè *Manig.* supra: notat autem *Loth* in resol. Theol. T. 24. a. 3. ex *Gavanto*, S. Congregationem Episcoporum & Regularium declarasse, reliquias Sanctorum non posse radi, ut rasuræ dentur infirmis in potum. De cultu aliarum rerum benedictarum vel consecratarum dicitur L. 6. T. I. ad c. 4. 22

§. 8. Probat *Manig.* pag. 904. ex Decretis Pontificum, Cæsarum sanctorumque virorum, illicitum esse imaginem Crucis in pavimento vel lapide humi pingere vel effingere, Crux enim coli debet cultu latræ, ergo irreligiosum est calcare pedibus: 23

rectè tamen addit illam solam calcationem Crucis esse peccatum, quæ fit animo injuriandi aut irreverenter tractandi, de cetero passim videntur cruces sculptæ in ære vel lapide, quas sinè scrupulo omnes prudentes calcant.

24 Quæst. 4. *An sit Idololatria credere dæmoni, aut eum interrogare, si loquatur in obsesso.* R. §. I. Propriè non est Idololatria, ad eam tamen reducitur, si credatur dæmoni suâ sponte aliquid dicenti, quia sic mendaciorum pater plùs honoratur, quàm mereatur, ob revelationem rei naturaliter incognitæ, quæ revelatio à solo Deo petenda esset. Dixi, *suâ sponte dicenti*, quia si dicat aliquid coactus vi exorcismi, credi potest, quia Deus non potest cogere ad mendacium: attamen non facilè ei fides indubitata est adhibenda, quia incertum est, an fiat vi exorcismi, ita *Less.* in *Auct. V. Magia. c. 6.*

25 §. 2. Haberi potest ratio aliqua eorum, quæ dæmon ex obsesso dicit, non ut ideo credatur vel feratur sententia, sed ut inquiratur vel caveatur; & sic potest quis fodere, si dicat alicubi esse thesaurum, ita *Less.* *suprà.* Quòd si dicat aliquem esse maleficum, rectè docet *Gob. T. II. n. 794.* Si defint alia indicia, non ideo licere apprehendere accusatum; multò minùs ei credendum erit, si dicat se à Deo missum ad populi instructionem, ut qui non credunt Concionatoribus & Parochis, saltem credant diabolo, idque esse extremum remedium, quo Deus utitur ad conversionem hominum, *nam* hoc prorsus vanum est, & fraus dæmonis volentis errores cum vera doctrina insinuare, uti probat *ibidem Lessius.*

26 §. 3. Veniale tantùm est, si quis ex levitate vel curiositate dæmonem in obsesso loquentem uno aut altero verbo imperativè interroget rem
vanam

vanam & inutilem, dummodo non fiat animo discendi aliquid ab ipso, nam hoc esset expectare beneficium, & communicare cum illo: nec firma fides adhibenda est, nam sic valde honoraretur dæmon, ita cum multis, quos refert, *Sanch. hic L. 2. c. 42.* ubi latè tradit, quid liceat interrogare vel facere illi, qui exorcizat dæmonem in obsesso; de quo etiam videri potest *Tamb. L. 3. c. 8. §. 2.* & præcipuè *Leß. supra cas. 4. 5. 6.* ubi dicit licitum esse personam aliunde accusatam vel infamatam sistere coram dæmone in obsesso, ut si velit, eam confrontet ac vincat de crimine: vide tamen dicenda infra n. 44. nam in hoc videtur esse aliqua communicatio cum dæmone.

DUBIUM IV.

*Quid & quotuplex sit vana observantia,
& unde colligatur.*

Resp. I. Ea est superstitio, quâ medio aliquo improportionato & à Deo non instituto, procuratur aliquis effectus, v. g. fanitas, scientia, &c. *S. Thom. 2. 2. q. 96. a. 1. Bonac. & alii.* Differt autem à divinatione, quòd hæc tantum ordinetur ad occultorum cognitionem: illa verò ad effectum externum. Convenit cum eadem, quòd utraque nitatur pacto dæmonis, eique tribuat perfectionem propriam Dei. Unde quæ de divinatione dicta sunt, proportionaliter huic accommodari debent.

¶ II. Dividitur 1. sicut divinatio, in eam, quæ ex pacto expresso cum dæmone, & in eam quæ ex implicito pacto procedit. 2. Dividitur communiter in quatuor species. *Prima dicitur*

2) Ars notoria, quæ inspectione certarum figura-
 2) rum, vel certo aliquo jejunio, oratione, &c. utitur
 2) ad scientiam, repente ac sine labore acqui-
 2) rendam, ut faciunt Anabaptistæ. *Secunda* dicitur
 2) magia (quod nomen alioqui generale est) quæ
 2) versatur circa corpora variè immutanda,
 2) aliósque effectus miros. *Tertia* est observatio
 2) eventuum, quæ ex consideratione alicujus even-
 2) tûs conjicitur, quid sit futurum: v.g. Si ex eo,
 2) quòd casu occurrat vulpes, canis, aut cadaver,
 2) certa imminere credat, & inde actiones suas
 2) moderetur. *Quarta* dicitur Observatio sani-
 2) tatum, cum adhibentur quædam signa, oratio-
 2) nes, certus numerus crucum, sacra verba, &c.
 2) velut necessaria & efficacia ad pellendos morbos.
 2) Idem est de gestatione reliquiarum cum vana
 2) circumstantia, v.g. in tali capsâ, tot diebus,
 2) cum tali herba, &c. *Sanch. L. 2. mor. c. 40. n. 11.*
Fill. T. 24. n. 157.

2) *R. III.* Vana observantia, sicut divinatio, est
 2) peccatum mortale ex genere suo. Ratio, tum
 2) quia tribuit honorem divinum creaturæ,
 2) expectando ab ea, quod à solo Deo expectari
 2) debet: tum quia nititur pacto cum dæmone, *Leß.*
 2) *Bon. T. 2. d. 3. q. 5. p. 4. & alii.* Nec potest excusari
 2) à mortali ex parvitate materiæ, quia simpliciter
 2) & in omni materia usurpatur cognitio aut virtus
 2) Dei propria. Aliunde tamen fieri posse, ut non sit
 2) mortale, docent *Aut. suprâ cit. Dub. 2. Resp. 3.*
 2) *I.* Ratione ignorantia, si pactum sit implicitum
 2) tantum. 2. Si non adhibeatur fides, licet timeatur
 2) ita esse, vel futurum. *v. dicta de divinatione dub. 2.*
 2) *resp. 3. casu 7. & Leß. l. 2. c. 43. Dub. 8. n. 53. &*
 2) *dub. 10. n. 66.*

2) *R. IV.* Vana observantia cognosci potest

1, Ex

1. Ex insufficientia causæ adhibitæ ad effectum, “
 si nimirum nec habeat naturalem virtutem, “
 nec de supernaturali legitimè constet. 2. “
 Ex adjunctione falsæ vel vanæ circumstantiæ, ut “
 v.g. Si flagellatio fieri debeat certâ horâ, numero, “
 manu, flagro serico, si nomina adhibeantur “
 ignota vel characteres peregrini, verba falsa vel “
 apocrypha, v.g. Christum habuisse febres vel “
 spasmus, &c. Item si ponatur vis in modo “
 scribendi, v.g. Evangelium S. Joannis à virgine “
 oriente Sole, &c. 3. Si effectus statim evanescat, &c. “
Delrio l. 2. q. 5. Sanch. n. 43. Ex dictis resolves,

I. Superstitiosum est, 1. Sumere aliquam potio- “
 nem vel holum, vel quidvis aliud usurpare, “
 ad scientiam aliquam subitò acquirendam. 2. “
 Gestare amuleta, ligaturas & involucra falsis “
 characteribus consignata, contra vulnera vel “
 subitam mortem, ne possint lædi, vel ne sanguis “
 effluat, vel ad conciliandam invisibilitatem, “
 impenetrabilitatem, amorem, fortunam, nocu- “
 menta & maleficia. 3. Ex casu fortuito conjicere “
 de eventu, v.g. Sibi aliquid boni vel mali even- “
 turum; ut si manè egrediens pedem offendat, “
 ideòque domum regrediatur, timens aliquid “
 infausti. 4. Dies aliquos habere tanquam faustos, “
 alios verò infaustos, ideòque negotium omittere, “
 v.g. Die Veneris nolle ungues præscindere. 5. “
 Feminarum carminatricum benedictiones & “
 preces ad morbum depellendum adhibere. 6. “
 Projicere statuam alicujus Sancti in flumen, “
 ut pluat. 7. Si putentur Misæ non prodesse “
 Defunctis, nisi legantur septem, cum septem “
 certi coloris candelis, & septem eleemosynis. “
 8. Si unguento armario, quo gladius inungitur, “
 absens curetur. 9. Si certo Festo v.g. S. Joannis, “

„ certa orentur, vel festo S. Matthiæ hederæ folia
 „ aquis imponantur, ut cognoscatur, cui debeant
 „ nubere. 10. Si quibusdam precibus, imaginibus,
 „ aut characteribus, aut crucibus tribuatur vis
 „ certa & infallibilis, v.g. evadendi ab hoste, expel-
 „ lendi morbos, non moriendi finè prævia Con-
 „ fessione, non incidendi in infortunium. &c.
 „ Aliud tamen est, ea per orationes petere ac spe-
 „ rare, *Delr. l. 3. p. 2. q. 4. sect. 7. Suar. c. 15. Less. d. 10. n. 63.*
 „ *Sanch. n. 34. & 37. Fill. n. 150.*

„ II. Superstitiosum non est, 1. Observare Lunam
 „ aut tempora aptiora colligendis herbis, (v. g.
 „ die S. Joannis Baptistæ) purgandis corporibus,
 „ cædendis arboribus, &c. 2. Verba Sacræ Scriptu-
 „ ræ, vel reliquias gestare ad Dei tantum honorem
 „ & finè dictis vanitatibus. 3. Circa templum
 „ alicujus certi Sancti ter jumentum circumducere,
 „ die alicujus certi Sancti equis venam secare &c.
 „ Si scilicet hæc fiant, ut major devotio excitetur,
 „ & effectus Sanctorum meritis adscribatur. Aliud
 „ tamen esset, si putarentur tales circumstantiæ
 „ infallibiles, aut planè necessariæ, aut per se effi-
 „ caces, v. *Navar. in Man. cap. 11. Addit Lay. ex Cajet.*
 „ Si homines rudes bonâ fide & ex devotione
 „ aliquem ritum ab Ecclesia non receptum obser-
 „ vent, aliquando in sua simplicitate relinquendos,
 „ cùm difficulter abducantur ab eo, quod bonâ fide
 „ à suis Majoribus acceperunt. 4. Nec damnandæ
 „ quædam devotiones, quas vocant Novendiales,
 „ (v.g. novem, vel ad exemplum S. Gregorii, figu-
 „ triginta, vel alium certum numerum Sacrorum aliq-
 „ celebrare, cum certo numero, & magnitudine nec
 „ candelarum, & similia) si fiant in memoriam app-
 „ alicujus mysterii, v. g. novem mensium, quibus non
 „ Christus fuit in utero, vel quinque vulnerum &c. tur.

Esset

Esset tamen superstitiosum, credere, eas preces
non prodesse in majore vel minore numero.

5. Multi excusant etiam eos, qui sanant morsus
à rabido cane, quòd putent illos ad hoc habere
gratiam gratis datam, & sic tenet *Navar. l.c.*
v. Sanch. Laym. Bon. ll. cc.

III. Non est illicitum uti virtute rei naturalis,
quæ per superstitionem cognita est, modò ejus
observatio aut operatio non pendeat ab ope
dæmonis. Ratio est, quia licèt illa cognitio malè
parta sit, peccatum tamen transit; neque virtus
naturalis ex eo quidquam mali contraxit,
v. Sanch. l. 2. Moral. c. 38. Bon. q. 5. p. 4. Lay. l. 4. T. 10. c. 4.

A D D E N D A.

Q. 5. *Quas præterea regulas tradant Auctores
pro dignoscenda vana observantia.* R. §. 1. *Sanch.*

Castrop. Tamb. Gob. & alii tradunt sequentes: 1.
Quando rei vis tribuitur ad effectum, quam vim
nec à natura sua, nec à Dei vel Ecclesiæ institu-
tione habet, semper est superstitio, quia effectum
exspectas, non à natura, nec à Deo, ergo à dæmone,
cùm sperari non possit, quòd casu sit eventurus. 2.
Si res sacræ adhibeantur ad effectus vanos &
inutiles, aut si signa, aut res vanæ adhibeantur
ad effectum qualemcunque obtinendum, est super-
stitio, quia Deus non immiscet se rebus vanis, ergo
effectus non potest exspectari nisi à dæmone. 3.
Præsumitur dæmonis invocatio saltem tacita,
quando adsunt, vel verba non significativa, vel
figuræ inutiles, vel falsitas, v. g. in conditione
aliqua, vel promissio effectus infallibilis, quia
nec DEUS se immiscet vanis, nec infallibiliter
appromisit tales effectus, ergo cùm à natura
non sint, si tum exspectentur, à dæmone exspectan-
tur. 4. Quando dubitatur, an effectus sit
à vi

à vi occulta naturali, an à dæmone, potiùs judicandum est esse à natura, adeóque non esse superstitionem, quia plurimæ sunt virtutes in rebus naturalibus nobis incognitæ : itaque in dubio dicendum est id potiùs esse à natura, cum miros à natura effectus fieri videamus, quorum rationem reddere non possumus, ergo etiam in tali dubio sumus in possessione Juris ad utendum ejusmodi rebus, donec rescatur non esse à virtute naturali occulta. 5. Si dubitetur, an effectus sit à Deo, an à dæmone, præsumendum est esse à dæmone, quia cum res, quæ adhibetur, non sit naturalis causa illius, erit tantum signum, ad cuius positionem vel Deus vel dæmon effectum ponet; de Deo autem talia operante nescim⁹, nisi in Sacramentis & sacramentalibus, estque temerarium dicere tum semper fieri miracula, ergo moraliter certò præsumitur esse à dæmone. 6. Quando ab aliquo homine aliquid mirum efficitur, potiùs censeretur fieri naturaliter, quàm magicè, quia nemo præsumitur malus, nisi probetur; quandoque etiam, maximè sanctitas operantis vel alia urgentissima indicia suadent aliquid fieri supernaturaliter & per miraculum, Deo per Sanctos suos operante. 7. Si aliqua videantur bona, aliqua autem admisceantur redolentia superstitionem, poteris usurpare cum spe eventus, si removeas superstitionem, v.g. Sanitas spondetur puero, si B. Virgini offeratur candela præcisè æquè ponderosa, quàm est puer, si tu offeras magis aut minùs ponderosam, & speres sanitatem, rectè agis.

29 §. 2. Ex datis regulis colligitur, sequentia esse superstitiosa. 1. Facere ligaturam rei alicujus, ne vaccis laceffluat. 2. Certò credere se non moriturum ex vulnere, si Festo S. Stephani in pane & aqua jeju-

jejunet, ritèque confessus communicet. 3. Festo Paschatis vel alio solenni die abstinere à carnibus, credendo se per hoc infallibiliter liberandum à feбри aut alio malo. 4. Nolle adire convivium, in quo sunt tredecim, eò quòd unus certò credatur brevì moriturus, uti è convivis tredecim in ultima Cœna unus mortuus est, nempe Christus aut Judas. 5. Pondere aliquo ad funem suspenso inter pollicem & indicem explorare, quota sit hora, toties enim dicitur pulsus dari ad latus vasis: esse autem superstitiosum evicit *Lugo* suâ experi-
 entiâ, uti refert *Tamb.* l. 2. c. 6. §. 1. n. 39. confirmâtque n. 79. ex *Baldel.* & *Delr. Sporer* quòque *T.* l. c. 5. n. 22. fatetur se sæpius usum bonâ fide, sed auditâ experi-
 entiâ *Lugonis* damnat, & addit, *Aliis ergo, & maxime illis, quibus, ut idem experirentur, impru-
 dens auctor sui, jam pœnitens dissuadeo.* Dicunt aliqui hoc esse à pulsu arteriæ, sed contrà est, nam pulsus arteriæ est constans & naturalis, nume-
 ratio autem horarum, v. g. primæ, est arbitraria, posset enim numerari ab ortu vel occasu Solis, & per accidens est, quòd apud nos numeretur à tem-
 pore, quo Sol post horam transit Meridianum, ergo cum arteria esset pulsatura eodem modo, licet homines vellent, ut prima aliter numeraretur, non potest esse ab arteria, quòd nunc sonet prima. Deinde non potest ostendi, cur arteria, quando est prima, det potius unum, quàm duos aut tres pulsus, semper enim æqualiter movetur per impulsum sanguinis. Alii dicunt provenire à spe-
 ciebus phantasiæ, quæ moveat sanguinem, & id evenisse *Lugoni*, qui tum tenebat Italiam per diem & noctem, hinc etiam fieri tantum in sanguineis calido-humidis: talem autem esse vim phantasiæ docent Medici, nam si tangant arteriam *Titii*
 &

& proferant nomina *Caji & Sempronii*, dignoscere possunt, quem eorum magis amet vel oderit. *Contrà est*, unde sunt illæ species? An infusæ? an acquisitæ? & per quos actus? Deinde si fit hora secunda & ipse æqualiter nesciat, sitne prima, secunda an tertia, uti fieri potest saltem noctu expergiscenti, cur species phantasiæ movebunt sanguinem ad duos præcisè pulsus? Item, cum species phantasiæ sint mortuæ, non possunt movere phantasiam, nisi causando actum phantasiæ, de hoc actu quæro, quid pro objecto habeat; non certum numerum horarum, nam ignoratur, & vult horam explorare; nec aliquid aliud, quia nihil aliud erit connexum cum tot præcisè pulsibus. Præterea, pone quòd planè imagnetur sibi, esse tertiam, quando est prima, si arteria pulset tertia tua experientia fallit; si pulset semel, non est ex vi phantasiæ; unde ergo? Denique sequitur, quòd non explorem, quæ sit hora in tempore, sed quam horam mihi imaginer, id autem non est opus explorare pulsu annuli, sed hoc certitè sciam reflectendo me supra meam phantasiam, ergo tuum experimentum est planè inutile & vanum.

6. Nolle die Lunæ aliquid dare mutuò, quia credit non ita facilè reddendum: item nolle die Martis iter incipere, ne in milites incidat: item nolle nere die Sabbathi. 7. Subitò reddere vires vel sanitatem insufflatis quibusdam verbis in aurem. 8. Reddere canes mutos insufflatis vel prolatis illis verbis: *in camo & freno maxillas eorum constringe*: item istis sistere sanguinem, *Liberame de sanguinibus*: item illis, *Verbum caro factum est*, velle reddere partum felicem: item illis, *consummatum est*, sanare luxationes equorum: item illis in aurem insufflatis velle excitare laborantem morbo

morbo caduco, *ô Creatura Dei memento Creatoris tui.* 9. Si quis oret certas preces, ut Christus, B. Virgo vel Angelus sibi appareat in morte, omnino certò putans eos apparituros. 10. Certas preces orare, vel schedas circumferre, cum certa fiducia, se ideo non moriturum subitò vel finè confessione. 11. Folium trifolii gestare ad felicitatem conciliandam. 12. *Ægrotantis lecto supponere* certas herbas, ne desperet in agone. 13. Schedas profanas infra limen stabuli deponere, ut pecora transeuntia omne malum evitent. 14. Putare domum muniri contra fulmen, si die palmarum ramus palmæ ter circumferatur, & extra domum relinquatur. 15. Credere gallinas fore liberas ab Accipitre, si primum, quod ponunt, ovum detur Pauperi. 16. Conservare ova die Veneris Sancto posita ad restinguendum incendium. 17. Fricare dentes vel oculos sub elevatione, ut dolor dentium vel oculorum depellatur. 18. Aliquid infaustum metuere, si videantur duo Sacerdotes simul elevantes Hostiam in Misfa. 19. Si avis mcestum canat, corvus crocitet, lepus prætercurrat, credere prænunciari alicui mortem vel infortunium. 20. Pueros aut chartulas nomine Puerorum inscriptas mittere per fissuram arboris, ut sanentur à ruptura, uti *S. Thom. & alii cum Burgh. cent. 1. cas. 46. habent.* 21. Ungere gladium adhuc calentem sanguine vulnerati, ut in distans sanetur, cum communi *Burgh. cent. 3. cas. 29.* 22. Ex nomine in Baptismo imposto conijcere, an aliquis sit probus vel improbus. 23. Dum tonat, volutare se in terra, ut dolor tergoris cesset. 24. Cingulo metiri ægrotum, ad dignoscendum, à quo fit sanandus. 25. Filo metiri corpus ægroti, illudque postea secare ad sanandum morbum. 26. Securi dividere stramen,

stramen, ut tumores manuum sanentur. 27. Ferrum, quo cæsus es, infigere larido porcino, ut tu saneris. 28. Ligare arborem aut rem aliam loco vulneris sanandi. 29. Summo manè scopis tangere olera, ut sint secura ab erucis. 30. Manè lavare manus, credendo tum sagas nocere non posse. 31. Ferrum catenæ, ex qua pependit patibularius, aut manum suspensi adhibere ad miros effectus. 32. Certam schedam affigere januæ, ut ad eam cogatur venire fur. 33. Si plures veniant in suspicionem delicti, comedere salem & panem, ut is, qui nocens est, malè habere incipiat & sic prodatur. 34. Si adit mulier, de qua suspiceris, quòd sit saga, invertere scopas, ut si saga est, abire non possit, nisi gresu averso seu cancrino. 35. Ad pellendos morbos uti annulo confecto ex oblati Crucifixo die Veneris sancto. 36. Globos transmittere per certum anulum certo die & horâ fabricatum, ut quodcunque explodes, tangas, quod intendis. 37. Credere lac statim coagulandum in butyrum, si in illud immittatur ferra ferrea necdum adhibita ad usum. 38. Lignum è feretro, in quo jacuit mulier mortua, appendere collo pecudum, ne ægrotent vel ut sanentur. 39. Credere se peccaturum, si extremâ Unctione semel acceptâ ambulet nudis pedibus. 40. Cingulo prægnantis mulieris pulsare campanam, ut habeat felicem partum. 41. Si gallina instar galli cantet, credere malum imminere. 42. In lusu mutare situm corporis, aut complicare pedes, ad evitandû infortunium. 43. In nocte S. Joannis orare, ut in somno appareat ille, cui nubere debeat: item credere se non ducturum uxorem eo anno, quo coram se ignis fuit coopertus cineribus: atque de similibus superstitionibus circa Sponfos & Sponfas multa

multa habet *Gob. Tr. II. à n. 1010.* 44. Adjurare creaturas irracionales, modo in Ecclesia insolito, ne incipiant aut pergant nocere ; item animalia noxia citare ad iudicium, vel excommunicare: aliud est, si fiat modo ab Ecclesia præscripto, tum enim nubes & tempestates non adjurantur directè, sed vel Deus deprecativè, ut malum avertat, vel dæmon imperativè, ne noceat. 45. Gestare lapidem fulmineum, super quo tria Sacra sint lecta, ut quis sit fortis. 46. Tres virgas salicis ducere per os, deinde eas suspendere in camino, ut postquam fuerint arefactæ, desinat graveolentia halitûs. 47. Vertere se ad Lunam crescentem, & strumâ manu apprehensâ dicere, *Quod video, crescat, quod tango detumescat.* 48. Credere me moriturum ideo, quia alius me innocentem ad Iudicium divinum citavit : Si tamen citatus es, quia eras nocens, meritò times, quia *Drexelius* in suo Tribunali L. 2. c. 3. affert 24. ejusmodi citationes, quæ effectum habuerunt : an autem liceat ita citare, dicemus L. 4. n. 1530. 49. Ponere certam spem in deferendis certis nominibus ; quæ, ut licitè circumferantur, habere debent has conditiones, ut sint nota & sancta, ut habeant characteres notos & sanctos, ut contineant vera ac pia, ut nulla ponatur spes in loco, tempore, numero scribendi, nec in modo deferendi vel allegandi ea, ita *Alloza V. Superstitio. S. 2. n. 24.* 50. Credere, quòd imagines astrologicæ & characteres aliæque figuræ artificiales, quæ sunt factæ sub tali constellatione vel signo, ratione sui artificii vel imaginis habeant vim ad hunc vel illum effectum, *S. Thom. & Sanch. L. 2. c. 40. n. 50.* cum aliis multis, contra quosdam, qui conantur defendere. Qui plura volet exempla superstitionum hoc tempore usitatarum, consulat

C

Gobat,

Gobat, qui per 30. paginas, præcipuè à n. 923. sexcentas ejusmodi nugas affert.

- 30 §. 3. Multa secundùm diversos Authores damnantur vel excusantur à superstitione, v.g. I. *Leander* negat, alii probabilius affirmant esse superstitionem, si quis ex aura, quæ est certo die, v.g. Festo *S. Urbani* vel conversionis *S. Pauli*, velit prædicere, qualis sit futura per annum. Audi *S. Chrysost.* Hom. adversus eos, qui observant novilunia; *Non audis Apostolum dicentem, dies observatis & menses & tempora & annos? metuo vobis, ne frustra in vobis laboraverim: nempe extrema hoc amentia est, propter unum diem, si auspiciatus fuerit, per universum hoc expectare annum &c.* 2. *Rayn.* apud *Gob.* n. 960. arguit superstitionis eos, qui statuunt Patronum suum menstruum honorare jejuniis, licet Festum illius in Dominicam incidat; item eos, qui omnes suas satisfactiones donant Defunctis, cum ipsi maximè indigeant, sibi que applicare deberent: Sed alii meritò contradicunt, nam quoad priorem partem, rectè docent *Sanch. & Tamb.* per se loquendo, nullum esse peccatum die Dominico jejunare: quoad alteram, vide dicta L. 2. n. 179. 3. *Gob.* n. 961. non omnino damnat certam superstitionis eos, qui putant sanguine vulnerati misto cum quodam pulvere sympatico sanari posse recens vulnus hominis ad trecentos passus distantis, quia fortè verum est, quòd aliquæ qualitates diffundantur per medium, uti cadavera odorem mittunt per multa milliaria, teste *S. Thom.* multisque Philosophis: Sed rem illam reliqui communiter damnant, videtur enim incredibile, quòd qualitates talis pulveris possint ita longè per muros & media corpora interjecta undequaque diffundi; quòd si dicant agere in distans, adhuc

adhuc minus probabilitatis habet. 4. Quidam 33
suspectum habent, sed *Gob. n. 1014.* absolvit à super-
stitione eum, qui gestat nummum benedictum
& insignitum figurâ *S. Georgii*, eum fiducia,
se non casurum ex equo, vel si cadat, casum fore
innocuum, non apparet enim, cur superstitiosum
sit, si quis non appromittat sibi infallibiliter
talem effectum, sed speret per merita & intercessi-
onem *S. Georgii Equitis*. 5. Aliqui absolutè 34
damnant, aliqui autem absolutè excusant
à superstitione eos, qui putant se habere vim aut
gratiam sanandi certos morbos, vel qui ad tales
accedunt sanitatis causâ, uti refert *Sanch. n. 45:*
Dian. autem p. II. T. 4. R. 42. citans *Delr.* & alios sic
habet: *Non videtur superstitiosum, quòd in Belgio*
omnes nati die Veneris sancto putentur suo contactu
sanare à febris, aut quòd septimus masculus
ex legitimo Matrimonio natus nullâ femineâ prole
intermediâ sanare possit strumosos. *Sanch. verò & Gob.*
nec universaliter improbant, quia *DD.* graves
approbant, & *Ecclesia* id permittit, potestque *Deus*
certis familiis certas ejusmodi gratias gratis datas
tribuere; imò etiam potest certis hominibus
certa virtus naturalis convenire ad morbos
ejusmodi sanandos, uti ex *Plinio* ostendit *Azor*,
attamen etiam universaliter non est approbandū,
nam in primis putat *Delr.* hanc gratiam solis
Catholicis concedi à *Deo*; deinde non est credibile
tam multis hominibus impiis concedi, quos
se habere jactant: unde ab *Ordinario* prius rigidè
examinandi sunt, & repellendi, si vana vel parum
honestâ admisceant. Videri potest *Sanch. supra*, ubi
optimè & fusè de ea virtute discurret, affertque
signa dignoscendi, qualis sit.

§. 4. Quod attinet ad virgam, quam vocant 35

C 2 divinatoriam,

divinatoriam, Sacra Congregatio generalium Inquisitorum de Mandato Clementis XI. post exactum examen Theologorum, die 26. Oct. 1701. damnavit & prohibuit librum, cui titulus, *La Physique occulte ou traité de la baquette divinatoire*: usum tamen talis virgæ pro inve- niendis metallis & fontibus approbârunt vel ausi non sunt improbare *Majolus, Peucer, Fludd, Libavius, Willemius, Fromman, Dechales, Hirnbaim, Saint Romain, Royer*; è contrâ eum usum damnant *Agricola, Paracelsus, Roberti, Stengelius, Forerus, Casius, Fabri, Kircherus, Aldrovandus, Schottus, Conradus, Sperling, Menestrier, Natalis Alexander, Commentator Liter. Tolly*, Auctor libri sub titulo, *Histoire critique des pratiques superstitieuses*, qui p. 2. c. 3. ad discernendum, sítne effectus natu- ralis an non, ponit hanc regulam, *Tum est causâ naturalis, si in eisdem circumstantiis Physicis semper agat eodem modo*: è contrâ, *tum non est naturalis, si in eisdem circumstantiis Physicis non semper agat eodem modo*, sed requirat, v.g. ut à certis personis applicetur, ut cum certa intentione, sub recita- tione certorum verborum, cum circumstantiis aliquibus purè moralibus, quæ modum agendi physicum immutare non possunt. Ex illa regula infert c. 4. per virgam non posse detegi limites agrorum, nec latrones vel homicidas, nec res perditas vel furto sublatas, quia quòd hic vel ille lapis sit limes agri, pendet à circumstantia morali hominum ponentium ex illa intentione, virga autem coryli vel quæcunque alia non attingit moralia: Similiter quòd hic homo sit latro vel homicida, aut quòd hæc pecunia sit perditâ aut furtiva, est circumstantia moralis, quâ non immutatur vis aut modus naturalis agendi, quem

quem habet virga. Similiter c. 5. infert non esse effectum naturalem, si virga detegat fontem vel metalla, 1. Quia virga flectitur, ubi illa non sunt; & non flectitur, ubi illa sunt, uti experienciâ certum est, causa autem naturalis semper eodem modo agit in eisdem circumstantiis: 2. Virga ad nimis multa flectitur, quæ planè diversas habent naturas & exhalationes: 3. Cur non æquè flectitur ad detectas aquas & metalla? 4. Non flectitur ad aquas & metalla, si intentio sit inquirendi aliquid aliud, hæc autem est circumstantia moralis tantum, nec per intentiones nostras potest variari effectus naturalis. 5. Vis exhalationum non est tanta, ut posset flectere virgam, multò minùs frangere, quando forti manu attinetur. 6. Non deberet torqueri in manu, seu verti, sed purè flecteretur versùs locum, uti non vertitur ferrum per magnetem, sed purè trahitur, vel rectà accedit. 7. Apud aliquos torquetur ad ferrum, si in acie virgæ ponatur ferrum, apud alios per hoc non impeditur ejus virtus, ergo ob diversitatem moralem personarum agit difformiter, ergo non est causa naturalis. Idem Auctor probat c. 7. dæmonem sæpe agere, quamvis nullum cum eo pactum intercedat, ut sic decipiat & in peccata paulatim inducat. Denique p. 3. c. 4. circa clavem S. Huberti & similia dicit expedire, ut non sit ejus usus. Addit in talibus sæpe committi superstitionem, quia exigitur miraculum per signa, quæ aliquando miracula patrârunt, sed non habent à Deo promissionem futuri semper miraculi: è contrâ, illa circa Reliquias & Novenam S. Huberti nil continere superstitionis, post audita judicia Theologorum & Medicorum Lovanienfium, declaravit 4. Octob. 1690. Joannes Ludovicus Ep. Leod.

§. 5. In dubio, an aliquid sit superstitiosum, putant *Tamb. Gob.* & alii non peccari mortaliter, si quis semel aut iterum operetur, non exspectans certò effectum, sed veluti experturus. Addit *Tamb.* extrinsecè saltem probabile esse, quòd in tali dubio, si adsit gravis necessitas, v.g. ob recuperandam sanitatem, quæ aliter restitui non potest, possis sinè ullo peccato adhibere tale medium, factâ priùs protestatione, quòd nolis in ullum pactum cum dæmone consentire: *Alloza n. 5.* citans alios sic habet, *Licetè potest quis experiri, an in aliqua observantia sit pactum cum dæmone, protestando se nolle talem effectum, si à dæmone est:* tum enim magna necessitas, inquit *Gobat*, facit tibi jus ad exponendum te dubio periculo superstitiosis. Sed non obstante horum sententiâ, res illa plena est periculi, adeòque vitanda; unde quod *Sanch. n. 25.* ait, si quis non seriò, sed joci causâ, & ad experiendum effectum causâ curiositatis semel utatur vanâ observantiâ, hoc fore tantùm veniale, quamvis non ausim dicere esse improbabile, cum etiâ *Tancredi, Tamb. Arsd.* & alii dicant fore tantùm veniale, licet fiat semel aut iterum, est tamen prorsus disuadendum, & circa hoc idem videtur dicendum esse quod n. 11. est dictum. Denique *Tann. & Stoq. L. I. p. 3. n. 428.* sapienter monent, sæpe melius esse ad tempus permittere superstitiones simplicium hominum, quam admonere, si prævideantur jam non abstenturi, nam admonendo fiet, ut sublatâ invincibili ignorantia peccent mortaliter aut saltem graviùs, cum antea vel bonâ fide vel saltem cum minore remorsu operantes, vel non peccarent, vel peccarent leviùs: postmodum tamen datâ occasione paulatim erunt disponendi & ab ejusmodi rebus abducendi.

Q. 6. Si mulier sit suspecta, an licitum sit 37
 per submersionem in aquam explorare, an sit saga:
 dicuntur enim sagæ habere ex pacto cum dæmone,
 ut licet immergantur, tamen non demergantur,
 sed supernatent. R. Non est hoc permittendum
 Magistratui, quia est aliquid insolens & non
 secundum Præscriptum Legum: Si tamen fiat,
 Less. in Auct. V. *Magia* c. 1. putat secluso scandalo
 non fore mortale, quia mea immersio nullum
 habet annexum pactum cum dæmone, sed pactum
 quod est inter dæmonem & sagam, respicit tantum
 supernatationem sagæ, quæ sequitur post meam
 immersionem, ego autem tantum volo per actionem
 de se indifferentem deprehendere, an mulier
 habeat illud pactum; sicuti, inquit Less. c. 3. si saga
 haberet pactum cum dæmone, ut quamvis pungeretur
 aciculis, tamen non sentiret dolorem, posset
 etiam Magistratus experiri, an ita esset, ob rationem
 jam datam: addit tamen ex ejusmodi indicio
 non licere procedere, nequidem ad torturam,
 præsertim gravem, sed tantum esse signum probabile,
 quod multis aliis junctum posset æquivalere
 semi-plenæ probationi.

Auctores alii communiter cum *Binsf. & Delr.* 38
 L. 4. c. 4. q. 4. & 5. damnant ejusmodi actiones, 1.
 Quia aliàs etiam liceret per ferrum candens vel
 prunas ardentes explorare, an aliqua esset adultera.
 2. Quia non licet cooperari actioni magicæ,
 uti dictum est L. 2. n. 271. nec communicare
 cum dæmone, nec sagam inducere ad illicitum
 usum sui pacti.

Ad has rationes *Respondet Less.* Ad 1. n. conseq.
 hic enim esset tentatio Dei, quia expectaretur 39
 effectus miraculosus, quod non est de immersione
 in aquam. Ad 2. dicit nihil horum fieri,

sed immergentem ista omnia tantum permittente, uti non censeor communicare cum hoste, nec concitare cives ad rebellionem, si, ut explore, an non habeant pactum cum hoste, eurem noctu horâ 12. in mœnibus accendi facem, de quo signo pro me invadendo dicebatur esse conventum inter illos, nec ideo sum causa, nisi tantum permissiva, quod cives viso signo renovent voluntatem rebellandi, sed tantum dedi occasionem per actionem de se licitam.

40 Quidquid sit de his, sufficit nobis, quod Ecclesia Probam illam graviter probibuerit, uti fuse ostendit *Delrio*, hinc dicimus eam saltem ideo esse illicitam.

DUBIUM V.

Quid sit maleficium, & quomodo possit tolli.

41 **R**esp. I. Maleficium est vis nocendi aliis ex pacto & cooperatione dæmonis. Differt à Magia, quod hæc intendat facere mira, illud autem dirigatur ad nocendū, *Tol. L. 4. c. 16. Fill. T. 24. c. 8. q. 1.*

R. II. Maleficium aliud dicitur Amatorium seu philtum, cujus usus est ad carnalem amorem vel odium excitandum, dæmone hominis phantasmiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem: Unde patet, si maleficio sic infecti labantur, eos verè peccare, quia libertas non aufertur. Aliud dicitur veneficium, quo alicui personæ, vel ejus bonis damnum infertur. *Fill. l. c. n. 183. Azor. Tom. 1. L. 9. c. 26.*

R. III. Contra maleficia uti licet, 1. Remediis petitis ex medicina. 2. Exorcismis & Sacramentis Ecclesiæ, peregrinationibus, invocationibus Sanctorum. &c. 3. Destructione signorum,

per

per quæ dæmon nocet, absque alio tamen male-
 ficio, *Nav. & communiter alii.* 4. Si maleficus
 licito modo potest maleficium tollere, licet eum
 ad id accersere, rogare, imò etiam pecuniâ indu-
 cere, vel verberibus aut tormentis cogere,
 (non tamen interficere, si nolit) *Lugo, Dian. p. 8.*
T. 7. R. 53, idque etiam si constet eum id facturum
 per novum maleficium: sicuti ex causa licet
 ab usurario petere mutuum ad usuram. Ratio,
 quia cum habeam jus petendi, quod ab illo rectè
 præstari potest, & est indifferens, imputabitur
 illius malitiæ, si id malè faciat, *v. Sanch. Lib. 7.*
de mat. d. 95. n. 11. Fill. n. 192. Less. Lib. 2. c. 44. d. 6.
 contra *Delrio. 5.* Licet etiam contrarium signum
 positivum apponere, ex se tamen honestum, v. g.
 Si dæmon esset pactus cum malefico, se tamdiu
 nociturum, quamdiu maleficiatus se cruce
 non signaret, aut lavaret corpus, (nam plerumque
 fit cum tali aliqua conditione, v. g. ut tamdiu
 dureret, quamdiu manet aliqua ligatura, aut
 res aliqua certo loco defossa) licebit illi se signare,
 lavare, &c. *Suar. Less. n. 45.* Ratio est, quia
 non est intentio positivè recuperandi sanitatem
 eo medio, sed tantùm tollendi signum, & dissol-
 vendi pactum cum dæmone. Unde ulterius
 patet, licere repercutere sagam, quæ te tetigit,
 eâ enim repercussâ solet noxa cessare, ut habet
Less. loc. cit. & Sanch. d. 95. & 96. 6. Si maleficus
 non potest tollere maleficium, nisi per novum,
 non licet eum ad id inducere, quia id esset
 inducere ad peccatum, & actui intrinsecè malo
 cooperari, *Suar. Sanch. Less. & c. ll. cc.* 7. Si dubi-
 tetur, an possit finè maleficio novo tollere,
 non licet ab eo petere, ut habet *Lay. L. 4. Tr. 10. c. 4.*
n. 5. ex Sanch. & Suar. quia est periculum peccandi.

Facilius autem præsumi potest, eum, qui signa
 posuit, posse ea sine novo maleficio destruere,
 quàm eum, qui non posuit: unde si hic suam ope-
 ram offerat, prius erit examinandus de modo
 solvendi, v. *Laym. hinc. Bon. d. 3. q. 5. p. 5.*

Quæres: Quomodo Confessario agendum
 cum Divinatoribus, Magis, &c.

Resp. I. Examinandi sunt, præterquam
 de variis superstitionibus, I. Quo fine tali super-
 stitioni se addixerint, v. g. An ratione vehementis
 passionis, tristitiæ, vindictæ, avaritiæ, aut sancti-
 tatis nomen conciliandi, quæ eset sacrilega
 hypocrisis. 2. De apostasia, idololatria, & hæresi,
 abnegant enim Christum & Deum, renunciant
 Sacramentis, habent dæmonem pro Deo vel
 Sancto, nec damnatum putant aut miserum, &
 consequenter illius aseclas non esse damnandos.
 3. De blasphemis in Deum & Sanctos; de sacri-
 legiis; abutuntur enim rebus sacris, ut aqua
 benedictâ, Eucharistiâ, &c. 4. De luxuria
 commixtione cum dæmone. 5. De damnis
 Proximo illatis, *Suar. Sanch. Fill. c. 7. n. 180.*
Bonac. loc. cit.

Resp. 2. Monendi sunt, eos teneri, I. Pactum
 expressum, si quod habent cum dæmone, aut
 commercium, abjurare & dissolvere. 2.
 Libros suos, schedas, ligaturas, aliâque instru-
 menta artis comburere. 3. Comburere chiro-
 graphum, si habent: Si verò solus dæmon id
 habeat, non necessariò cogendus est, ut reddat,
 quia pactum sufficienter dissolvitur per pœni-
 tentiam. 4. Damna illata refarcire: ad quod
 proinde etiam tenetur Fiscus, (ubi veneficorum pilo-
 bona confiscantur) uti & hæredes, si ad eos bona apu-

deveficiu

deveniant, *Laym. l. c. Suar. Tom. 1. de rel. L. 2. c. 17. cc*
Sanch. L. 2. Mor. c. 40. n. 53. Fill. & c.

Resp. 3. à Parochis moneri, & à Confessariis cc
 examinari circa hoc Præceptum potissimum cc
 debent, 1. Opiliones, qui variis dediti esse solent cc
 observationibus, ut gregem suum à lupis, vel cc
 scabie, vel aliis incommodis tueantur. 2. Fabri cc
 ferrarii, qui circa equos sanandos utuntur verbis, cc
 vel ex Psalmis, vel ex Oratione Dominica cc
 desumptis. 3. Rustici, qui ad sananda pecora, cc
 inanibus & superstitiosis observationibus utun- cc
 tur, vel recurrunt ad peritos talium artium. 4. cc
 Vetulæ, quæ circa mulieres laborantes in partu, cc
 vel ex matrice, vanas & superstitiosas adhibent cc
 orationes. 5. Milites, qui deferunt secum cc
 sacra nomina, vel orationes, ad certitudinem, cc
 quòd in bello vel duello non sint vulnerandi, cc
 nunquam aquâ, igne vel subitâ morte perituri. cc

A D D E N D A.

Quæst. 7. Quomodo liceat tollere maleficium.
 R. Si fiat per aliquid de se non malum, quod 42
 tantum impediatur continuationem pacti, licitum
 est illud directè ponere, uti habet *Busenb. post Suar.*
2. Sanch. Less. Castrop. T. 17. d. 1. p. II. Hinc non ideo
 peccavit rusticus apud *Tamb. L. 2. c. 6. §. 2. n. 12.* qui
 cum audisset dæmonem pactum fecisse cum avaro
 sene, ut nemo thesaurum terrâ defossum inveni-
 ret, nisi qui supra locum pulverem comederet, ibi
 pulverem comedit & thesaurum invenit: Similiter
 licitum est Judicibus lavare maleficos & illorum
 pilos abraderè, quando torquendi sunt, si timeant,
 apud illos remanere aut in pilis occultari male-
 ficium, quo reddantur insensibiles ad tormenta:
 ratio

ratio est, quia per talia tantum tollitur dæmon hoc
 causa operandi. Notat tamen cum aliis *Sylvi. p.* de n
v. maleficium, superstitionem esse reiterare Con pete
 tractum Matrimonii ad tollendum maleficium licit
 quo impeditur copula, quia talis renovari Sam
 nec à Deo, nec à natura habet vim ad tollendu ex j
 ejusmodi maleficium. Similiter si dæmon decli face
 raret se non recessurum ab obsesso, nisi hoc v cito
 illud fieret, non esset licitum tale quid face *Buse*
 quasi obsequendo ejus consiliis aut dictis, est fore
 tamen licitum destruere omnia signa ab eo posita ut m
 quibus permanentibus dixisset se permansturam & ab
 hoc enim fieret in detestationem & destructione form
 omnis operis diabolici. excu

Quæst. 8. *An sit licitum uti effectu maleficii.* ab u
 43 Si sit alteri nocivus, patet non licere, quia fieri rati
 injuria: deinde quamvis non sit nocivus, si tamen pete
 debeat conservari à dæmone, qualis esset scienti salte
 quâ quis doctè respondet, assistente & suggeren cium
 dæmone, adhuc non licebit uti, quia continuaren cium
 pactum: Si tamen effectus semel positus possit appl
 sit independens à commercio dæmonis, uti est tens
 vera pecunia à dæmone tibi data, poteris illâ ut ne b
 nam licet peccaveris admittendo, tamen si te hui si ac
 poenituerit, rescidisti pactum, nec per se malu tiosu
 est uti pecuniâ, *Suar. Sanch. Bonac.* aliique mul per a
 cum *Castrop.* suprâ, qui etiam notant, quamv vanu
 dæmon sæpe surripiat uni pecunias, & det alter tias
 quamdiu tamen tibi hoc non constat, potes ut & n
 credendo attulisse v. g. ex fundo maris v. Qui
 ex thesauro perduto vel aliunde, nullâ cuiqua ut it
 factâ injuriâ. quia
 cum

44 Q. 9. *Si Medicus sciatur esse Magus, an sit licitum*
petere vel admittere curationem ab illo. R. Si nescia
 aut dubium sit, an sciat medium licitum sanant
 ho

hoc malum, sententia communis est cum *Sanch.*
 de mar. L. 7. d. 95. n. 13. & *Lesb.* L. 2. c. 44. n. 46. non licere
 petere vel admittere : Si autem sciat medium
 licitum sanandi, *Suar.* de superstit. L. 2. c. 18. n. 10.
Sanch. n. 12. *Lesb.* supra absolutè affirmant licere
 ex justa causa, quia petitur hoc, quod ipse potest
 facere licito modo, quòd autem faciat modo illi-
 cito, imputatur ejus malitiæ ; idem videtur tenere
Busenb. relatus n. 41 : Fatentur tamen Auctores illi,
 fore obligationem ex charitate monendi,
 ut medio licito utatur. Econtrà *Cajet. Delr. Wigg.*
 & alii absolutè negant id licere, non ex eo, quasi sit
 formalis cooperatio ad peccatum Magi, nam ab eo
 excusat justa causa, uti quando petis mutuum
 ab usurario vel juramentum à pejeraturo ; sed
 ratio, cur non liceat, ab illis datur hæc, quia sic
 petens vel admittens peteret vel admitteret, aut
 saltem se exponeret periculo habendi commer-
 cium cum dæmone, & ab illo admittendi benefi-
 cium, dæmon enim saltem mediatè per Magum
 applicabit medicamentum, ergo tu illud admit-
 tens & eo utens communicas, & admittis à dæmo-
 ne beneficium. *Conf.* nam *Sanch.* fatetur non licere,
 si advertatur medium esse vanum aut supersti-
 tiosum, sed quando prævidetur sanaturus
 per artem magicam, satis advertitur medium fore
 vanum aut superstitiosum, ergo. Has duas senten-
 tias fusè proponit *Bosco* de Sacr. d. 1. S. 8. à n. 70.
 & non immeritò magis inclinatur in posteriorem.
 Qui autem distinguunt, & dicunt licere petere,
 ut ita medeatur alteri, non verò, ut medeatur sibi,
 quia per hoc ipse non habebit commercium
 cum dæmone, sed tantum alter ; hi facile confu-
 tantur, nam reipsa peteres alteri beneficium
 à dæmone, & si permittens hoc sibi fieri
 habeat

habeat commercium cum dæmone, non potest esse licitum ad hoc inducere alterum. *Si dicatur nimis durum est sic suam vel alterius mortem permittere, cum posses avertere. Respondet S. Chrysostomus Orat. 5. adversus Judæos, si repuleris incantamenta, veneficia ac magicas artes, etiamsi morbo moriar. Martyr perfectus fueris, eò quòd aliis pollicentibus morbi levationem cum impietate, præoptaris mortem cum pietate.*

C A P U T II.

De Irreligiositate ejusque speciebus.

» **I**RRELIGIO, quæ Religioni opponitur per defectum, vel tendit directè ad irreverentiam Dei, & est Tentatio Dei aut Perjurium; vel tantùm tendit ad irreverentiam rerum sacrarum, & est Sacrilègium, aut Simonia. De Perjurio, in secundo Præcepto: de reliquis hìc.

D U B I U M I.

Quid sit Tentatio Dei.

45 » **R**ESP. Tentatio Dei est dictum vel factum quo quis explorat, num DEUS sit potens, sapiens, misericors, aut aliquam aliam perfectionem habeat. *S. Th. 2. 2. q. 97. a. 1. Sancti &c.*
 » Ea est duplex, scilicet vel Formalis, quando quis expressè dubitans de aliqua Dei perfectione, ea experiri cupit; ut si quis petat miraculum, quo patefiat Fidem Catholicam esse veram; vel
 » det se præcipitem ex turri, ut experiatur, an Deus sit misericors, eum eripiendo à læsione: vel
 » est implicita & interpretativa, quando quis
 » etsi expressè non intendat DEUM tentare

id tamen petit vel agit, quod suapte naturâ eò
 referri videtur; ut si quis se committat periculo,
 à quo vel nullo modo, vel vix possit eripi,
 nisi miraculosè; vel si media naturalia omittat,
 sperans à solo Deo effectum, v.g. in morbo peri-
 culoso respuens medicinam, petensque ac sperans
 à Deo temerè sanitatem, *Nav. Man. c. ii. n. 40. & 41.*
Lesb. L. 2. c. 45. n. 4. Item si finè necessitate & causa,
 rudis absque præparatione velit concionari,
 sperans à Deo sibi suggerendos conceptus, *Suar. cc*
Sanch. Lesb. Laym. L. 4. T. 10. c. 5. Unde resolves: *cc*

I. Tentatio Dei Formalis est peccatum ex
 genere suo mortale, in quacunq; etiam materia.
 Ratio, quia includit dubitationem de perfectio-
 nibus Dei, quæ in gravem Dei contemptum
 redundat; vel magnam irreverentiam, curiosius
 agendo cum Deo quasi cum ludione, *Lesb. l. c. cc*
Sanch. l. i. Mor. c. 34. n. 5. Suar. & alii communiter. cc

II. Interpretativa tentatio, cui dubitatio illa
 deest, plerumque est tantum peccatum veniale,
 ob imperfectionem actûs, ignorantiam, inconfi-
 derationem, vel parvitatem periculi. Imò sæpe
 nullum est peccatum, quando scilicet justa causa
 subest, v.g. Dei instinctus, necessitas, vel pia uti-
 litas, *Suar. Tol. L. 4. c. 19. n. 6. Cajet. S. Th. 2. 2. q. 97. cc*

III. Si quis in puteum se conjiciat, ad decla-
 randam Dei erga se providentiam; aut
 supra prunas ambulat, ad innocentiam osten-
 dendam, est interpretativa tentatio Dei. Ut
 etiam sunt ex probationes, quæ fiunt per ferrum
 candens, aquam ferventem vel frigidam, &c.
 de quibus *v. Binsfeld. & Delr. L. 4. disq. q. 4. & 5. cc*
 Licet enim Deus aliquando tales purgationes
 miraculosè comprobaverit, id contigit, vel
 quia

» quia Deo inspirante factæ sunt, vel quia innocen-
 » tes ad eas compulsi, sunt liberati, *Bonac. d. 3. q. 9.*
 » *Prop. 3.*

A D D E N D A.

46 Quæst. 10. *An sit tentatio Dei, si petas, ut Deus
 voluntatem suam manifestet aliquo miraculo.* *R.*
 Negat *Valentia*, quamvis admittat esse irreveren-
 tiam erga Deum, quia nimium petitur. Ratio
 ipsius est, quia talis non dubitat de aliqua
 perfectione Dei, quod ad tentationem Dei requi-
 ritur, sed tantum dubitat de objecto volun-
 tatis divinæ. Econtrà affirmat *Castrop. T. 17. d. 2.*
p. I. n. 3. citans pro se *S. Thom. & alios*, quia vult
 explorare voluntatem Dei mediis indebitis
 addit tamen, si causa petendi adsit, & quis humi-
 liter petat signum aliquod divinæ voluntatis, v. g.
 pro confirmatione suæ Fidei aut pro re periculosa
 aggredienda, non fore peccatum; tum autem
 petetur humiliter, inquit *Suar. cum Sanch. L. 2.*
c. 34. n. 9. si paratus sit credere aut facere, quod judi-
 cabit Deum velle, quamvis signum non conce-
 datur.

47 Q. II. *An sit tentatio Dei, offerre se ad martyrium.*
R. Est, si fiat temerè & absque justa causa, ita *Nax-*
Lop. aliique cum *Sanch. n. 15.* quod ex *S. Thoma* sic
 probat n. 1. & 2. quia talis interpretativè & implic-
 itè sumit experimentum de Dei Potentia &
 Providentia, cum finè necessitate aut utilitate justa
 ad id cogente expectet à solo Deo effectum con-
 stantiæ & victoriæ inter tormenta ordinariè exce-
 dentia vires naturales, quærítque periculum,
 à quo nullatenus, aut vix liberari potest,
 nisi à solo Deo. Tum autem tantum est justa causa,
 quando adest præceptum vel consilium Martyrii.
 tum

rum adest Præceptum, quando est necessarium ad Fidem vel salutem multorum servandam, ad vitandas blasphemias, &c. Tum adest consilium, quando sentitur peculiaris Dei instinctus, aut ex eo nil aliud quæritur vel consequitur, nisi Dei gloria & Fidei exaltatio: de cætero finè tali causa provocare Tyrannos, infideles aut hæreticos ad inferendum Martyrium, etiam est cooperari ad peccatum illorum, uti cum aliis docet *S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 3.*

DUBIUM II.

Quid & quoruplex sit Sacrilegium.

Resp. Sacrilegium est violatio rei sacræ, hoc est, dicatæ cultui divino, & peccatum mortale ex genere suo, si opus specialiter repugnet cum rei sanctitate; non verò, si generaliter tantum repugnet; quomodo omnia peccata mortalia generaliter repugnant sanctitati, v.g. templi, ita ut ibi cum veniali peccato committantur. Est autem Sacrilegium triplex, Personale, quo persona; Locale, quo locus; & Reale, quo res aliæ violantur, *S. Thom. 2. 2. q. 99. a. 3. & ceteri Theologi. Unde resolves.*

I. Personale Sacrilegium est percussio Clerici; ce pertractio ejusdem ad iudicium sæculare; item ce luxuriosa violatio personæ Deo per votum ce Castitatis sacratæ, de qua *v. inf. T. 4. c. 2. de 6. Prac. ce Dub. 2.*

II. Locale Sacrilegium est omnis actus, quo ce Ecclesia polluitur, ut est v.g. occisio hominis, ce effusio humani sanguinis vel feminis; illicita ce & notoria sepultura excommunicati, vel ce

D

non

» non baptizati : item si actus quidam profani
 » fiant in Ecclesia, & repugnantes ejus immuni-
 » tati, ut si negotiationes, illiciti concubitus, &
 » spurcicies, seditiones, Concilia secularia, stabula-
 » tiones equorum, incendia, effractiones, spoliatio-
 » nes. Item, si materia rei sacrae vel Ecclesiae directe
 » ad profanos usus convertatur: Si Reus ex Ecclesia
 » velut asylo extrahatur, (nisi tamen sit latro
 » publicus, vel nocturnus populator agrorum, vel
 » enorme maleficium fiducia asyli istuc commise-
 » rit.) Denique si furto auferantur res Ecclesiae,
 » aut ibi depositae, *Laym. L. 4. Tract. 10. c. 7. Bon. q. 6.*
 » Si verò res ablata fuerit per accidens tantum
 » in Ecclesia, v. g. crumena viri divitis, probabi-
 » liter non committi sacrilegium, docet *Dian. p. 1.*
 » *T. 7. R. 27. ex Fagund. præc. 2. l. 4. c. 4. n. 9. & 12. &*
 » *sex aliis, contra Suar. Laym. & alios.*
 » III. Reale sacrilegium est indigna tractatio &
 » administratio Sacramentorum; ut si ministren-
 » tur vel suscipiantur cum peccato mortali. Item
 » profanatio vasorum & instrumentorum sacro-
 » rum, v. g. si quis calice utatur in convivio;
 » ornamenta altarium vel Sacerdotum ad usus
 » profanos applicet : intellige de iis, quæ conse-
 » crari, vel saltem benedici solent, nam
 » ad nuptias vel communem usum adhibere tape-
 » tes, candelabra, pelvim, imò & manutergium, &
 » cætera, quæ mediatè serviunt ministerio sacro,
 » non esse peccatum docet *Tamb. de expedit. sacrif.*
 » *L. I. c. 2.* nisi fiat ex aliquo contemptu saltem
 » implicito, ut si semper & indifferenter sic utaris
 » supradictis. Atque idem affirmat de candelis,
 » ramis, aqua, incenso, & similibus benedictis,
 » quòd in modicis istis benedictionibus non aga-
 » tur cum tanto rigore ab Ecclesia, ut patet

in pane, ligno, carbonibus &c. benedictis, v. *Tamb.* cc
 §. 3. Item violatio vel indigna tractatio sacra-
 rum imaginum & Reliquiarum. Item abusus
 Scripturæ Sacræ, v. g. ad stabiliendas hæreses vel
 res turpes. Item raptura bonorum Ecclesiæ,
 suppressio piorum legatorum, vel Jurium Eccle-
 siæ fraudatio &c. v. *Fill. Tr.* 24. c. 9. *Regin.* l. 19. n. 57. cc
Suarez.

IV. Peccatur etiam Sacrilegio, peccato omissi-
 onis, v. g. si, quæ ad Sacrificium spectant, ut corpo-
 ralia & similia, sint valde immunda, *Bon. Tom.* I. cc
de Euchar. disp. 4. q. ult. p. 9. n. 24.

V. In Confessione exprimenda est species &
 materia Sacrilegii. Ratio prioris, quia sæpe
 diversam malitiam habet; v. g. percussio Sacer-
 dotis, & fornicatio cum eodem. Ratio poste-
 rioris, quia etiam materia aliquando auget &
 addit malitiam, v. g. si sit contra Eucharistiam,
 addit secundum *Gordonum*, communi violationi
 rei sacræ aliud peccatum contra Latriam. Attin-
 gere autem nudâ manu calices, patenas, aras,
 agnos cereos, &c. chrismate delibuta, non licet
 feminis & laicis: Citra contemptum tamen
 non est mortale, si vacua sint; & si causa sublit,
 nec veniale, *Suar. Tamb.* §. 1. Sinè causa autem,
 veniale esse docet *Suar. Kon. & alii communiter*:
 licet *Tamb. l. c.* ex *Sa &c.* contrarium censeat
 probabile: uti & si corporalia vel purificatoria
 laventur ab iisdem, v. *Tamb.* §. 2. Cetera autem,
 quæ Eucharistiam immediatè non contingunt,
 nec chrismate unguuntur, ut mappas, vestes sacer-
 dotales, immediatè contingere omnibus licet,
Suar. Laym. Tamb. l. c. ubi ex *Palao, &c.* idem
 concedit de reliquis: sicut etiam, ut easdem
 thecis inclusas penes se habeant, vel laici

in publicis processionibus gestent. Idem docet
 cum *Laym.* de pyxide sive ciborio, & lunula
 benedictis, quando sacram Eucharistiam
 nondum continuerunt. Item de Corporalibus,
 pallis & Purificatoriis, quando post sacrum usum
 lota sunt, ex *Laym.* & *Bon.* Imò etiam ante lotio-
 nem, *Laym. Tamb. l. c.*

A D D E N D A.

49 Q. 12. *Quandonam præterea censeatur committi sacrilegium.* R. §. 1. Sacrilegium committitur, quamvis ille, cujus res est, consentiat, v. g. Sacrilegium est profanare Ecclesiam, licet impius Papa vel Episcopus juberet; sacrilegium est percutere, quamvis consentiat Clericus percussus; ratio est, quia adhuc fit læsio seu injuria rei dicatæ Deo ad talem actionem invito, ita *Castr. T. 17. d. 2. p. 3. §. 1.*

50 §. 2. Sacrilegium est vim inferre Ecclesiæ vel innocentibus in ea existentibus, etiam si instar arcis munita esset ad defensionem innocentum, qui se aliter defendere nequeunt: Si tamen esset munita ad vim inferendam hostibus, liceret expugnare, diruere vel incendere, ita cum aliis *Steph. T. 3. d. 3. n. 55.* addens licitum esse abducere omnia arma & tormenta bellica ab ecclesiis, quæ ibi collecta sunt, ne videlicet hostis illis utatur.

51 §. 3. *Valent.* & alii putant committi sacrilegium, si quis Ecclesiastico furetur aliquid titulo Ecclesiastico acquisitum, v. g. per recitationem Horarum in Choro, sed *Azor, Suar. & Castrop.* suprâ probabilius negant, quia nullum Jus circa hoc invenitur favens magis personis Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus: Si tamen læderentur bona, quæ non sunt sub dominio Ecclesiastici, sed tantùm sunt deputata servitio Ecclesiæ, aut specialiter attributa sustentationi Ministrorum ejus, censent

censent *Castrop. & Tamb. L. 2. c. 6. §. 3. n. 9.* fore sacrilegium, non adversus personam, sed rem sacram. Quod si bona tantum remotè sint destinata Ecclesiæ, v. g. per Testamentum, sed necdum possessa, *Busenb. ex Suar. Fill. Regin.* resolvit etiam cum *Leß. Valent.* & aliis fore sacrilegium, si quis ea rapiat aut violet, sed negant *Castrop. & Tamb. n. 10.*, quia talis remota destinatio non videtur sufficere ad faciendum rem esse actu sacram.

§. 4. Defraudare Decimas non est Sacrilegium, 52
sed injustitia & irreligiositas Sacrilegio peior, injustitia quidem in homines, & irreligiositas in Deum, *Castrop. n. 9. & Tamb. n. 11.* Ratio est, quia homines à Deo Jus habent exigendi Decimas, & solutio Decimarum est præcepta in recognitionem supremi dominii Dei, uti dicitur L. 4. n. 1361.

§. 5. Furari Reliquias, etiam devotionis causâ, 53
est Sacrilegium, *Sa, Alloza v. Sacrilegium:* estque peccatum grave vel leve, prout Reliquiæ sunt, uti dicitur hic n. 1003.

§. 6. Circumstantia temporis sacri non addit 54
rationem Sacrilegii, v. g. licet quis peccet die festo vel in Quadragesima, non ideo committit Sacrilegium, quia (proprie loquendo) non tempus ipsum, sed res in tempore Deo sacrantur, *Castrop. §. 2. n. 11.* Esset tamen specialis irreverentia, v. g. erga Passionem Christi, si quis die Veneris sancto haberet ludicram comœdiam, uti rectè *Tamb. n. 12.*

§. 7. Aliqui putant violationem cujuscunque 55
voti, v. g. si quis violet votum dandæ eleemosynæ, esse Sacrilegium, quia res per votum est Deo dicata, ergo qui violat, est sacrilegus: Sed *Suar. Castrop. n. 2. & Tamb. n. 13.* probabiliter negant, quia pecunia, quam vovisti dare pauperi, nondum censetur esse res Deo dicata, sed tantum

est res destinata ad executionem voti, per quod non fit sacra, ergo tantum peccabitur directe contra fidelitatem Deo debitam, non autem contra rem aliquam Deo sacratam, quod ad sacrilegium requiritur.

DUBIUM III.

De Simonia.

ARTICULUS I.

Quid sit, & quotuplex.

- 56 **R** *Esp.* Simonia est studiosa voluntas emendi
 aut vendendi pretio temporali aliquid spiri-
 tuale vel spirituali annexum. *D. Th. 2. 2. q. 100.*
d. 1. Laym. l. 4. Tract. 10. c. 8. & c. Dicitur 1. *Voluntas*
emendi, & c. quibus verbis intelligitur quivis
 contractus onerosus, sive venditionis, sive loca-
 tionis, sive permutationis aut renunciationis;
 quia Simonia non consistit sine pactione aliqua
 tacita vel expressa, & obligatione ex pacto: quod
 addo, quia obligatio naturalis quaecunque,
 ut gratitudinis, sive antidotalis, non sufficit;
 v. g. quando quis sperat vel intendit tantum,
 non tamen obligat, *sa v. Simonia.* Ratio, quia
 non facit contractum. *v. Bonac. Tom. 3. de Sim. d. 1.*
q. 6. p. 1. Less. lib. 2. c. 35. d. 1. Dicitur 2. *pretio temporali,*
 sive illud sit muneris, sive linguæ, ut est laus, vitu-
 perium, patrocinium; sive obsequii & famulatus.
 Dicitur 3. *spirituale,* quo nomine intelligitur res
 supernaturalis ad salutem ordinata, sive fit for-
 maliter talis, ut gratia, & dona Spiritus Sancti;
 sive

sive causaliter, ut sunt Sacramenta, concio, preces, & Sacramentalia; sive sit effectus & usus potestatis supernaturalis, ut est consecratio, absolutio, dispensatio, benedictio, excommunicatio, electio, presentatio, confirmatio, collatio beneficii, alique actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Dicitur 4. *spirituali annexum*, ad comprehendendum ea, quæ non sunt per se spiritualia, sed ad ea ordinantur, iisque sunt annexa; sive antecedenter, ut Jus Patronatus respectu beneficii, vasa & vestes sacræ respectu Sacramentorum: sive concomitanter, ut labor in administratione Sacramentorum, juxta sensum infra dicendum: sive consequenter, ut redditus beneficiorum, qui dantur propter officium spirituale. Unde patet malitiam Simonix consistere in irreverentia, quæ committitur, dum res spirituales instar temporalium pretio æstimantur & contractibus subjiciuntur, atque esse peccatum mortale ex genere suo, nec veniale fieri posse ex materiæ levitate, quia nullum donum gratiæ, licet parvum, potest vendi sine gravi irreverentia, tum ipsiusmet doni, tum etiam Dei. Potest tamen esse veniale ob actus imperfectionem & ignorantiam, *Suar. Tom. 3. de rel. l. 4. c. 36. Azor. Fill. t. 45. c. 1. Laym. l. c. Leß. l. c.*

R. 2. Simonia est triplex: *Prima* dicitur Mentalis, cum exterius vel nihil datur temporale, (& dicitur Purè mentalis;) vel cum aliquid datur, & dicitur Mixtè mentalis, cum intentione obligandi ad reddendum spirituale, sine ullo pacto externo. *Secunda* dicitur Conventionalis, quæ ad ipsum pactum exterius procedit sine reali executione; diciturque Pura, si sistat in mutua conventionem: Mixta autem, si de reali

„ & conventionali aliquid participet , ut v. g.
 „ si ex altera tantum parte realiter compleatur.
 „ Atque huc reducitur Simonia Confidentia,
 „ cum quis alteri dat beneficium, ut illud sibi vel
 „ alteri resignet, vel cum onere dandi certam par-
 „ tem fructuum. *Tertia* dicitur *Realis*, quæ scilicet
 „ utrimque realiter compleatur. v. *Leß. d. 6.*
 „ 2. Simonia dividitur in eam , quæ est
 „ *Juris Divini*, estque prohibita propter mali-
 „ tiam suam, v. g. Hostiam consecratam vendere;
 „ & eam, quæ est *Juris humani*, estque mala tantum
 „ propter prohibitionem : Et sic ab Ecclesia
 „ prohibetur, 1. Venditio beneficiorum,
 „ secundum id, quod in ipsis temporale est, scilicet
 „ quoad Jus præcisum percipiendi fructus. 2.
 „ Venditio officiorum extrinsecè tantum ordina-
 „ torum ad res sacras, v. g. Sacristæ, Oeconomi,
 „ Advocati Ecclesiæ, Thesaurarii. 3. Oblatio pecu-
 „ niæ alicui facta, ut suadeat alteri, ut det benefi-
 „ cium. 4. Pactio de resignando beneficio vel
 „ solvenda pensione, si alter beneficium tibi impe-
 „ tret. 5. Permutatio & resignatio beneficiorum;
 „ item reservatio pensionis ex beneficio resignato;
 „ & in casu permutationis beneficiorum, æquatio
 „ fructuum, &c. si absque Superioris autoritate
 „ fiant: quæ si accedat, licita erunt. 6. Acceptio
 „ muneris, etiam sponte oblati , pro examine
 „ ad Parochiam, ex *Trident. Sess. 24. c. 18.* Pro colla-
 „ tione Ordinum, pro Tonsura, literis dimissoriis,
 „ ex *Trid. Sess. 21. c. 1.* Excipitur tamen decima pars
 „ aurei pro Notario, si salarium non habet, &
 „ consuetudo permittat. 7. Exactio pecuniæ
 „ pro admissione ad Religionem, non pro statu
 „ tantum, is enim spiritualis est , ideoque Jure
 „ Divino invendibilis , sed etiam pro onere
 „ susten-

Sustentationis ; nisi Monasterii tenuitas vel
 consuetudo contraria excuset. *v. Laym. c. ult. cc*
Bon. d. 1. q. 1. & 2. Lef. d. 10. & 12. Azor. 3. p. t. 12. c. 14. cc
Ex dictis resolves:

I. Simonia est, concionari, catechizare, cc
 Misfas facere pro pretio, nisi excusetur ratione cc
 laboris, non intrinseci (is enim facer est & inæsti- cc
 mabilis, scilicet vel ipsa actio sacra, vel in ea cc
 intrinsecè inclusus) sed extrinseci non annexi cc
 rei spirituali, ut pro labore itineris, vel cantus cc
 in Misfa, vel ratione alterius incommodi, pretio cc
 æstimabilis. Ratio, quia illæ actiones ex natura cc
 sua ordinantur ad aliquid supernaturale, & cc
 ad salutem, non autem ad aliquid temporale : cc
 sicut doctio quæcunque, etiam Theologiæ, cc
 quæ pretio æstimabilis est, *Bon. l. c. ex Suar. Fill. cc*
& c. v. infral. s. t. 3. c. 4. d. 1. Laym. l. c. §. 4.

II. Item Simonia est, dare vel accipere pretium cc
 pro absolutione à peccatis, censuris ; pro dispen- cc
 satione in voto, juramento, impedimento matri- cc
 monii, irregularitate, &c. Potest tamen in his cc
 aliquid exigi per modum mulctæ, ad causam cc
 piam applicandæ, *Laym. §. 2. n. 24.*

III. Non est Simonia, dare aliquid ad redi- cc
 mendam vexam à negante Sacramenta in neces- cc
 sitate, *Suar. Lef. d. 7. & 18. Laym.* Vel ab iniquè cc
 impediante electionem vel possessionem bene- cc
 ficii, ad quod Jus in re habes: Quod addo, quia cc
 si nondum habes jus in re, etsi possis redimere cc
 vexam ab eo, qui tantum potest obesfe, cc
 non tamen ab eo, qui & prodesse & obesfe potest. cc
 Ratio est, quia non datur tanquam pretium cc
 æquivalens rei spirituali, sed ut alter ad officium cc
 ritè præstandum inducatur. Nec similiter Simo- cc
 nia est, dare stipendium ad sustentationem Clerici cc

» etiam divitis, pro Missis, concionibus : aut de eo
 » etiam pacisci. Ratio, quia non datur tanquam
 » pretium spiritualis officii, sed personæ in alterius
 » gratiam occupatæ : nec pro operatione spirituali
 » ut spiritualis est, sed ut in alterius gratiam
 » suscepta ; proindeque non est eleemosyna, sed
 » debitum Justitiæ, *Suar. Laym. l. c. & alii*
 » contra *Rich. Sylv. & alios.*

» IV. Non est Simonia, reddere vel redimere
 » pensionem merè temporalem, quia non funda-
 » tur in titulo spirituali, nec refertur ad functio-
 » nem spirituales. Dixi, *temporalem*, quia spiri-
 » tualis, quæ datur v. g. Concionatori vel Coadju-
 » tori Episcopi propter Officium Ecclesiasticum,
 » in eoque fundatur, nec differt à beneficio, nisi
 » quòd non sit perpetua, vendi nequit : mixta verò
 » ut, v. g. quæ datur Parocho seni vel Clerico
 » pauperi ad sustentationem, non quidem vendi
 » potest, redimi tamen potest, modò obligatio
 » recitandi Officium B. V. imposita non extingua-
 » tur. Quod intellige, si in loco, ubi fit venditio,
 » Bulla sit recepta. Ratio, quia qui pensionem
 » redimit, non emit Jus spirituale, sed extinguit
 » onus temporale solvendi certam summam pecu-
 » niæ, *Lesf. d. 22. Suar. c. 26. n. 5. Laym. n. 46.*

» V. Non est Simonia Juris Divini,
 » (etsi quandoque Juris humani esse possit)
 » spirituale cum spirituali permutare, v. g.
 » beneficium pro beneficio, Reliquias cum Reli-
 » quiis, &c. Vel dare temporale pro temporali; ut
 » si calicem, vel Agnos Dei præcisè ratione mate-
 » riæ vendas : vel dare temporale pro spirituali,
 » per modum doni gratuiti, etiam cum spe
 » vel intentione excitandi ad remunerationem
 » doni spiritualis, vel contra. Ratio est, quia
 » grati-

gratitudo non respicit pretium, sed beneficium; nec solvit debitum Justitiæ, sed antidorale; quo non excluditur, quin gratis detur. Rectè tamen monet *Suar.* hujusmodi dona, ob præsumptionem valde cavenda. Item, donare, promittere, vel legare temporale quippiam, sub conditione operis spiritualis præstandi, modò non fiat per modum retributionis, seu commutationis, ut v. g. si Parens filio promittat munus, si Sacramenta frequentet. Ratio, quia hìc non intervenit contractus onerosus, sed sinitur, vel in liberali donatione, vel donatione sub tali conditione & modo, *Suar. l. 4. c. 45. Laym. l. c. 5. 2. num. 8. & alii.*

A D D E N D A.

Q. 13. *An Simonia bene dividatur in eam, quæ est Juris Divini seu naturalis, & in eam, quæ est Juris humani sive Ecclesiastici.* R. Negat *Gonet* in *dis. de probat. n. 147.* dicens distinctionem illam esse inventam à recentibus Casuistis; rationem dat, quia nec homines, nec Ecclesia possunt mutare naturas rerum, ergo non possunt facere, ut hoc sit Simonia, quod in se non est Simonia: è contrà *Suar. de Relig. T. I. T. 3. L. 4. c. 2. 7. & 24.* fusè probat illam divisionem esse traditam à plurimis Antiquis, hinc dicendum cum *Carden. in 2. Cris. d. 27. à n. 7.* dari Simoniam Juris humani seu Ecclesiastici; neque ex eo sequitur, quòd homines aut Ecclesia mutant naturas rerum, nam prohibendo, v. g. permutationem beneficiorum propriâ auctoritate faciendam, idque ex motivo Religionis, facit materiam illius Præcepti esse materiam Religionis, secundum dicta *L. I. n. 626*: quod magis explicabitur hìc n. III, consequenter dicendum, quòd

quòd Simonia, prout definitur à *Busenb.*, sit sumptu-
 strictissimè; in genere autem, prout est communis
 Simoniæ Juris divini & humani, sic debeat defini-
 niri: *Contractus à Lege prohibitus intuitu Religionis*
circa spiritualia aut spiritualibus annexa: hæc defini-
 nitio fundatur in Jure Canonico, nam c. *Quæstio*
de rerum permutat. dicitur, *Pactio circa spiritualia*
vel connexa spiritualibus labem semper continet
Simonia: Et Cap. fin. de pactis, *Pactiones factæ*
à vobis pro quibusdam spiritualibus obtinenda
cùm in hujusmodi omnis pactio omnisque conventio
debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti
 idem dicitur Cap. *Tua nos*, 34. de Simonia, ubi
 expressè dicitur fieri non posse ejusmodi pactionem
 sine vitio Simoniæ: Similiter in *Trid. Sess. 24. c. 1.*
 de Reform. dicitur, quòd dans vel accipiens aliquod
 occasione concursus ad beneficium curatum, si
 faciat ante sive post eum concursum, nihilominus
 committat Simoniam, non Juris naturalis a
 divini, uti patet, ergo Ecclesiastici, nempe
 propter prohibitionem Ecclesiæ ex tali motu
 Religionis factam. Vide *Illsung. t. 5. n. 311.*

58 Q. 14. *Quid notandum sit circa Simoniam mentalem*
 R. seqq. §. 1. Difficile est eam explicare: *Steph. Tract.*
d. 11. n. 31. ait, Est intentio accipiendi vel dandi aliquod
temporale velut pretium pro spirituali: Sed *Less. L.*
c. 35. n. 35. ait, Simonia mentalis propriè hoc loco non est
tantum internum propositum, quo quis vult exterius
simoniacè contrahere (quanquam hoc etiam sic appe-
lari possit, uti propositum furandi dicitur furtum
mentale) sed est propositum, quo quis conferens alteri
spirituale, intendit illum obligare ad reddendum
temporale vel contra, idque sine ullo pacto externi
Rayn. de Benef. L. 2. Sect. I. c. 2. n. 5. Simonia mentalis
(inquit) habet pro objecto externam commutationem

rei spiritualis velut mercis, pro temporali velut pretio. Sed tota difficultas est, quomodo possit quis esse Simoniacus mentaliter, cum nemo tam fit insipiens, ut credat aut possit velle alterum obligari suo actu interno: Et ideo Pirb. L. 5. T. 3. n. 7. sic habet, *Mentalis Simonia non est nudum internum propositum committendi Simoniam* (hoc enim modo etiam datur mentale furtum) *sed est illa, qua habet adjunctum opus externum, quod tamen nullo signo exteriore apparet esse simoniacum, uti si quis rem spiritualem alicui conferat tanquam compensationem ex Justitia debitam pro re temporali ab ipso accepta; vel animo obligandi alterum ad reddendam rem temporalem tanquam ex Justitia debitam pro re spirituali, vel cum intentione obligandi ad reddendam vicissim rem spiritualem, nullo tamen pacto expresso vel tacito interveniente, v.g. si quis inserviat Episcopo hac intentione, ut pro mercede ei conferat beneficium, sine ulla tamen conventionione externa verbis vel signis facta, is accepto beneficio erit mentaliter Simoniacus.* Cum illo planè consentit Laym. L. 4. T. 10. c. ult. n. 67. sic habens, *Mentalis simonia dicitur hoc loco, non ea, qua in sola mente sive proposito consistit committendi simoniam sed qua in externum opus transit, quod licet exterius nullo modo nec per se, nec propter adjuncta simoniacum appareat, ex sola tamen intentione & affectione tale est, videlicet si aliquis rem spiritualem alicui conferat, quasi eam ex Justitia debeat pro obsequio, v.g. temporali ipsi exhibito, licet nulla, neque expressa, neque tacita pactio antecederit; & vice versa, si aliquis rem temporalem alicui conferat, quasi ex obligatione Justitiae eam debeat pro re spirituali sibi ab altero collata, nullam omnino antecedente pactioe.* Eodem modo etiam explicat Suarez c. 41. ubi n. 3. ait:

Quando

Quando simonia dividitur, divisum debet esse simonia aliquo modo externa habens aliquem effectum vel actum sensibilem & humanum circa alterum, nam debet consistere in aliquo genere contractus donationis ac receptionis, hac autem simonia mentalis dicitur quando actus exterior, qui in illa intervenit, talis est ut in illo non statim appareat malitia simoniae, nec in his, quae circumstant actum, probari possit fit autem pravâ & simoniacâ intentione, cujus est capax, & tunc dicitur mentalis, quia licet externum actum seu effectum habeat, malitia tamen ipsa non exterius se prodat, sed in mente manet. Idem Suarez c. 44. n. 8. dicit, quod Simonia mentalis propriè dicta seu interna constituatur per voluntatem dandi rem temporalem ut pretium rei spiritualis, adeoque, inquit Sot. Illa præcisè simonia mentalis censetur, cujus objectum est quasi simonia realis, quia scilicet est intentio dandi vel recipiendi spirituale pro pretio temporali, uti re ipsa fit in Simonia reali. Si dicas, quod antè, quomodo fieri potest, ut nullo interveniente pacto aliquis intendat obligationem, cum hæc à pacto pendeat. R. Intendens potest cogitare pendere ex re ipsa hinc intendit accipere rem spirituales tanquam debitam ratione rei temporalis à se exhibitæ vel exhibendæ: deinde dans spirituale potest credere dari temporale pro pretio, & potest intendere illo modo accipere, si autem ex vi talis intentionis exterior datio vel acceptio imperetur, jam intenditur temporale velut pretium sub obligatione, quam præsumit apprehendi ab altero.

59 §. 2. Simonia mentalis committi potest, non solum in Simonia Juris naturalis vel divini, sed etiam humani tantum: est communis cum Suar. n. 16. contra Glosam; ratio est, quia volunt

voluntas faciendi, quod Ecclesia prohibet, mala est, licet non progrediatur ad pactum externum.

Quæst. 15. *An sit simonia mentalis, si spirituale intendatur vel fiat principaliter propter temporale, aut contrà.* R. S. I. Carden. in 2. Crisi d. 27. c. 5. a. 2. absolute affirmat: idem dicunt multi apud Suar. c. 44. à n. 1, consentit Leur. p. 3. q. 744. n. 2. Probant autoritate S. Th. Quodl. 8. a. II. *Quæritur, utrum ille, qui vadit ad Ecclesiam propter distributiones, aliàs non iturus, peccet, & sic respondetur, si hujusmodi distributiones respicit quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit, & ita mortaliter peccat: si autem habet finem principalem (Deum) in tali actu, ad hujusmodi autem distributiones respicit secundario, non quasi in finem, sed sicuti in id, quod est secundarium ad sui sustentationem, constat, quod non vendat actum spirituales, & ita simoniam non committit, nec peccat, sic enim acquisitio distributionum non erit causa, quare ad Ecclesiam vadat, sed proprie hujusmodi determinatio, quare nunc vadat & non alià vice: quandonam autem temporale fit causa principalis, cur fiat spirituale, varii variè explicant, Silv. Suar. aliique Canonistæ dicunt tum esse, quando finè ea intentione & spe non fieret spirituale; Navar. & alii dicunt tum esse, quando temporale magis intenditur: Ratio autem, cur videatur tum esse Simonia, est hæc, quia hoc est æquivalenter vendere actionem spirituale, sicuti enim, qui servit Domino propter mercedem, vendit actionem suam, quia commutat eam cum illa mercede, ita qui facit actionem spirituales propter temporale, vendit spirituales, quia commutat cum temporali. Ex his infert Carden. esse Simoniam, si quis Missam celebret, Sacramenta administret, concionetur, oret Horas &c. propter stipendium vel emolumentum temporale*

temporale

temporale tanquam propter finem principalem. Si tamen principaliter intendat Dei honorem vel bonum spirituale suæ animæ aut Proximi, fatentur non peccare, quia temporale est tantum finis secundarius & impulsivus, determinans ad eligendum hoc potius tempus quam illud.

61 §. 2. Certum est esse Simoniam, si temporale intendatur veluti pretium, seu velut æquivalens in commutatione cum re spirituali, quia irreligio est, spiritualia æstimare temporalibus aut temporalia æquiparare spiritualibus: sed advertendum est, quod ratio pretii & ratio finis principalis non fiat idem, uti patet in plurimis exemplis, sic sanitas est finis principalis sumentis medicinam, non tamen est pretium; è contrà si quis invitus vendat frumentum graviter indigenti, pecunia est pretium, non tamen est finis principalis, nam ideo principaliter vendit, ut satisfaciat Præcepto charitatis: & ratio illius à priori est, quia finis dicit respectum ad appetitum, tanquam bonum propter se appetendum, pretium autem non petit intendi tanquam bonum propter se appetendum, sed satis est intendi, tanquam habens æquivalentiam cum tali re, & tanquam dandum loco illius, adeoque ratio pretii requirit, ut per illud solvatur obligatio orta ex re accepta vel ex opere præstito, respiciendo ad valorem & æstimationem ejus, aut è converso, ut per datum pretium oriatur in alio obligatio dandi rem vel opus spirituale sub proportionali habitudine rei vel operis sufficienter æstimati & recompensati per tale pretium.

62 §. 3. Docent *Sanch. Maldonat. Silv. Suar. n. II. Castrop. T. 17. d. 3. p. 4. n. 3. Pirb. Lib. 5. T. 3. n. 130.* si temporale non æquiparetur spirituali, non esse Simoniam, licet spirituale intendatur aut fiat
princi-

principaliter propter temporale, quamvis fateantur in eo posse esse aliquam inordinationem, saltem venialem. *Rationem* dant, quia temporale illud non ideo intenditur tanquam pretium, sed tanquam eleemosyna vel stipendium, quod ex officio peti potest pro sustentatione: & ideo *Con. de act. supern. d. 19. n. 82. & Burgh. Cent. I. Cas. 23.* universaliter sic habent: *Non est reprehensibilis, qui bona opera facit, ut assequatur bonum temporale, quia bona opera sunt media ordinata à Deo, non tantum ad bona spiritualia, sed etiam ad temporalia*, ergo qui illa adhibet ut media ad bona temporalia obtinenda, secundum illos non peccat, dummodo habitualiter paratus sit etiam servire Deo, quamvis non daretur tale bonum temporale. *Confirmant*, nam qui dat Sacerdoti temporale stipendium, per illud principaliter intendit *Misam*, quæ est aliquid spirituale, & tamen non est Simoniacus, ergo vice versâ, qui dat vel facit spirituale principaliter pro temporali tanquam stipendio, non est Simoniacus, ideoque si intentio rei spiritualis non sit mala nec conjuncta cum alio inordinato affectu, sed tendat ad finem honestum, nullum erit peccatum ordinare rem spiritualem etiam principaliter & proximè ad finem temporalem, quia res superioris ordinis potest honestè ordinari ad finem inferiorem, dummodo in hoc non sistatur, sed per illum ulterius ad finem alium honestum tendatur, uti notant *Navar. & Suar. n. 12.* Vide tamen dicenda n. 69. & 78.

Q. 16. *Quid notandum circa Simoniam confidentialiam.* R. seqq. §. I. Simonia confidentialis est, si quis sine expressa Papæ licentia alicui procuret beneficium, conferendo, eligendo, præsentando, instituendo, confirmando, resignando, dando

dando in commendam &c. cum certa confidentia, ut is, cui procuratur, postmodum conferenti ipsi aut alteri personæ illud resignet, vel pensiones aut fructus ex eo præstet alteri: ita statuit *Pius V.* in Bulla: *Licet felicitis recordationis*, 5. Jan. 1568. & *Intolerabilis*, 6. Aug. 1579., docentque Authores communiter cum *Leß. L. 2. c. 35. n. 96.* Et satis est, quod unus, v.g. solus Conferens, committat hoc cum Procuratore ignorantis & accepturi beneficium, *Azor T. 3. L. 12. c. 10. q. 2.*, imò sufficit à solo mediatore esse commissam, inito tali pacto cum alio quocunque, *Suar. c. 57. n. 4.*

64 §. 2. Committitur hæc Simonia tripliciter, ut cum communi tradit *Pirh. n. 114*: 1. Per accessum, v.g. Cajus cupit provideri Titio necdum habenti ætatem, hinc Cajus hoc beneficium petit sibi, & suum resignat Sempronio, cum pacto, ut Sempronius tamdiu eo fruatur, sed postea resignet Cajo, cum ætatem habuerit: 2. Per regresum, ut si Cajus beneficium jam possessum resignet Titio, reservans sibi Jus redeundi ad illud, si Titius illud accipiat: 3. Per ingressum, ut si Cajus collatum sibi beneficium, sed necdum possessum Titio resignet, cum simili pacto, ut in regressu Poenæ hujus Simonix longè sunt graviores, quam ullius alterius, uti patebit ex dicendis à n. 220., & ostendit *Pirh. n. 115.*

65 §. 3. Si resignes cum intentione obligandi alterum ad iterum resignandum, & hanc mentem non manifestes, est tantum Simonia mentalis; si verò tuam mentem manifestes, putant cum aliis *Castrop. T. 17. d. 3. p. 18. n. 4.* & *Diana P. 9. T. 9. R. 18.* esse Simoniam confidentialem, quia *Pius V.* dicit: *Solâ dimittentis intentione &c.* Sed *Azor, Navar. Lessius c. 35. n. 95. 96. Suar. c. 43. n. 12.* & alii requirunt

requirunt pactum saltem tacitum ; & Pius V. tantum vult præsumi posse simoniam, si illa intentio sit manifestata, quia tum præsumitur aliquod pactum : imò *Navar. Baun. & Dian. P. II. T. 5. R. 20.* requirunt pactum civile seu legale , ex vi cujus debitum quasi coram Judice exigi possit , sed id meritò non requirunt alii.

§. 4. Si resignes cum onere, ut acceptans solvat pensiones vel partem fructuum alteri, omnes tenent esse Simoniam confidentialem : Si autem resignes cum onere, ut solvat tibi resignanti, *Ugol. Menoch. Sanch. Nav. Lesf. n. 97. Dian. P. 9. T. 9. R. 17.* dicunt esse tantum Simoniam communem, quia Pius V. tantum dicit fore confidentialem, si se obliget alii vel aliis, verba autem odiosa non sunt extendenda ad personam non expressam : è contrà *Suar. n. 7. Castrop. n. 6.* & alii probabilius dicunt fore, quamvis tibi reserves, 1. Quia si resignes sub parte fructuum secundum libitum tuum, est confidentialis, uti expressè habetur, ergo etiam si sub pensione pro te, quia hæc est pars fructuum. 2. Signum dignoscendi, an sit confidentialis, assignatur, si resignans percipiat fructus. 3. Pius IV, cujus Bullam confirmat Pius V, expressè dicit esse confidentialem, si resignans sibi reservet. 4. Quando dicitur, alii, intelligitur alius ab eo, qui accipit beneficium : atqui resignans est alius ab eo, ergo.

§. 5. Hæc Simonia tantum habet locum in acceptionibus aut resignationibus beneficiorum, non autem pensionum aliarumve rerum : imò nec in permutationibus beneficiorum, uti tenent *Navar. Suar. n. II. Lesf. n. 96. Laym. c. ult. §. 8. n. 75. Castrop. n. 2. Pirh. n. 113. Leur. p. 3. q. 753.* quia verba odiosa non sunt extendenda ultra id, quod significant : rectè tamen notant *Castrop. & Dian. R. 18.*

eos, qui beneficia causâ permutationis vacantia conferunt sub talibus confidentiis, incurrere hanc Simoniam, quia Bulla habet generaliter *Si quis conferat beneficium vacans. &c.*, vacat autem ex causa permutationis, uti omnes tenent cum *Garc. de benef. p. II. c. 4. à n. I.*

68 §. 6. Pretium hîc debet esse, vel beneficium idem vel pensio, aut pars fructuum illius; unde si contrahatur de alio beneficio, vel de alio pretio reddendo vel solvendo, erit tantum Simonia communis uti notant *Suar. Laym. Pirb. ibidem.*

69 Q. 17. *Quomodo in materia beneficiorum Ecclesiasticorum contrahatur Simonia communis. R.* Constat ex seqq. §. I. *Innocentius XI.* damnavit hanc propositionem: *Dare temporale pro spirituale non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contrâ: item istam 46. Et idem quòque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; imò etiam si sit finis ipsius rei spirituales, sic, ut illud pluris aestimetur, quam res spirituales: pro intelligentia,*

70 §. 2. *Suppono, quòd omnis pactio, etiam tacita tantum & implicita, circa beneficium propriè dictum, facta auctoritate propriâ sit simoniaca Jure saltem humano, uti n. 57. dictum est. docentque AA. cum Rayn. de benef. l. 2. S. I. c. 2. n. II. & Leur. p. 2. q. 767. n. 5. item p. 3. q. 727. nam reverentia erga rem sacram & periculum tractandi velut profanam meritò movit Ecclesiam ad pacta in beneficiis prohibenda, nisi fortè fiant sub conditione, si Superior consenserit, sive sub futura rati- habitione illius, de quo dicitur Lib. 4. n. 1063.*

Hinc

Hinc sequitur esse Simoniam, si expressè vel tacitè
 fiant pacta ejusmodi : *Si mihi contuleris hoc bene-
 ficium , obligo me ad dandos tibi ex gratitudine
 100. aureos* : Item, *dabo tibi liberaliter beneficium,
 si te obliges ad dandos mihi liberaliter 100. aureos* :
 Item : *obligo me ad dandos 100. aureos , non velut
 pretium, sed veluti motivum recompensationis, quam
 explebis, mihi conferendo hoc beneficium* : omnes hi
 aliique similes contractus sunt simoniaci ,
 quamvis enim in duobus prioribus signatè dica-
 tur fieri ex gratitudine vel liberalitate, tamen exer-
 citè admittitur obligatio , ergo reipsa non est
 gratitudo vel liberalitas , inducitur enim nova
 obligatio distincta à debito gratitudinis , quod
 non obligat ad aliquid determinatum : in poste-
 riori autem, quamvis dicatur non esse pretium,
 tamen habet rationem pretii, & est saltem æqui-
 valenter pretium , uti patebit ex dicendis.
 Nec refert, quòd multi Authores antehac docue-
 rint tales contractus non esse simoniacos, ut videri
 potest apud *Rayn. c. 10. n. 38. & Dian. P. 2. T. 16. R. 37.
 P. 6. T. 7. R. 42. P. 11. T. 6. R. 31. & T. 7. R. 23.*, nam
 omnis probabilitas earum opinionum elisa est
 per damnationem relatarum propositionum, &
 opiniones illas latè confutârunt *Suar. c. 45. n. 9.
 Mendo d. 1. q. 22. Carden. in 2. Crisi d. 27. c. 3.*

§. 3. Quamvis ille, cui confertur aliqua gratia, 71
 de jure naturæ teneatur esse gratus, possitque
 etiam, uti innuit *Carden. n. 58.* se obligare ad anti-
 dorum, sive ad solvendum debitum gratitudinis,
 tamen non tenetur esse gratus exhibendo determi-
 natè hoc vel illud, v.g. dando pecuniam, sed satis
 est, quòd sit paratus gratificari, prout ipse sponte
 voluerit, v.g. per preces, jejunia aut eleemosynas
 pro ipso : & hoc habet obligatio antidoralis,

quòd non obliget ad aliquid determinatum, hinc qui dicit: *Si mihi conferas beneficium, ero gratus*, ut declinet Simoniam & maneat in voluntate solvendi debitum puræ gratitudinis, non debet intendere ullo modo se obligare ad aliquid determinatum, uti à n. 102. magis explicabitur.

72

§. 4. Qui dat aliquid temporale velut pretium pro spirituali, committit simoniam, uti omnes docent, sive det ante, sive post obtentum spirituale, quia spirituale æstimat temporali, in quo est manifesta irreligio: potest autem aliquid dari ut pretium, vel formaliter vel virtualiter; cum datur ut pretium formaliter, si directè intendas dare loco rei spiritualis & in commutationem cum ea, nam uti rectè notant *Suar. cap. 36. num. 7.* & *Raynaudus num. 36.* in hac commutatione & quasi quadam comparatione seu æstimatione ad invicem consistit ratio formalis pretii: tum datur ut pretium virtualiter, si proximè & immediatè tum des, quando intendis obtinere aliquid spirituale, & non adsit alius titulus, ob quem das, das enim ex aliquo motivo, ergo si non das ex alio, das ex præsentè, quod est, ut obtineas illud spirituale, & hoc est dare veluti pretium pro spirituali: alii tituli dandi possent esse, ut sublevares egestatem, ut expleres gratitudinem aliunde debitam, cujus explendæ hæctenus non fuisset occasio &c., hoc ipso autem quòd non des ex alio tali motivo, convinceris exercitè dare velut pretium rei spiritualis obtinendæ, quamvis signatè dicas & velles non haberi velut pretium: Sic autem dari temporale pro spirituali videtur prohibere Pontifex per damnationem allatarum propositionum, potuit enim Ecclesia hoc prohibere, quamvis fortè non esset intrinsecè malum, quia nempe est peri-

cu-

culosum & facilè esset occasio mali; quòd autem sic prohibuerit, inde suadetur, quia verba illa, *quando temporale est motivum*, aliquid significant, & non aliud, nisi quod dictum est, nam temporale habet se ut motivum, quando non est aliud, quod efficaciter moveat, quamvis fortè quarantur prætexus aliorum motivorum: quando autem in dubio præsumi possit aliquid esse vel non esse datum tanquam pretium, rectè explicant *Suar.* à n. 9. & *Pirb. L. 5. T. 3. n. 91.*

§. 5. Qui dat aliquid temporale tanquam 73
motivum spiritualis sibi reciprocè dandi, v. g. ut alter moveatur ad conferendum sibi beneficiū, committit Simoniam saltē Juris Ecclesiastici, quamvis nullum aliud pactum nè implicitum quidem interveniat, uti patet tum ex prop. 45. damnata n. 69. relata, tum etiam quia per pecuniam proximè parat sibi viam ad beneficium, quod *S. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5.* & alii communiter dicunt esse simoniacum; imò illud temporale habet se ut pretium virtualiter, cum enim non det alio titulo, dat v. g. pro beneficio, uti jam dictum est, ergo committit simoniam, quam etiam admittit recipiens tale temporale, si per hoc motus illi conferat beneficium, quia spirituale reddit pro temporali, unde sicuti Judex, qui ideo fert sententiam iniquam, quia accepit munera, dicitur vendere Justitiam, ita ille, qui propter munera confert beneficium, dicitur vendere beneficium, tale enim munus in utroque casu est virtualiter pretium, & uterque concurrat in hunc mutuum contractum, unus ut per munera moveat, alter ut propter munera det, uti rectè advertit *Carden. c. 2.*, ubi addit n. 23., & ex Jure probat n. 20., si munus temporale fuerit parvi momenti, tum non præsumi

sumi Simoniam, quia dans non censetur per illud inducere voluisse, neque acceptans credi debet per illud esse motus, ideoque etiam *S. Th.* in 4. d. 25. a. 1. q. 3 ad 1. dicit probabile non esse, quod animus Judicis spectatur ad aliquid faciendum pro parvo munere: & de hoc habetur notabile *Cap. Esti questiones*, de Simonia, ubi inter cætera dicitur, *Quod autem scriptum est, beatus, qui excutit manus suas ab omni munere, de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere vel pervertere solent; & additur, quod electuarium, vel de vino, sive alia hujusmodi censeantur non movere: Et pro colligenda levitate muneris additur, in accipiendis vel dandis muneribus etiam maximè sunt attendenda, personæ scilicet dantis & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus.*

§. 6. Si quis etiam anteedenter det aliquid vel præstet obsequium temporale, non intendens in altero strictam obligationem, neque debitum ad hoc vel illud determinatè, sed tantum expectans naturalem gratitudinem, ad quam quisque obligatur post acceptum beneficium, vel è contrà si quis præstet beneficium spirituale sic expectans naturalem gratitudinem per aliquid temporale, non committit simoniam nec peccat, uti docent multi cum *Suar. c. 45. n. 4. & 7. Dian. p. 10. T. 15. R. 5. Rayn. n. 33.* Ratio est, quia non vult obligare acceptantem determinatè ad aliquid, nec movere ad dandum spirituale propter temporale, sed tantum vult ei benefacere, & illam tantum obligationem inducere, quæ necessariò sequitur ex omni obsequio, quod alteri præstatur, facere enim aliquod obsequium & obligare recipientem ad aliquam gratitudinem moraliter loquendo sunt unum & idem, quia obligatio gratitudinis intrin-

intrinsecè sequitur ex vi beneficii vel obsequii
 præstiti, unde *Rayn.* n. 40. dicit planè certam
 & ferè omnium sententiam esse, quòd non sit
 Simonia, nèque illicitum, per se loquendo, dare
 antecedenter aliquid temporale, ex intentione,
 ut alter, qui tunc de beneficio spiritali dando
 non cogitabat, suo tempore sit bene affectus
 erga dantem, velitque esse gratus, qualis poterit
 esse, si quando occasio tulerit, donet beneficium
 spirituale: & ratio ulterior est, quia nullo Jure
 prohibemur demereri omni modo honesto eum,
 qui potest nobis aliquando benefacere, unde sicuti
 secundùm *S. Thom.* 2. 2. q. 78. a. 2. ad 3. licitum est
 dare mutuum ad ingenerandam in mutuante obli-
 gationem gratitudinis, & intendendo, ut ex illa
 rependat aliquid, prout ipsi placuerit, ita & hìc
 licebit dare temporale ex intentione vel spe,
 ut reddat spirituale, non propter temporale datum,
 sic enim vellet, ut temporale esset motivum
 conferendi spirituale, quod est damnatum, sed
 sponte sua, quia ita placebit, & erit aliquid aptum
 extinguere obligationem naturalem gratitudinis;
 ideòque docet idem *Rayn.* n. 41. etiam licitum esse
 dicere se optare ab eo gratitudinem præstari
 per collationem talis beneficii, sicut enim
 secundùm *S. Thom.* supra petere possum à mutua-
 tario, ut aliquà retributione sponte datâ liberet se
 naturali obligatione gratitudinis, quam contraxit
 sumendo mutuum, ita & hìc; & ratio utriusque
 à priori est, quia nullo Jure prohibemur petere,
 ut alter id, ad quod tenetur, eo modo faciat, quo
 ipsi facere est licitum, qualiter solùm hìc petitur:
 sapienter tamen monet *Suar.* n. 8. hæc postrema
 esse cavenda ob periculum & speciem pactio-
 nis; quod tum maximè verum est, si proximè &

immediatè antea detur aliquid, quando agitur de beneficio conferendo, tum enim facile induetur rationem pretii virtualis.

75 §. 7. Ille, cui aliquid temporale datum vel præstitum est ab altero, ideòque naturaliter obligatur ad gratitudinem, non peccat, si donet spirituale, aut è contrà si accepto spirituali donet temporale, ad satisfaciendum illi obligationi antidotali, uti dictum est, quia non dat tanquam determinatè debitum, sed velut aliquid aptum extinguere debitum gratitudinis antea contractum, & potius respicit affectum illius, qui benefecit, cui respondere vult per exhibitionem similis affectus, ita *Suar.* n. 6. & 14., addens n. 13. sic redonantem posse etiam verbis exprimere, quòd per illud velit extinguere illam naturalem obligationem antea contractam, quia exprimere ea, quæ insunt, non facit Simoniam, hìc autem solùm illud exprimitur, quod inest, omnis enim redditio beneficii ex natura sua est extinctio obligationis antidotalis antea contractæ, manetque gratis redditum, quamvis reddatur ad satisfaciendum illi obligationi, uti rectè *Suar.* n. 14.

76 §. 8. Si ex pacto detur aliquid temporale veluti gratuita compensatio pro spirituali, aut è contrà spirituale pro temporali, est Simonia, uti constat ex prop. 45, damnata, & ex dictis n. 70. Etiam est Simonia, si temporale, quantumvis sinè pacto, sed omnino gratis, detur veluti aliquid compensans spirituale, id est, veluti adæquans æstimabilitatem rei spiritualis, uti colligitur ex prop. 46. damnata, hoc est enim grave vilipendium rei spiritualis, si illi æquiparetur temporalis, ac si esset justum ejus pretium; & hoc significat illa particula, *pro*, uti notant *Cajet.* apud *Suar.* c. 44. n. 3. & *Carden.* n. 68. quia

quia denotat commutationem, neque cadit in illud, quod datur merè gratis.

§. 9. Gratuita donatio, quæ fit post acceptum aliquid spirituale, ab omnibus solet permitti 77
tanquam licita: *March.* tamen in *Tribun. T. 3. T. 10. T. 6. q. 9.* notat donationes gratuitas esse duplices, primæ sunt omnino independentes mutuo ab invicem; & certum est has licere, v.g. *Titius mihi gratis cessit beneficium & postea incidit in paupertatem, in qua, si ego memor beneficii accepti donem ipsi summam pecuniæ, non sum Simoniacus, quia utraque donatio est ab altera independens: è contrà aliquæ donationes ab invicem dependent, & dicuntur reciproæ seu relativæ, solentque exprimi his verbis, do quia das, do ut des, do quia dedisti, do quia dabis, & has dicit esse simoniacas, tum quia minuunt rationem gratuiti, quod in beneficiis debet esse purissimum; tum etiam quia videntur includere quoddam pactum virtuale retributionis tanquam debitæ, eò quòd una propter aliam respectivè fiat. Fateor (inquit *March.*) multa hic afferri posse in contrarium, quæ in speculatione aliquam probabilitatem præferunt, sed in praxi non sinè murmure conscientia proponuntur, & ut plurimum si mentiamur nobis & hominibus, non possumus tamen mentiri Deo. Hæc doctrina *March.* vera est, si accedat pactum illud virtuale, aut si postea redonetur aliquid temporale veluti compensatio stricta pro spirituali, id est, veluti adæquans æstimabilitatem rei spiritualis, uti antea dictum est, de cætero si omnino gratis donetur velut munus, quo recognoscatur affectus benefactoris, per se loquendo, non est Simonia, nam de Jure naturæ non est, uti patet, cum nihil detur veluti pretium rei spiritualis; neque*

neque de Jure Ecclesiastico, quamvis enim Ecclesia posset etiam omnino gratuitas ejusmodi donationes prohibere veluti simoniacas ob suspicionem, speciem vel periculum Simoniam, quæ intervenire posset, sicuti prohibuit veluti simoniacam omnem donationem etiam gratuitam, quæ fieret occasione concursus ad beneficium curatum facti vel faciendi, tamen non satis ostenditur, quod Ecclesia tales gratuitas donationes, quæ fiunt post obtentum beneficium, de facto sic prohibuerit, uti rectè Carden. à n. 70. Hinc Cap. *Sicut* I. q. 2. dicitur: *Oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit: item Gratanter recipi poterit, quod fuerit sinè taxatione gratis oblatum*, inquit Innocent. III. Cap. *Dilectus*, 30. de Simonia. Vide *Lew.* p. 3. q. 746.

98 §. 10. Si quis alteri det spirituale propter temporale veluti propter principale extrinsecum motivum, in quod tendit per dationem illius spiritualis, v. g. si quis alteri conferat beneficium ecclesiasticum principaliter ex illo fine, ut accipiat, vel quia accepit pecuniam aut servitium aliquod temporale, quamvis omnino nullum adfit exterius pactum nè implicitum quidem, est, saltem plerumque, Simonia mentalis, ita Carden. n. 96. & patet, ex prop. 46. damnata: ratio autem est, quia sic conferens, plerumque saltem in mente sua æquivalenter vult vendere spirituale pro temporali, cum intendat spirituale commutare cum illo temporali, seu dare aut habere loco illius, sicque appetiat ad invicem, quod est Simonia. Dixi, *plerumque saltem*, quia si post acceptum aliquid temporale daret spirituale etiam principaliter intendens extinguere obligationem gratitudinis, non autem appetiando illa inter se, non esset Simo-

Simo-

Simonia, uti n. 75. dictum est. Notat etiam *Suar.* c. 36. n. 7. ex illa conditione negativa, quod sine commodo temporali non esset quis daturus rem spirituales, non colligi sufficienter, quod adsit virtualis Simonia.

Q. 18. Quibus præterea modis contrahatur Simonia 79
in materiis beneficiorum Ecclesiasticorum. R.

Planè variis, quorum aliquos recensabo. §. 1. Simonia est secundum dicta n. 76. in primis si temporale munus detur pro spirituali: munus autem temporale aliud dicitur à manu, aliud à lingua, aliud ab obsequio, uti declaravit *Urbanus II. Cap. Salvator* 8. caus. 1. q. 3. Per munus à manu intelligitur pecunia vel res quæcunque pecuniâ æstimabilis, sive mobilis, sive immobilis, item cessio aut remissio debitorum, dilatio aut anticipatio solutionis aliunde debitæ, datio mutuæ &c. Per munus à lingua intelligitur laus, commendatio, defensio, intercessio apud alios. Per munus ab obsequio intelligitur quodvis servitium vel promotio aut executio negotii in gratiam alterius facta: per spirituale autem hic intelligitur, quod ex natura sua ordinatur ad finem supernaturalem, uti rectè *Illf. T. 5. n. 302.* Deinde etiam Simonia est, si ex pacto detur etiam spirituale pro beneficio; quæ omnia jam declarabuntur.

§. 2. Si certem cum collatore pro mille aureis, 80
quod ipse beneficium non sit mihi, sed alteri collaturus, est palliata Simonia, nam æquivalenter facio, ut ipse pro illa pecunia acquirenda mihi beneficium conferat, lucrando mille aureos ex illa sponsione, ita *Artd. T. 2. p. 2. T. 5. c. 12. §. 2. q. 1:* hinc *Sanch. cum Dian. in comp. V. Simonia n. 14.* & in *Summ. n. 8.* docet concertationem, quâ Cajus certat se non accepturum beneficium, Titius autem certat

certat eum accepturum; item contractum in initium inter Cajum & Titium, ut, qui prior obtinebit beneficium, det alteri tertiam partem fructuum, plerumque esse Simoniam, quia talia fiunt cum intentione obligandi alterum, ut procuret ipsi beneficium: si tamen sincerè fierent sinè tali intentione, non essent Simonia. Similiter si ab illo, cujus votum in electione desideras, mutuo accipias magnam summam, eo fine, ut te eligere cogatur, ne mutuum suum perdat, eò quòd futurus sis impotens ad restituendum, si non eligaris, est Simonia, quia timore damni temporalis & restitutione illius summæ emis votum.

81 §. 3. Pactum hoc, quo Titius dicit Cajo, si tu lusum viceris, conferam tibi beneficium, si autem ego vicerò, tu mihi dabis centum aureos, *Steph. t. 4. d. II. n. 38.* & alii rectè dicunt, per se loquendo, esse simoniacum: *Si dicas*, non est simonia, si Titius & Cajo certent in hoc pacto, ut si Cajo vincat, Titius legat Missam pro Cajo, si autem vincat Titius, Cajo det solidum Titio, ergo nec est in priore casu. *R. Lopez* dicit utrumque esse simoniam & *Lugo* de Just. d. 31. S. 1. n. 5. improbat tale pactum propter periculum Simonia; tamen *Rodrig. Lez. Bonæspei & Steph. d. 9. n. 53.* negant esse simoniam, quia pecunia non habet se velut pretium: sed difficultas est in danda disparitate, fortè hæc esse potest, 1. Quòd mens Titii vel Caji præsumatur esse in primo casu dare vel acceptare beneficium in commutationem illius pecuniæ, adeoque semper sit simonia saltem mentalis, quod non præsumitur in posteriore casu. 2. Quòd licèt in neutro expeatur pecunia velut pretium aut exponatur velut æstimatio rei sacræ, tamen pro Missa legenda vel audienda, uti & pro precibus, licitum

licitum est saltem ex consuetudine dare & exigere aliquid velut stipendium sustentationis aut pro laboribus extrinsecis adjunctis, ergo etiam licebit contra ea exponere pecuniam: è contrà in exequenda collatione beneficii nihil pro stipendio potest exigi, ergo si hìc contraponatur pecunia, erit tanquam pretium, quo æstimabitur res sacra, hòc autem est simoniacum.

§. 4. Si Titius Collator planè liberaliter dicat 82
Cajo, *conferam tibi beneficium*; Cajo autem agnoscens benevolum in se animum reponat, & *ego tibi donabo illud officium*, videtur esse simonia, nam æquè Simonia est, si Collator per aliquid appromissum firmetur in promissione beneficii, ac si primò moveretur ad promissionem, quia firmatio promissionis æquè connexa est cum spirituali ac promissio ipsa, promissio autem Caji est de se firmativa promissionis Titii, quia de se est apta firmare hominem similis conditionis, cujus est Titius, neque promissiones expressè & tacitè conditionatæ differunt in substantia, sed tantùm in modo, unde sic argumentor, si Cajo expressè dixisset, *si permanseris in tua promissione, donabo illud officium*, esset promissio secundùm se simoniaca, uti patet, ergo etiam nunc est talis, quia est promissio ex causa futura & intenta, ergo tacitè conditionalis, nam re ipsa & spectatis circumstantiis censebatur dicere, quia promittis & perman- surus es in promissione ac collaturus beneficium, donabo officium, ergo æquivalenter dicebat, si permansurus sis & conferas beneficium, donabo officium: quod iterum argui potest à posteriori, nam si Titius non fuisset permansurus in illa promissione nec collaturus beneficium, Cajo noluis- set donare officium, uti inspectâ conscientiam
fate-

fatebitur Cajus, ergo permansio in promissione erat conditio respectu donationis, si non suspensiva saltem resolutive, id est, talis, quâ non positâ Cajus voluisset resolvi seu non tenere promissionem suam, ergo promissio Caji fuit tacitè conditionata, ergo cum expressè conditionata futura fuisset simoniaca, etiam nunc erit talis. Si tamen Cajus promississet propter visam Titii in se benevolentiam, paratus donare officium, licet Titius non fuisset permansurus in promissione, & hoc ipsum etiam satis intelligere potuisset Titius, promissio Caji non fuisset simoniaca; verum id non videtur præsumi posse, quia rarò continget.

83

§. 5. Si quis alteri conferat beneficium eo fine, ut se honestè sustentare possit, non est Simonia, quia quamvis sustentatio sit aliquid temporale, tamen non est aliquid, quod conferenti reddatur velut in commutationem pro spirituali, sed ex spirituali consequitur, manetque illi, qui spirituale accipit; deinde hæc sustentatio est finis intrinsecus saltem secundarius beneficii, ideo enim Ecclesia instituit beneficia, ut Clerici Deo serviant & fungantur officio, sicque fruendo proventibus beneficii honestè alantur, ergo non est illicitum etiam in hunc finem dare beneficium. Econtrà est Simonia, si conferam beneficium sub pacto, ut alter mihi securè in posterum solvat debita, uti docent *Suar. Lefs. Laym. Pirb. L. 5. T. 3. à n. 139.*, consentitque cum aliis *Rayn. L. 2. S. I. c. 2. n. 9.*, idem est, si conferam Titio Fratri Caji Debitoris mei sub pacto, ut juvet Cajum in solvendo: si tamen Debitor differendo solutionem inferret vim & injuriam, putat *Suar. c. 38. n. 9.* quòd possem finè Simonia dare spirituale tanquam medium tollendi præsentem vexam, & sic inducendi ad faciendâ Justitiâ;

&

& idem dicunt *Sot. Suar. Laym. Pirh. Leur. p. 3. q. 750.*
 si ad evitandum de presenti malum mihi injustè
 intentatum, v. g. si intentanti conferam beneficium,
 ut me jam non occidat vel non diffamet, non esse
 simoniam, quia conferenti nihil datur pretio æsti-
 mabile, quod antea jure suo non habuerit: & idem
 dicit *Lesb.* si malum esset paulò post inferendum,
 sicuti licitum est dare mutuum, petendo, ut alter
 vicissim, non in futurum, sed nunc in præsentì
 rem aliam det mutuan, uti colligitur ex *S. Thoma*
2. 2. q. 78. a. 2. ad 4., quia non injicitur obligatio nova
 distincta ab actu solvendi vel mutuandi, nec impo-
 nitur novum onus Justitiæ, sed tantum petitur
 modus vel conditio, sub qua posita gratis detur
 mutuum, uti explicant *Rayn. supra, & Laym. L. 4.*
T. 10. c. ult. n. 27. Vide tamen dicenda n. 149.

§. 6. Quamvis possit esse aliud peccatum, 84
 tamen non est simonia, si beneficium alicui detur
 intuitu consanguinitatis, vel propter preces arma-
 tas, vel propter metum etiam damni tempo-
 ralis incurrendi, vel amittendi proprii debiti,
 hæc enim omnia non habent rationem pretii,
Suar. Lesb. Laym. Pirh. supra.

§. 7. Qui acceptat beneficium sub pacto, v. g. 85
 docendi, etiam Theologiam, aut quia docuit, si sit
 tanquam pretium pro labore, est Simoniacus;
 non est autem, si acceptet beneficium, cui onus
 docendi per auctoritatem Superioris est adjunctum,
 ita *Navar. Allox. V. Simonia S. 4. n. 39.*, & utrumque
 fuse probat *Rayn. c. 10. à n. 24.* Posse autem adjungi
 tale onus temporale, ex eo patet, quòd *Trid. Sess. 5.*
c. 5. & *Sess. 23. c. 18. de Reformat.* jubeat addici
 aliqua beneficia muneribus docendi; & ratio est;
 quia tale beneficium habet aliquid, quod justè
 assignari potest pro stipendio Ministri, nempe
 fructus

fructus temporales, unde si quis tale onus vellet adungere Juri purè spirituali, v.g. Juri eligendi, esset Simonia, quia Jus purè spirituale assignaretur pro pretio operis temporalis, cum non possit habere rationem stipendii sustentando Ministro convenientis, consequenter daretur tanquam stipendium operis temporalis, ita Rayn. n. 26.

86 §. 8. Est Simonia bona sua dare Ecclesiæ, cum pacto, ut in Canonicum v.g. eligatur, sic enim statuit Innocentius III. c. Tu nos. 34. de Simonia, Si quis Clericus cum conditione vel pacto largiatur aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, & in Canonicum admittatur, hujusmodi oblatio vel receptio fieri non poterit sine vitio Simonia, cum in talibus omnis pactio aut conventio cessare debeat juxta canonicas sanctiones: Si verò pure ac sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogant humiliter, & ut in Canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro præbenda, & Clerici ejusdem Ecclesiæ pure consentiant, hujusmodi receptio fieri potuit absque scrupulo simoniacæ pravitatis. Licet autem taliter duximus respondendum, quia nobis datum est de manifestis tantummodo judicare, si tamen is, qui talem donationem facit, eâ intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in Fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admisuri, sine dubio tam ille quam isti apud districtum Judicem, qui scrutator est cordium & cognitor secretorum, culpabiles judicantur. Hæc tamen ultima Simonia est tantum mentalis, ut rectè cum aliis Pirh. n. 89. & Carden. in 2. crisi d. 27. à n. 24. Quòd si quis cum consensu Episcopi retineat sibi Jus præficiendi Clericum in præbenda, quam instituit, nulla est simonia, uti tenent omnes.

§. 9. Est Simonia pro admissione in possessione beneficii ex pacto dare vel exigere aliquod temporale, etiam convivium, non obstante Statuto vel consuetudine etiam immemoriali, uti dicitur à n. 191. & patet ex Cap. *Jacobus*, de Simonia, *Trid.* Sess. 24. c. 14. de Reform: docentque *Abb. Garz. Less.* *Pirh.* n. 91., *Nicolartz* in praxi benef. t. 2. §. 7. *Leur.* p. 3. q. 748., si tamen Lege id statutum sit vel consuetudine receptum, & hoc temporale, quod accipitur, applicetur ad pios usus, & non exigatur prius, quam liberè posita sint spiritualia, neque hæc demegentur, etiam si nihil detur, *Abb. Barb. Az. & Pirh.* supra dicunt non esse simoniam; & *Less.* L. 2. c. 35. n. III. dicit passim non observari *Trid.* id prohibens, quamvis mandetur Episcopis, ut observari faciant, quam consuetudinem præsertim in Germania etiam damnare non audeat *Pirh.*, cum toleretur ab Episcopis & Papa, saltem ubi recepta non est aut ubi non obligat *Constit. Innoc. XII. Ecclesia Catholica*, quam referemus L. 4. n. 671. Addit *Lott.* L. 3. q. 29. n. 131. ex decisione Rotæ, etiam esse simoniam, si quis pro repellenda contradictione paciscatur de Canonicis reddendis indemnibus ob receptionem suam factam ad possessionem beneficii sibi collati. Vide *Leuren.* supra n. 1.

§. 10. Si Senatus habens Jus præsentandi statuat, ut præsentandus singulis Senatoribus aliquid pecuniæ numeret, *Burgh. cent. I. cas. 82.* dicit probabile esse, quod non sit simonia, quia hic nulla vera pactio intervenit, sed adest alius titulus, 1. Donationis remuneratoriæ. 2. Donationis modalis, quam à simonia defendunt *Suar. c. 39. n. 20. Tann. Fill. t. 25. c. 9. n. 30.* & alii. 3. Potest etiam esse titulus laboris, debent enim illo die convenire, ibi hærere, negotia sua negligere, ergo jure pro hoc labore

F a

aliquid

aliquid exigent, uti ait *Bonac.* de Simonia. d. 1. q. 6. p. 4., non commendat tamen hoc fieri *Burgh.*, & meritò, qui enim acceptat tale jus præsentandi, acceptat obligationem exequendi gratis, uti mandat Ecclesia, ideòque *Nicol.* supra, quamvis non planè reprobet, si Capitulum ab illo, qui promovetur ad beneficium, aliquid petat propter molestias congregationum, lectionem literarum &c., tamen meritò monet non faciendum.

89 §. II. Qui accipit beneficium, obligando se ad præstandum homagium alteri, quo continetur temporale commodum ejus, cui præstatur, est simoniacus, uti expressè habetur cap. *Ex diligenti*, de Simonia, sic enim emit beneficium pretio subjectionis vel servitii; potest tamen se obligare ad fidelitatem Episcopo præstandam, uti notat *Pirh.* n. 83. Vide etiam *Leuren.* p. 3. q. 747.

90 §. 12. Si Cajus det pecuniam Titio, ut Titius intercedat apud Sempronium, ut Sempronius intercedat apud Collatorem pro beneficio conferendo Cajo, aliqui apud *Dian.* p. 4. t. 4. R. 151. & iterum alii p. II. T. 6. R. 31. censent non esse simoniam, sed longè plures, quos citant & sequuntur *Castrop.* t. 17. d. 3. p. II. n. 4. *Steph.* d. 11. n. 39. *Arsd.* q. 3. *Rayn.* n. 26. & 30. *Mendo* d. 1. q. 23. longè probabilius affirmant esse, quæ sententia omnino tenenda est, quia illud pretium saltem mediatè datur pro beneficio idque directè ex intentione dantis, & intercessio illa est causa moralis beneficii concessi, ergo si emis intercessionem, virtualiter emis beneficium; erit tamen communiter simonia solius Juris ecclesiastici, quamvis uni tantùm mediatori daretur pecunia, quia non emitur beneficium ipsum, sed intercessio, quæ non est sacra, prohibetur tamen omni jure canonico apud *Castrop.* supra.

§. 13. Dare pecuniam, non pro intercessione, sed pro labore in eundo & redeundo ad collatorem, aut pro damno ideo causato, vel pro lucro cessante, aut pro dispendio temporis, quod ad intercedendum consumitur, & in quo negligitur utilitas alioquin obventura, non est simonia, uti habet communis apud *Dian. p. 10. t. 15. R. 5. Castrop. n. 5. Rayn. n. 30.*, plus tamen dari non debet, quam sit labor vel damnum; quod si plus detur, v. g. centum aurei, cum labor esset dignus tantum denis, plerique cum *Lug. in Resp. mor. L. 6. d. 4. n. 4.* censent fore simoniam, *Rodriq.* tamen & alii dicunt, quod plus est, censendum dari gratis, sed *Dian. p. 6. T. 7. R. 42.* & alii dicunt hoc ultimum in praxi non esse amplectendum: *Lug.* supra dicit, si prosteris & sincerè ita sentias, nempe, quod pro labore velis dare decem, siue beneficium obtineas siue non, & cum scias, quid deceat gratum hominem, te dicere posse, quod habeas animum etiam donandi reliquum, sed nolle ullam de eo obligationem suscipere.

§. 14. Si daretur pecunia, ut apud collatorem solummodo exponerentur merita & dignitas petentis beneficium, non autem intercederetur vel urgeretur collatio, aliqui apud *Dian. p. II. T. 6. R. 31.* putant non fore simoniam, & consentit *Rayn. n. 28.*, quia pecunia datur pro illo munere exponendi merita, & finis proximus non est beneficium, sed acquisitio bonæ opinionis apud collatorem; addunt tamen id esse periculosum, imò *Steph. n. 39.* dicit omnino esse simoniam, quia intentio dantis pecuniam hic & nunc non sistit in remuneratione hujus laudis, sed tendit ad obtentionem beneficii, ergo datur etiam ut pretium saltem mediatum beneficii obtinendi.

- 93 §. 15. Non est Simonia, si detur vel acceptetur pecunia pro habendo faciliore aditu ad Collatorem, ita *Suar.* & alii cum *Castrop.* p. II. *Mendo.* n. 297. hinc nulla erit simonia, inquit *Lesß.* n. 109. & *Raynaud.* n. 35., si oeconomo Episcopi des pecuniam, ut admittaris in ejus familiam, id intendens, ut Episcopo per obsequia fias charus, & sic ab eo beneficium obtineas, tum enim non das pecuniam pro beneficio, sed pro opportunitate demerendi Episcopum & accipiendi gratis ab eo beneficium, & per pecuniam sternis quidem viam ad beneficium, sed remotè & indirectè, quod non est illicitum.
- 94 §. 16. Si des pecuniam famulo Episcopi, ut tibi statim notificet prima beneficia vacantia, *Castrop.* p. 3. n. 4. dicit esse simoniam, quia pretio paras viam ad beneficium, citatque pro se *Navar.*, sed *Nav.* loquitur de illo, qui tali famulo notificat vacare beneficium, & pensionem promittit, ut beneficium ei impetret, in quo certum est esse simoniam, id autem non est in nostro casu, quia pretium non datur pro impetratione vel intercessione, sed tantum pro manifestatione illa beneficiorum vacantium, quæ videtur omnino remotè & indirectè se habere ad beneficium.
- 95 §. 17. Simonia est, si quis non velit conferre Titio beneficium, nisi rogetur à Cajo, quem vult sibi habere obligatum, quia paciscitur de beneficio pro temporali alterius erga se vicissim obligatione, ita *Rayn.* n. 34. Si tamen hoc finè ullo pacto & obligatione peteretur, non esset Simonia, uti docent *Suar.* *Lesß.* *Laym.* apud *Pirb.* n. 138., quia non haberetur ratio pretii seu commutationis pro re spirituali.
- 96 §. 18. Si quis ex vana gloria vel appetitu laudis conferat alteri beneficium, non est Simonia, uti

ut cum communi *Alloza v. Simonia. Sect. 2. n. 33.*, addens per munus à lingua tunc solum incurri simoniam, quando ex illo speratur temporalis utilitas, dicitque hanc sententiam esse communem DD.

§. 19. Est Simonia servire alteri finè salario, 97 cum pacto saltem tacito, ut loco salarii accipiat beneficium, ut si quis dicat se velle servire gratis, vel ob salarium nimis modicum, & tamen hoc ipso ex circumstantiis causet in eo, cui servit, obligationem ad remunerandum servitium per collationem beneficii, quod serviens per hoc intendit, ita cum aliis *Rayn. n. 34.*, hinc plures cum *Pirh. n. 86.* dicunt, si quis revera gratis serviat, non debere servire principaliter hac intentione, ut beneficium obtineat, alioquin fore Simoniam, quia intendet illud æquivalenter emere isto servitio: addit *Carden. c. 5. a. 3.*, si serviat vel præstet temporale obsequium etiam secundariò tantum ex illo fine, si per hoc moveat conferentem ad dandum beneficium, fore Simoniam, quia præstat temporale velut motivum dandi spirituale, quod est virtualiter illud commutare cum illo: Si tamen serviat vel præstet obsequium primariò propter mercedem, & secundariò habens spem obtinendi ab eo beneficium, non est Simonia, si per hoc non intendat movere collatorem ad compensandum illud temporale per spirituale: imò si serviat vel obsequia præstet omnino gratis aut pro pretio impari laboribus, sed finè pacto etiam tacito, quamvis cum spe beneficii, *Suar. Laym. Less.* aliique cum *Rayn. n. 35.* & *Pirh. n. 135.* docent non fore Simoniam: addit *Sanch. apud Dian. p. 4. T. 4. R. 151.*, etiam non fore, quamvis principaliter serviret ex spe beneficii: se autem obligare ad dandum vel

permutandum vel resignandum beneficium ratione servitii ab altero præstiti vel præstandi, est Simonia, licet addatur conditio, si Papa consenserit, uti rectè *Lesf.* in *Auct. v. Simonia c. 2.*, licet enim consenserit in translationem beneficii, non tamen consentiet nec consentire potest in commutationem spiritualis pro temporali.

98 §. 20. Est Simonia, si quis obsequia temporalia famuli, quæ compensare debet mercede temporali, velit compensare beneficio Ecclesiastico, quia sic commutat spirituale pro temporali, quod est virtualiter vendere spirituale: Si tamen mercedem temporalem dederit parem servitio, & famulus ex occasione servitii invenerit gratiam apud collatorem, ideoque collator inclinatur & conferat beneficium; item si famulus gratis serviêrit, vel pro pretio impari laboribus, & Dominus vicissim propensus conferat ei beneficium, non erit Simonia, tunc enim præstita obsequia non habent rationem pretii, sed tantum conciliant benevolentiam, à qua procedit gratia beneficii: quamvis hoc ultimum non careat periculo & specie Simonix, uti notant *Suar.* & *Laym.* apud *Pirh.* n. 137., quod si collato beneficio alter pergeret servire sine salario, habendo beneficium in commutationem salarii, esset Simonia, uti cum aliis *Pirh.* n. 86. & *Rayn.* n. 35.

99 §. 21. Est Simonia sic pacisci cum aliquo, qui ministerium etiam spirituale præstat, habebis annuè pro stipendio centum aureos, donec curaverim tibi beneficium, cujus proventus tibi afferant centum aureos, tumque continuabis tuum spirituale ministerium: Sic enim fit permutatio ministerii spiritualis cum beneficio spirituali: omnis autem pactio & permutatio etiam rei spiritualis cum spirituali in materia beneficiaria est

est simoniaca: Si tamen Episcopus constituat alicui
 è suis familiaribus pensionem, donec ei conferat
 beneficium, non est Simonia, uti cum aliis *Alloz*
 S. 4. n. 35. Item, Si Episcopus, antequam alicui bene-
 ficium conferat, ob aliquam causam ordinaverit
 aliquid subtrahendum de fructibus beneficii confe-
 rendi, & in pios usus expendendum, non est illicitum;
 si verò ab eo, cui beneficium confert, requirat aliquid
 sibi exhiberi de fructibus illius beneficii, idem est,
 ac si aliquod munus ab eo exigeret, & non caret vitio
 Simonia, S. Th. 2. 2. q. 100. art. 4. in fine.

§. 22. Si quis promittat alteri se magnam pecu- 100
 niæ summam assignaturum in eleemosynam
 pauperibus, vel pio loco, si conferat vel impetret ei
 beneficium, *Alloz*. n. 39. & *Soria* apud *Dian.* p. II.
 T. 6. R. 31. dicunt non esse simoniam, quia inter titu-
 los excusantes à Simonia est eleemosyna, uti
 ex *Roccaf.* refert *Steph.* d. II. n. 30., pro eadem sen-
 tentia refert *Turr. Dian.* p. 5. T. 14. R. 75., ex quo affert
 hanc rationem, quia sicuti Pater non committit
 Simoniam, si Filio offerat novam vestem sub con-
 ditione & pacto, ut v. g. confiteatur & communi-
 cet, quia non dat ut pretium rei spiritualis, sed
 ut moveat ad exercendum opus virtutis; ita dans
 aut procurans beneficium tantum movet ad opus
 virtutis, quod est eleemosyna. Verum hæc solum
 probant non esse Simoniam Juris naturalis ita
 pacisci de dando beneficio sub onere dandi elee-
 mosynam, est tamen & manet Simonia Juris
 ecclesiastici, quo prohibentur omnes pactiones
 in materia beneficiaria.

§. 23. Si Titius ad permovendum Patronum, 101
 ut se præsentet, promittat reparare sacellum,
 in quo fundatum est beneficium, putârunt aliqui

esse Simoniam, quia est pactio in materia beneficiaria, uti jam sæpe dictum est, & *Alexander II. Cap. Ex multis* l. q. 3. sic habet, *ut nullus cujuscunque gradus Clericus pro Ecclesia beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ Ecclesiarum vel donariis Ecclesiarum, seu etiam quod Pauperibus sit tribuendum, quia teste Scripturâ, qui aliquid malè accipit, ut quod bene dispenset, potius gravatur quàm juratur.* respondit tamen 9. Januarii 1700. Româ vir doctus non esse Simoniam, quia reparatio sacelli est obligatio innata Capellaniis aut Vicariis, ergo de ea inire contractum non est aliud, quàm assecurare reparationem, ad quam tenebitur, ejusmodi autem contractus non prohibentur, sed licitè quisque se obligat ad faciendum id, quod postulat suum beneficium sive officium.

102

Q. 19. *An sit simonia dicere, confer mihi beneficium, intercede pro me &c. & ero tibi gratus.* Si in genere id dicat & sincerè procedat sinè intentione dandi temporale pro spirituali aut contrahendi novam obligationem, sed solùm exponendâ suam obligationem antidoralem, cui postea liberum sit satisfacere per quidcunque, non est Simonia, & hoc tantùm volunt Authores aliqui præsertim apud *Dian. p. 10. T. 15. R. 5.*, quando dicunt licitum esse dicere se fore gratum, eò quòd hæc verba non obligent, sed tantùm dent spem, vel reciproci temporalis commodi vel cujuscunque alterius, quam spem cum alter licitè habeat, etiam ego licitè eam in ipso excito: rectè tamen notant *Carden. in 2. Crisi d. 27. n. 66. & Leur. p. 3. q. 745. n. 4.* si tales sint circumstantiæ, ut his attentis promittat vel significet se determinatè daturum temporale, fore Simoniam, quia quamvis ea nuda prolatio istorum verborum id non significet, tamen

ex circumstantiis & communi modo loquendi, quem inter se satis intelligunt homines hoc tempore, verè significant promitti determinatè compensationem temporalem, idque ex obligatione aliqua saltem gratitudinis, distincta ab obligatione antidorali: quod à posteriori colligitur, nam si ille, qui beneficium accepit, nihil det temporale, censetur mereri nomen ingrati, pati debet exprobrationem aut justum pudorem, uti inter homines persuasio est; sæpe etiam admonetur, ut gratitudinè satisfaciatur, ergo manifestum est adfuisse pactum saltem implicitum de dando temporali: hinc *Lesf.* in *Auct. v. Simonia, cas. 3.* rectè monet cautè utendū esse talibus verbis, præsertim ubi ex consuetudine acceptantur tanquam obligatoria ad aliquid determinatum, uti ferè ubique fit his temporibus, & difficile est credere, inquit *Lesf.*, tantas summas postea dari ex pura gratitudine: unde *Carden. n. 67.* dicit per ista verba sic prolata & acceptata incurri Simoniam, non tantum mentalem, sed etiam conventionalem subjectam pœnis Juris, quia illa verba ita inter illos accipiuntur, ut significant promissionem compensationis temporalis, ergo est Simonia non tantum in mente & in intentione, sed externis verbis ac signis expressa, ergo conventionalis.

Q. 20. *Quenam hinc veniant sub nomine beneficii.* 103
R. Tantum resolvam de illis, circa quæ est dubium, an finè Simonia emi vel vendi possint.

§. 1. *Suar. Sanch. Lesf. Pirh. L. 5. T. 3. n. 100.* aliique plures cum *Diana p. 4. t. 4. R. 156.* probabiliter dicunt officia regularia, uti Provincialatus, Prioratus, Rectoratus &c. includi sub nomine beneficii, adeoque esse materiã Simonix, etiam in ordine ad incurrendas pœnas, quia sunt beneficia regularia:
tamen

tamen etiam probabiliter contradicunt *Barb. Peirin. Az. Bon. & Mendo* d. 1. n. 311., quia propria & absolute non dicuntur beneficia ecclesiastica in materia autem poenali, verba non sunt amplianda à propria significatione, sed potius restringenda: hinc infert *Sanch.* in Conf. L. 2. c. 3. d. 44. non esse Simoniam sic pacisci, elige me in Provinciam, & ego te eligam in Priorem, quia pactio & permutatio in rebus spiritualibus tantum prohibetur in materia beneficiaria, uti dicitur à n. 112.

104 §. 2. Nomine beneficii non veniunt Commendæ Equitum Hierosolymitanorum, quia licet dentur solis Religiosis professis, tamen dantur titulo laico & pro temporali militia ministerio, professio vero est tantum conditio sine qua non, ita *Lex. Suar. L. 4. c. 27. n. 6. Barb. de Jure Eccles. L. 3. c. 7. n. 9. Castrop. t. 17. d. 3. p. 13. n. 13.* & Theologi communiter cum pluribus Canonistis apud *Dian.* in Summa v. Simoniam n. 4. contra *Az. Torres Paris. Garz. p. 1. c. 4. Sperell. decis. 21. Fori Eccles. n. 37*: ideoque cum prioribus docet *Dian. p. 3. Tract. 2. R. 62*, non fore Simoniam, licet daretur pretium pro impetrando Ordine Equestri, quia licet Ordines tales ordinentur ad divinum cultum, tamen pro fine ulteriori, qui hic spectari debet, habent quid temporale, nempe militiam: docet quoque *Dian. P. 6. Tract. 8. R. 17.* cum *Suar.* & aliis multis, quod Commendæ Melitensium non sint beneficia, sed dentur in stipendium pro servitiis non spiritualibus, adeoque non sint materia Simoniam, advertit tamen *Castrop.* supra cum *Suar.* & aliis, fore injustitiam, si Superiores vel Magistri Ordinum eas Commendas venderent, quia non sunt Domini, sed dispensatores, & quidem Papæ subordinati, qui non consentit vendi, sed bene meritis vult distribui: possunt

possunt tamen donari cum onere & obligatione exhibendi aliquod temporale munus, v.g. eundi in Africam, serviendi, solvendi pensionē pro necessitate; possētque etiam Pontifex dare potestatem eas vendendi.

§.3. Quamvis Præbendæ Canonesarum non sint ¹⁰⁵ propriè beneficia, tamen esse materiam Simonix resolvit S. Congregatio sub Eminentiss. Emmerix anno 1692., uti in hanc provinciam rescripsit noster Revisor Hispanus: Aliqui tamen cum *Leur.* p. 2. q. 722. putant distinguendum, & id admittunt de Canonis, quarum fundatio primitus fuit religiosa sive Monialium, si per præscriptionem necdum sint sæcularizata; negant autem de aliis fundatis, v. g. à Parentibus nobiles pro educatione filiarum, quia hæ ab Ecclesia non censentur erectæ aut positivè approbatæ tanquam præbendæ spirituales. Vide dicenda L. 4. à n. 229.

§.4. Capellanix autoritate Episcopi non erectæ, ¹⁰⁶ non sunt beneficia, nec materia Simonix, uti cum aliis *Castrop.* n. 14; similiter hospitalia, si autoritate Episcopi erecta non sint, neque sub ejus cura existant, quamvis sint pia loca, non sunt ecclesiastica, consequenter nec materia Simonix, *Suar.* n. II. & alii cum *Castrop.* n. 15: si autem autoritate Episcopi instituta sint, & existant sub ejus cura, ac simul secum afferant administrationem spiritualē, sunt materia Simonix secundum *Suar.* & alios supra: si autem functionem spirituales non habent, sed tantum regimen temporale, cum tota sollicitudine pertinente ad curam infirmorum, non est saltem Jure divino Simonia vendere administrationem: videtur tamen esse Jure humano, quia prohibetur venditio administrationis rerum Ecclesiasticarum, quales ex instituto Ecclesix sunt bona

bona temporalia talium hospitalium, uti tenentur
Suar. & alii cum *Castrop.* supra.

107

§. 5. Docent communiter omnes, quòd officia
 ad nutum revocabilia, uti sunt Vicariatus tempo-
 ralis, officium Legati, non sint materia Simonia.
 Similiter officia Ecclesiae temporalia, uti sunt
 Procuratoris rerum temporalium Ecclesiae, Advo-
 cati, Syndici, Judicis ab Episcopo constituti
 in locis, ubi habet temporalem jurisdictionem, item
 Dispensatoris seu Oeconomi, Sacristae vel Custo-
 dis, non sunt materia Simoniae Juris naturalis, qui-
 in se nil spirituale habent: si tamen soleant exerceri
 per Clericos, venditio illorum est prohibita Jure
 Ecclesiastico tanquam simoniaca, *Suar.* c. 29. n. 3.
Pirh. n. 121. Quòd si exerceri soleant etiam per laicos,
 vendi poterunt, *Silv.* & *Pirh.* ibidem. Functiones
 tamen ejusmodi officiorum nullo Jure prohiben-
 tur vendi, cum sint merè corporales, *Suar.* n. 13.
Pirh. n. 122. Etiam videri potest de illis *Illf.* T. 5. n. 311.

108

§. 6 Coadjutoriae beneficiorum, quae nihil aliud
 sunt, quam quaedam facultates auctoritate Ponti-
 ficis concessae exercendi officium, quòd proprie-
 tarius exercere tenetur, tamen si cum futura succes-
 sione concedantur, beneficia non sunt, hinc
 non sunt materia Simoniae Juris Ecclesiastici vel
 naturalis, si quid temporale detur solum in susten-
 tationem admittentis Coadjutoriae, *Castrop.* supra,
 haec enim sustentatio ipsi debita est. An autem
 praesimonium, titulus, Commenda aliaque simi-
 lia sint strictè beneficia vel materia Simoniae, dice-
 tur L. 4. à n. 217., item de Vicariatu Episcopi, Offi-
 cialatu, & quibusdam aliis, vide dicenda hic n. 214.

109

Q. 21. Cur beneficiorum permutatio propria aucto-
 ritate facta sit simoniaca. R. §. 1. Caram. putat
 ideo esse, quòd Papa tollat ab uno beneficio
 Spiritua-

spiritualitatem, & sic pro temporalitate unius detur spiritualitas alterius. *Contra est*, 1. Papa vult utrumque beneficium manere invendibile, impermutabile & annexum suo officio spirituali, ideo enim ex motivo Religionis prohibet venditionem & permutationem utriusque, quia utrumque est spirituale & manet tale, propter connexionem cum officio spirituali, ergo à neutro tollit spiritualitatem. 2. Papa non determinat, quodnam ex illis determinatè fiat temporale, neque fundamentum est dicendi hoc potius fieri quàm illud, ergo neutrum fit temporale; sed neque indeterminatè tantùm vult unum esse temporale, tum quia hoc gratis fingitur, tum quia temporalitas debet subjecto determinato convenire, uti albedo, tum etiam quia Papa vult utrumque esse & manere spirituale, uti dictum est, ergo.

§. 2. *Carden.* in 1. Crisi d. 67. c. 3. dicit esse ideo, quia spirituale commutatur cum temporali, nam 110 temporale, quod est in beneficio A., est extrinsecè spirituale, propter nexum, quem habet cum spirituali, ergo beneficium A. est saltem partialiter spirituale: similiter beneficium B., ergo cum totum beneficium A. detur pro toto beneficio B., utrumque datur aliquid saltem partialiter spirituale pro aliquo saltem partialiter temporali. *Si dicas*, singula habere aliquid spirituale & aliquid temporale, spirituale autem commutari cum spirituali, & temporale cum temporali. *Reponit*, id gratis fingi, nisi enim accedat autoritas Superioris, temporale, quod inest, nequidem virtualiter separatur à spirituali, sed sunt moraliter unum, ergo dici non potest, quòd spirituale respondeat soli spirituali, & temporale soli temporali, sed tempo-

temporale spiritualizatum totum indivisibilitate dabitur pro temporali spiritualizato, ergo aliquid partialiter spirituale commutabitur cum aliquo partialiter temporali, quod est simonia Juris naturalis. *Confirmatur*, nam si accedat autoritas Superioris, tum permutatio non erit simoniaca, quia Jus temporale percipiendi fructus per dispensationem virtualiter separatur ab officio spirituali, per hoc nempe, quod eo modo permittatur contractus circa Jura illa temporalia, atque si non essent annexa spirituali, qualiter etiam fit virtualis separatio, si vendatur calix consecratus, ergo è contra si Ecclesia id fieri prohibeat, uti prohibet in beneficiis, temporale & spirituale sic manebunt connexa, ut quod datur pro uno, censeatur dari etiam pro altero. Hæc explicatio est probabilis; sed

¶ §. 3. Simonia, quæ intervenit in permutatione beneficiorum, facilius explicatur dicendo, quod fit Simonia Juris Ecclesiastici tantum, nam Lex facit objectum suum esse materiam illius virtutis, ex cuius motivo lex ponitur, uti explicatum est L. I. n. 626., Ecclesia autem talem permutationem prohibuit ex motivo Religionis, ne res spirituales subjiciantur humanis contractibus, & tractentur instar profanarum, & maxime, ut caveatur periculum commutandi res spirituales cum temporalibus, quod periculum est in beneficiis, quibus annexum est Jus percipiendi temporalia, quorum posset haberi major ratio, quam rei spiritualis, ergo id prohibendo facit transgressionem esse simoniacam irreverentiam erga res spirituales, sicuti præcipiendo ex motivo reverentiæ, ut jejuni communicemus, facit, ut communio sumpta à non jejuno sit sacrilega.

Quomodo in permutationibus, resignationibus
consti

constitutionibus pensionum, committatur Simonia, dicitur Lib. 4., quando de illis agitur.

Q. 22. *An omnis permutatio rei spiritualis cum spirituali sit simoniaca.* R. §. I. Dicitur esse in materia beneficiorum, uti si duo ita paciscantur, do tibi meum suffragium in hac electione, & tu dabis mihi tuum in alia; tu elige nepotem meum ad hoc beneficium, & ego eligam tuum ad illud &c., ita cum aliis *Rayn. de benef. L. 2. S. 1. c. 2. n. 32.*, si tamen sine pacto & obligatione ulla dicerent, fave mihi nunc tuo suffragio, & ego vicissim tibi aliâ vice favebo, *Alloza V. Simonia S. 2. n. 28.* dicit non esse Simoniam, quia est tantum petitio vel oblatio favoris liberè præstandi vel negandi; res tamen periculosa est, & ideo fugienda, quia vix aberit pactum tacitum & susceptio alicujus obligationis.

§. 2. Pacisci de beneficio alicui dando pro suffragio in electione, est Simonia, uti patet ex hætenus dictis, quia est permutatio rerum spiritualium in materia beneficiaria, quæ prohibetur ab Ecclesia, ita cum aliis *Pirb. L. 5. T. 3. n. 87.*

§. 3. Permutatio rerum aliarum spiritualium etiam privatâ authoritate facta, non est simoniaca, neque ullo Jure prohibita, ita cum aliis *Raynaud. supra*: unde est licitum permutare calicem cum calice, Reliquias cum Reliquiis, &c., item licitum est sic pacisci, tu lege pro me Sacrum, & ego pro te orabo, vel dabo eleemosynam, ita *Suar. c. 30. n. 5. & c. 31. n. 20. Pasq. de Sacrif. q. 919. Dian. P. 4. Tract. 4. R. 150. Pirb. n. 124.* aliique communiter, ratio est, quia Jura tantum prohibent permutationes in materia beneficiaria, ergo cum hæc sint odiosa, non debent extendi ad alias materias; neque ulla irreverentia est, si una res spiritualis sit

G

veluti

veluti pretium pro altera spirituali. Addit *Hamm* de *Justitia* T. 6. T. 2. n. 568. posse rem ejusmodi spiritua-
 tualem cum altera permutari, v. g. Ecclesiam cum Ecclesia, quamvis excessus valoris unius
 suppleri deberet per pecuniam, id enim conceditur *Cap. Ad questiones* de rerum permutatione: &
 universaliter licitæ sunt pactiones vel transactio-
 nes propriâ autoritate factæ in aliis materiis, uti si contentio sit de Jure spirituali, posse
 inter Episcopos vel alios fieri transactio, ut alter-
 natim visitent, præsentent, eligant: item ut unus jurisdictionem, alter provisionem beneficiorum
 habeat, *Suar. c. 51. n. 8.*

115 *Objici* potest, quòd *Cap. Quæsitum*, ibidem, dica-
 tur, *Pactio circa spiritualia vel connexa spiritualibus
 labem semper continet Simoniam.* R. Sermo ibi est
 de permutationibus Præbendarum, non autem
 aliarum rerum spiritualium.

116 Q. 23. *An vendere beneficium Ecclesiasticum
 sit Simonia Juris divini seu naturalis.* R. §. 1.
 Negant plerique Canonistæ cum *Garzia* de benef.
 p. 1. c. 2. n. 8; Canonistas sequuntur aliqui Theologi
 inter quos est *Less.* de *Just. L. 2. c. 35. n. 26.* & *Carden.*
 in 1. *Crisi* d. 67. n. II. & 21. Alii apud *Suar. c. 24.*
 n. 10. negant de beneficio simplici non habentis
 annexam jurisdictionem, affirmant autem
 de curato; sed de utrisque videtur esse eadem ratio,
 nam hæc & illa habent annexum saltem officium
 spirituale. Itaque Ratio *Cardenæ* est, quia cum bene-
 ficio insit jus percipiendi annuos proventus,
 licet annexum sit officio spirituali, est tamen
 realiter diversum ab illo, ergo vendi potest
 (stando in Jure naturæ) tanquam Jus ad aliquid
 temporale, sicuti calix consecratus potest vendi
 ratione materiæ & formæ artificialis secundum se
 pretio

pretio æstimabilis, licet illis annexa sit consecratio spiritualis: ideo autem venditio beneficii est simoniaca, quia sacris Canonibus est prohibita intuitu Religionis, uti n. III. dictum est.

§.2. Notandum cum *S. Bonavent. & Suar. à n. 12.*, ¹¹⁷ hæc duo valde distingui, *temporale annexum spirituali, temporale cui annexum est spirituale*: tum dicitur temporale annexum spirituali, si spirituale præsupponatur, sitque veluti fundamentum & præcipuum, cui adjiciatur, & in quo fundetur temporale, & ita se habet res in beneficio, in quo primum & principale velut præsuppositum est officium spirituale, cui annectitur jus percipiendi temporales fructus. Tum dicitur temporale, cui annexum est spirituale, si temporale præsupponatur tanquam primum, quod etiam principaliter attendatur, & ita se habet calix consecratus, in quo materia & forma artificialis præsupponitur, illi autem adjicitur consecratio spiritualis, & talem rem posse vendi dicemus à num. 152. Hoc supposito,

§.3. Videtur probabilius, quòd vendere beneficium Ecclesiasticum sit Simonia Juris divini seu naturalis, ita multi cum *Rayn. L. 2. S. 1. c. 10. à n. 10. & Pirh. L. 5. T. 3. à n. 75.*; estque etiam *S. Th. 2. 2. q. 100. art. 4. O.*, & eandem tenent plerique alii Theologi apud *Garz. n. 10.* Ratio est, quia licet beneficium habeat aliquid temporale, tamen hoc temporale est annexum alicui antecedenter spirituali, ita ut spirituale sit præsuppositum & præcipuum; talia autem sunt intrinsecè invendibilia, uti rectè *Suar. supra* aliique communiter, & dicitur à n. 152., ergo. *Confirm. ex principiis Cardenæ relatis n. 110.*, nam temporale, quod inest beneficio, si autoritas Superioris non accedat, nequidem virtualiter

separatur à spirituali, sed est moraliter unum cum illo, ideòque vocatur temporale spiritualizatum, ergo hoc ipso, quòd venderetur temporale, etiam venderetur spirituale, ergo esset Simonia Juris divini & naturalis. Et huc pertinet dictum Paschalis Papæ, Cap. *Si quis objecerit*, 7. caus. 1. q. 3. *Quisquis horum alterum vendit, sinè quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Et hæc confirmabuntur in q. seq., nam est contra justitiam vendere beneficium, ergo est contra Jus naturale.

119 Q. 24. *An sit etiam injustitia, dare beneficium aliud spirituale pro pretio temporali.* R. §. 1. *Esse injustitiam, uti patet, ex prop. 22. ab Alex. VII. damnata. Non est contra justitiam beneficia non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod conferre non tenebatur.*

120 §. 2. Difficultas est in explicando, cui & cur fiat injuria: Aliqui dicunt fieri Deo, quia solus Deus est Dominus rei spiritualis, homo autem tantum dispensator, uti habetur I. *ad Cor. 4.*, ergo qui rem spirituales usurpat invito Deo, facit Deo injuriam, sed qui dat beneficium pro pretio, ille usurpationem spirituales invito Deo, qui *Matth. 10.* dicitur *Gratis accepistis, gratis date*, ergo qui dat beneficium pro pretio, facit injuriam Deo. Verum dicendum est per hoc fieri Deo injuriam latè dictam tantum, non autem strictè, quia Deus nullâ re privatur, neque de hac injustitia loquitur damnatio.

121 §. 3. Talis collatio beneficii est injusta respectu illius, qui dato pretio accipit illud beneficium, quia conferens accipit pretium, & tamen vicissim

de suo nihil dat pretio æstimabile, nam fructus non dat, cum necdum existant, nec ad ipsum pertineant, sed ad possessorem beneficii tum futurum; Jus autem ad illos est spirituale vel spirituali ita annexum, ut spirituale præsupponatur, & temporale semper fundetur & referatur ad illud; spirituale autem vel aliquid sic connexum cum spirituali propriè non spectat ad hominem, sed illius Dominus est solus Deus, & saltem tale aliquid non est pretio temporali æstimabile, uti in quæst. præced. dictum est, & iterum dicitur à n. 152., ergo conferens accipiendo pretium nil dat vicissim de suo, quod sit pretio æstimabile, ergo facit injuriam danti pretium: atque ex hoc patet rectè damnatam esse propositionem relatam.

§. 4. In aliis materiis Simonix, ubi aliquid spirituale datur pro temporali, *Castrop. T. 17. d. 3. p. 1. n. 6.* dicit quandoque intercurrere injustitiam, quandoque non, si enim vendens non ideo patiatur incommodum, nec amittat ullum emolumentum, dicit fieri injuriam ementi, quia vicissim nihil fit huic, pretio æstimabile; si autem vendens patiatur incommodum, vel amittat emolumentum, dicit non fieri injuriam, quia pretio respondet aliquid, quod est pretio æstimabile, & ita etiam sentiunt *Suar. Val. Bonac. Laym. Fill. Az. Lugo de Just. d. 18. n. 53. Rayn. L. 2. S. 1. c. 4. n. 10. Pirh. L. 5. T. 3. n. 175.* verum sententia illa est quidem vera, si temporale detur velut pretium incommodi vel amissi emolumenti; si tamen temporale comparetur ad spirituale, & detur velut ejus pretium, omnino fiet injuria ob rationem antè datam.

Q. 25. *An ergo beneficia Ecclesiastica nihil in se habeant, quod possit esse vendibile absque Simonia vel injustitia.* R. Quamvis per beneficium

communiter nunc intelligatur complexū aliquod, partim ex Jure exercendi aliqua ministeria spiritalia, partim ex Jure percipiendi fructus temporales ob tale ministerium, tamen, strictè loquendo, Jus exercendi ministeria spiritalia, dicitur Officium; Jus autem percipiendi fructus temporales, simpliciter vocatur beneficium seu Præbenda. Quòd ad Officium spectat, certum est illud esse intrinsecè invendibile, quia supposità institutione Ecclesiæ est spirituale, ergo pretio temporali inæstimabile, quia spirituale est alterius & plane superioris ordinis. Quòd attinet ad Præbendam, certum quòque est ex hactenus dictis esse invendibilem Jure Ecclesiastico, & latè probat Rayn. c. 10. à n. 7.; quòd autem sit invendibilis etiam Jure divino & naturali, diximus tanquam probabilius n. 118.; si tamen talis Præbenda five Jus ad fructus autoritate Papæ (qui solus id potest) separaretur ab Officio, ita ut fructus non amplius solvi deberent ratione Officii, sed ex alio titulo vel causa, v. g. ob liberalem donationem Papæ propter obsequia temporalia Ecclesiæ præstita &c. tale Jus percipiendi fructus, pretio temporali emi ac vendi posset etiam laico, uti rectè Suar. c. 24. n. 23. & 25. Lesf. de Just. L. 2. c. 35. n. 19. Rayn. à n. 13.

An pensio sit aliquid spirituale aut vendi possit, dicitur Lib. 4. n. 1118. & 1172.

124 Q. 26. An sit Simonia vendere vel locare Decimas aut fructus beneficiorum. R. §. 1. Si per Decimas intelligantur ipsi fructus, qui ex alieno fundo colliguntur, v. g. frumentum, vinum, certum est, quòd liceat hos vendere vel elocare alteri pro annua pensione, quia nihil sunt spirituale, nec de se spiritali annexum: si autem per Decimas intelligatur Jus directum decimandi, hoc Jus est

est invendibile, quia est spirituale vel spirituali antecedenti annexum : potest tamen Jus decimandi, quod est in uno loco, permutari cum jure decimandi in alio, secundum dicta n. 114. Denique si per Decimas intelligatur Jus utile decimandi, si illud autoritate Papæ vel consuetudine separatum sit à Jure directo, quod semper manet penes Ecclesiam, illud poterit laicis competere & vendi atque emi, ita *Engel* L. 5. T. 3. n. 22. Similiter si Jus decimandi tibi laico à Papa sit concessum, poteris vendere sine Simonia, *Alloza* v. *Simonia* Sect. 4. n. 41. & alii.

§. 2. Communis est sententia, licere Beneficiato ¹²⁵ locare fructus saltem ad breve tempus, quia locatio non inducit separationem à titulo beneficii, uti cum *Suar.* docet *Pirh.* n. 78. Et quamvis in Extravag. *Ambitiosa* solum triennium concedatur, tamen communis sententia est eam restrictionem non esse plerisque locis receptam, uti testatur *Tolet.* apud *Rayn.* c. 2. n. 25; & *Castrop.* p. 13. n. 5. dicit nullibi ferè esse receptam, hinc ubi recepta non est, poterit fieri locatio etiam ad tempus vitæ, ita *Haun.* de Just. T. 6. T. 2. n. 567.

§. 3. Præsentatus, sed à Papa vel Episcopo ¹²⁶ necdum confirmatus, non potest percipere fructus, nisi velut administrator, sequestrando illos, donec obtineatur collatio tituli & confirmatio, unde prius non poterit de illis absolutè disponere vendendo vel locando, fructus tamen debentur Præsentato, si confirmetur, *Leß.* in *Auct.* v. *Simonia*, c. 8.

Q. 27. *An sit Simonia vendere vel elocare* ¹²⁷
Jus Patronatûs. R. §. I. Jus Patronatûs est potestas nominandi vel præsentandi Clericum promovendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans.

Est autem duplex, vel personale, quod personæ est affixum; vel reale, quod rei, v.g. arcis nobili adhæret: estque semper merè spirituale secundum *Suar. c. 26. n. 7. Laym. L. 4. T. 21. c. ult. n. 60. contra Lott. de re benef. L. 2. q. 9. n. 5. & Leurenium p. 2. q. 25.* partim quia principium habet à potestate Ecclesiastica, per quam beneficia instituuntur, partim quia ordinatur ad beneficium Ecclesiasticum: & quamvis secundum *Azor* aliosque Canonistas communiter cum *Pirh. L. 3. T. 38. n. 5.* fit tantum antecedenter annexum spirituali, non potest tamen per se & solitariè vendi vel elocari sinè Simonia, uti ex Jure & ratione pluribus probant *Pirh. n. 71. Suar. c. 28. n. 7. Leuren. q. 27.*

128 §. 2. Jus patronatûs reale transire potest ad emptorem per accidens & ratione rei, v.g. arcis venditæ, cui annexum est, uti cum aliis *Lott. n. 47. Pirh. n. 72*; si tamen res, cui Jus Patronatûs est affixum, ideo pluri vendatur, est simonia, ita *Azor* aliique communiter cum *Castrop. T. 13. d. 2. p. 4. n. 10.* contra *Garz. de benef. p. 5. c. 9. n. 35*, cui favet *Molin. de Just. T. 3. T. 3. d. 620. n. 6.*, quorum sententiam *Castrop.* dicit non esse improbabile, ex hac ratione, quia Jus illud Patronatûs reddit rem multum æstimabilem ratione temporalitatis annexæ, v.g. præcedentiæ, honorificentioris loci &c., quæ debentur Patrono ante alios; sed standum est in prima sententia, alioquin etiam liceret aliquid temporale dare pro quavis dignitate Ecclesiastica, ad quam sequitur præcedentia vel honorificentior locus.

129 §. 3. Si vendatur Jus Patronatûs, vel per se & principaliter, vel etiam per accidens tantum ratione rei, cui annexum est, quæ ideo pluri vendatur, ob hoc ipsum tam Jus illud, quam pretium illi

illi respondens amittitur ; estque suspicio vendi ideo pluri, si in contractu de eo fiat expressa mentio ; in dubio tamen præsumendum est, quòd mentio fiat, non ratione venditionis, sed ut emptor sciat Jura bonis venditis annexa, ita post alios *Engel* n. 25. & *Pirh.* n. 75. Vid. *Leur.* q. 67. n. 6.

§. 4. Si Jus Patronatus non sit annexum rei, sed ¹³⁰ immediatè insit personæ, certum est vendi non posse vel elocari, *Castrop.* n. 12. *Corr.* p. 5. c. 9. n. 46. Imò nequidem potest sine consensu Episcopi per donationem transire in Laicum, sed tantum ad personam sacram vel pium locum, estque aliàs donatio invalida, uti ex decisione Rotæ tenet cum pluribus Canonistis *Barb.* de Off. Episc. alleg. 71. n. 23., non est tamen simoniaca, inquit *Raynaud.* n. 39., cum sit libera donatio. Addit cum *Pirh.* n. 39. & 74 ; si quis sit hæres etiam voluntarius & extraneus Patroni habentis tale Jus personale, hoc Jus etiam sine consensu Episcopi à tali persona ad hæredem transire.

§. 5. Si res, cui annexum est Jus Patronatus, ¹³ ad longum tempus elocetur, v.g. ad 10. annos, communis sententia cum *Garz.* de benef. p. 5. c. 6. n. 10. dicit esse conductoris: è contrà si ad modicum tempus elocetur, *Abb.* & *Pirh.* n. 76 dicunt non elocari Jus Patronatus, sed manere apud locatorem ; *Barb.* putat pro illo tempore transire ad Conductorem, & consentit *Castrop.* n. 13 ; prior tamen sententia est communior, & ad tollendum dubium debet Locator vel sibi expressè retinere, vel conductori committere, ut suo nomine præsentet, quando beneficium vacabit. Vide *Leuren.* q. 52.

§. 6. Jus Patronatus permutari potest cum alia re ¹³² spirituali, uti dicitur *Lib.* 4. n. 347, ubi à n. 330. plura addentur de Jure Patronatus.

133 Q. 28. *An sit Simonia, pro beneficio pecuniam dare Patrono hæretico.* R. §. 1. *Leß. in Auct. v. Beneficium,* casu 6. absolute affirmat, ideoque consultit, ut à Papa petatur collatio, simulque dispensatio, ut cum Patrono hæretico transigi possit de fructibus; estque sententia hæc tutior & communior.

134 §. 2. Si hæreticus (idem est de excommunicato) sit publice denunciatus, amisit Jus Patronatus, unde frustra ab illo peteretur nominatio, ita *Nay.* & alii cum *Sanch.* in *Conf. L. 2. c. 3. d. 51. n. 10:* Si autem non sit publice denunciatus, uti non sunt in his partibus, *Covarr.* & *Henriq.* adhuc dicunt amisisse Jus Patronatus, quamvis Ecclesia ob causas in hoc dissimulanter se gerat, & permittat eos agere, atque si Jus haberent: ex quo deducunt aliqui, si hæretico tali detur pecunia, non dari pro re spirituali, circa quam ipse nullam potestatem habet, sed dari pro nihilo, & quidem illi, qui tantum impedire potest, non autem juvare, adeoque non committi Simoniam: sed contraria sententia, quod nempe in hæreticis toleratis maneat Jus Patronatus, longè communior est & probabilior, quam probat *Sanch. de matr. L. 3. d. 22. à n. 31.*, unde ex hac causa non excusaberis à Simonia, si pro beneficio des pecuniam Patrono hæretico.

135 §. 3. Probabile est non esse Simoniam, si des pecuniam Patrono hæretico, qui alioquin beneficium illud erat collaturus A catholico, vel etiam Catholico certò indigno; aut sibi retenturus; etiamsi contingat, ut occasione datæ pecuniæ tibi conferatur beneficium. Ita cum aliis multis *Ar. d. T. 2. P. 2. T. 6. q. 11. & Verj. in Past. Miss. T. 4. a. 11. & 12.* Ratio est, quia primaria intentio offerentis pretium est & esse debet, redimere vexam Ecclesiæ,
quæ

quæ Jus acquisitum habet, ut beneficia conferantur idoneis Ministris, & vexatur injustè, si conferantur hæreticis vel indignis, aut si maneat inter manus hæreticorum; talem autem vexam redimere licitum est etiam illi, qui non habet Jus in beneficio, uti dicitur à n. 138. ; quo posito non est illicitum sperare aut se offerre ad tale beneficium, nam cum debeat uni conferri, quamvis vi pretii mei non voluerim nec potuerim Patronum obligare ad conferendum mihi, tamen jus petendi habeo æquè ac alius; inò nunc congruum est, ut mihi potius detur quàm alteri, quia Ecclesiæ bonum procuravi, ergo & agere possum, ut mihi conferatur; nec censëbor per pecuniam mihi parasse viam ad beneficium, nisi remotè & indirectè, quod nullo Jure prohibetur.

§. 4. Consequenter docet *Verj.*, etiam posse aliquem oblato pretio in simili circumstantia vexatæ Ecclesiæ transigere cum Beneficiato hæretico vel indigno pro resignatione talis beneficii; in partibus tamen catholicis hæc non licent, quia Ecclesia hic non ita vexatur, sed potest per se remedium adhibere, repellendo inhabiles vel indignos. 136

§. 5. Quando beneficium debet à Patrono hæretico sinè perniciofa dilatione conferri, vel conferendum erat Catholico digno, non est licitum offerre pretium, multò minùs est licitum, ut Catholicus competitor plus offerat, quàm obtulerit prior alius competitor catholicus, nam hic non redimeretur vexa Ecclesiæ, sed ad summum propria vexa illius, qui beneficium petit, nulli autem licitum est in re beneficiaria redimere propriam vexam, nisi habenti Jus acquisitum in beneficio, uti jam dicitur. 137

338 Q. 29. *Quomodo in his & similibus licitum sit vexam redimere.* R. *Constabit ex seqq.* §. 1. Qui habet Jus spirituale in re acquisitum, potest pretio redimere omnem vexam injustam, quâ quis vult, aut probabiliter timetur velle tollere ipsi Jus illud, est communis omnium cum *S. Th.* 2.2.q.100.a.2.ad 5. *Castrop.* T.17.d.3.P.20.n.1. *Pirb.* L.5. T.3.n.105. *Laym. Corr. Lott. Leuren.* p.3.q.749.n.1., unde, inquit *Lefs.* in *Auct.v. Simonia*, c.8. licitum est pacisci cum vexante de parte fructuum illi danda: Ratio est, quia tum non das pretium pro re spirituali, hanc enim habes, sed pro liberatione ab injuria, quæ est quid temporale & pretio æstimabile; unde & vexans, qui tale pretium recipit pro cessatione ab injuria, non erit Simoniacus, sed tantum injustus, *Suar.* de *Relig.* T.1.L.4.c.50.n.14.

339 §. 2. Si quis justè vexetur vel impugnetur circa aliquod Jus spirituale jam in re obtentum, uti si agatur de eo ob delictum privando, Simonia est pretio vexationem redimere, ita *Suar.* n.10. *Pirb.* n.107. aliique cum *Dian.* P.11.T.6.R.31. contra *Pasq.*, qui dicit non fore Simoniam, si redimas ab illo, qui non habet obligationem vexandi, quamvis justè vexet; sed ratio nostra est, quia tum Jus illius non est firmum, sed auferibile, ergo qui tum vexationem redimit, re ipsa emit sibi Jus firmum & ut habendum pro futuro. Si dicas, pretium dari directè tantum pro removenda vexa: *Contrà est*, saltem erit Simonia Juris Ecclesiastici, uti docet *Tanc.* apud *Dian.* suprà, & dicetur n.145.

140 §.3. Si obtinueris Jus spirituale per indubitatum institutionem, & impediaris injustè à capienda possessione, licebit tibi pretio vexam redimere; videtur esse *S. Th.* suprà, *Postquam Jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniã injusta impedimenta*
remu-

removere: Id absolutè docent *Rodriq. Vega, Arrag, Suar. n. 31. Castrop. n. 3. Diana P. 5. Tract. 14. R. 3. Rayn. L. 2. S. 1. c. 2. n. 37. Pirh. n. 111. contra Lott. Garc. Corr.* Ratio est, quia possessio non est spiritualis, nisi ratione tituli seu Juris, cui annexa est, ergo acquisito titulo & Jure, pretium non datur pro aliquo spirituali, sed tantùm ad tollendum injustum impedimentum possessionis, quæ illi titulo debita est, & consistit in aliquo facto merè temporali, sicuti si haberes Jus acquisitum decimandi, posses dare pretium pro obtinendis actu Decimis, ut sic in actum temporalem possessionis venires, nisi Ecclesia hoc specialiter vetuisset ob alias causas, v. g. ne laicis detur occasio avaritiæ vel injustitiæ.

§. 4. Si necdum indubitatè & pacificè obtentum fit Jus, sed alius etiam habeat Jus probabile, uti si duo acceperint collationem, institutionem, possessionem, Simonia est dare pretium pro Jure tibi firmiter & sinè controversia acquirendo; aut etiam, si necdum acceperis, pro accipienda possessione, ita *Suar. Castrop. Lefs. c. 5. Pirh. Leur. n. 5. Sylv. P. 1. v. Beneficium, c. 2. contra Pasq. apud Dian. P. 11. T. 6. R. 31.* Ratio est, quia tum datur pretium, non pro nuda possessione, sed simul pro Jure necdum plenè acquisito; sed neque est redemptio vexæ injustæ, cum enim alter habeat Jus probabile, non vexat injustè, dare autem pro redimenda vexa justa est simoniacum.

§. 5. Simonia est, si des pecuniam aut etiam aliud beneficium, ut alii competitores desistant Jus suum prosequi in hoc beneficio, aut ut non opponant causas seu justas prætensiones: Ratio jam data est, quia redimis vexationem justam, parâsque directè tibi viam ad beneficium

per

per pecuniam, aut per permutationem beneficii, hoc autem est simoniacum, ita *S. Tb. Suar. Less. Barb. Castrop. supra. Beia P. 2. Cas. 3. Engel L. 5. T. 3. n. 31. Raynaud. n. 38. contra Pasq.*, qui insuper dicit non esse Simoniam dare pecuniam alicui, ne in electione opponat exceptionem, quam jure potest opponere; item non esse, si det concurrenti, ut à concursu desistat; item ne concurrat in hac electione, & tu non concurras cum illo in sequente; item si det, quamvis Jus ad possessionem sit dubium; sed alii cum *Diana supra* rectè dicunt omnes opinionones illas veluti singulares & contra communem, nullo modo esse admittendas: est item contra *J. Pontium apud Dia. R. 7.*, qui putat non esse Simoniam litem redimere, si Jus sit litigiosum, eò quòd intentio sit evitare majores expensas litis per minus pretium, quod datur, & licere denis nummis redimere jacturam centenorum; sed tenenda est sententia prima, secundum dicenda *n. 145: & Moya T. 6. d. 4. q. 7. n. 15.* rectè dicit sententiam illam *Pontii* esse contra omnes, uti est etiam altera, quâ dicit aliquem, qui habet possessionem beneficii, posse accepto pretio hoc relinquere alteri, qui aliàs lite quæsiturus est, nullam enim in eis sententiis probabilitatem invenio.

143 §. 6. Si tantum habeas Jus ad rem, v. g. si sis præsentatus, sed necdum habeas Institutionem; item si sis electus, sed necdum habeas Confirmationem, est Simonia dare pretium ei, qui instituire vel confirmare debet, quamvis injustè neget, quia necdum habes certum Jus in re, & sic per pecuniam sternis viam ad beneficium pacificè acquirendum, quod Canones prohibent, uti ostendit *Engel n. 31.*, unde universaliter loquendo,

§. 7.

§. 7. Quando Jus in beneficio necdum est ¹⁴⁴
 acquisitum, quamvis injustè impediaris, tamen
 non est licitum redimere vexam ab iis, qui
 ad beneficium juvare possunt, id est, ad quos
 spectat conferre, eligere, præsentare, instituere,
 confirmare, investire; potes tamen vexam injustâ
 redimere ab aliis, qui tantùm possent impedire &
 non juvare. Est communior cum *Suar. Lesf. de Just.*
L. 2. c. 35. n. 108. Castrop. Pirh. Leur. n. 2. & 3. Dian. P. 6.
T. 8. R. 17.; ratio est, quia si des illi, qui juvare
 potest, jam per pecuniam directè paras viam
 ad beneficium; dando autem alteri, qui tantùm
 potest nocere, directè intendis tollere injuriam,
 & tantùm remotè ac indirectè per pecuniam paras
 viam ad beneficium, quod nullo Jure prohibetur.
 Quòd si is, qui potest juvare, aliter te vexaret, quàm
 abutendo potestate, quam habet, v. g. ad eligendū,
 uti si infamaret te, aut alios Electores injustè à te
 averteret, posses & hanc vexam ab eo redimere
 pretio, quia tum non vexat te, ut est potens juvare,
 sed ut aliquis alius, qui tantùm obesse potest. Ita
Suar. & Lesf.

§. 8. Si in concursu sis dignior vel solus dignus, ¹⁴⁵
 probabile est non fore Simoniam, si redimas
 injustam vexam, etiam ab illo, qui juvare potest;
 ita *Nav. Val. & alii cum Castrop. n. 4.* Ratio est,
 quia directâ intentio tua est, ut per illam pecuniam
 tollas injuriam, & ne priveris Jure tuo, nam
 in tali concursu habes Jus quæsitum etiam con-
 tra collatorem, ut ab eò non impediaris, hinc
 licèt post datam pecuniam tibi conferatur bene-
 ficium, tūque illud antè speraveris, tamen
 hoc beneficium non erit merx tuæ pecuniæ,
 sed erit aliquid consequens ad effectum justè
 causatum per pecuniam, nempe ad voluntatem,
 quâ

quâ Collator vellet, uti tenebatur, ab injuria hac abstinere, & officio suo satisfacere; res tamen illa periculosa est, vel ideo, quia propria cupiditas facile persuadebit cuique se esse digniorem aut unice dignum, cum sæpe fit aliter; unde absolute, ut probabilius, videtur tenendum cum *Suar. n. 28.* tum committi Simoniam saltem Juris positivi, nam meritò potuit & debuit Ecclesia prohibere redemptionem talis vexæ, partim ob scandalum, partim ob periculum Simonia.

146 §. 9. Si non scias certò, quòd electores propendeant ad pravam electionem, Simonia est, si offeras pecuniam, ut eligant dignum, tum enim non redimis vexam ullam, sed pretio temporali directe intendis electionem tuam vel alterius, *Castrop. n. 8.*; si tamen scires eos nolle eligere dignum, & non esset alius facilior modus procurandi electionem digni, licitum esset illos dato pretio obligare ad eligendum in communi dignum, nullum determinando in particulari, uti docent communiter *AA. cum Suarez c. 22. n. 6. Barb. de off. Paroch. c. 2. n. 108. Pirh. n. 87. Less. n. 112. Rayn. n. 31.* Nec refert, quòd forte sit unicus dignus, aut quòd tu sis dignus & speres te eligendum, nam pretio tuo directe tantum intendis obligare ad omittendam electionem injustam & ad tollendam vexam Ecclesiae, quæ Jus habet, ut non eligatur indignus, quòd autem secundum spem tuam cadat electio, per accidens est, ita *Suar. n. 39. Castrop. supra & alii;* verum etiam hæc res periculosa est, quia intentio dantis pecuniam communiter erit, non tam tollere vexam Ecclesiae, quam sibi asserere beneficium: quòd si per pecuniam paciscaris, ut omisso indigno te eligant, tum aperta erit Simonia, inquit *Rayn. n. 36.* Quòd autem putat *B. Pontius* semper licitum esse offerre

offerre pecuniam, ut redimatur vexa, hoc ipso quòd offerendo sis causa, ut fiat minus peccatum, *Rayn.* suprà meritò improbat, dicens non apparere, quòd majus peccatum possit esse in vexante, quàm vendere Jus sacrum.

§. 10. Si Cajus finè rationabili causa moveat 147
electorem precibus vel muneribus, ut tibi non faveat, sed alteri, non est Simonia, si des pecuniam Cajo, ut ab illa vexatione cesset, nam licèt actio illa non sit injuria contra Justitiam, est tamen nocumentum contra charitatem, adeoque potes illam redimere: Si tamen dares pecuniam, ut Cajus tibi potiùs faveret, quàm alteri, aut alicui dares, ut similiter precibus vel muneribus pro te ageret apud electorem, committeres Simoniam, quia per pecuniam proximè & directè parares viam ad beneficium, ita quoad omnes partes *Suar.* n. 25. & 26. *Leß.* n. 109. *Rayn.* n. 35. & alii. Addit *Castrop.* n. 6. & cum eo *Villal. Sanch. & Dian.* P. 5. T. 14. R. 2. adhuc non fore Simoniam, quamvis in eo casu dares pecuniam ipsimet Electori, non ut tibi specialiter faveret, sed ut deponeret à te aversum & ad alterum plùs conversum per irrationabiles preces & munera Caji, sic enim rem tantùm restituis in justo æquilibrio, in quo relinqui debuit, & non magis paras viam ad beneficium, quàm parata erat ante illam subornationem, si utrimque nihil actum esset, idèmq; docet *Hurtad.* apud *Dian.* T. 7. R. 17., addens, si elector à competitore sit corruptus, te posse ostendere, quòd etiam paratus sis pecunias dare, si ipse illas voluerit: hæc tamen omnia, uti fatetur *Castrop.* sunt plena maximis periculis.

§. 11. Si quis injustè velit in te ferre censuram, 148

H

vel

vel non absolvere à censura, potes datâ pecuniâ vexas illas redimere, quia non das pecuniam pro actu spirituali, sed ad satiandam ipsius cupiditatem & vexam redimendam, sub onere non ligandi vel absolvendi, ad quod Jus habes, & alter tenetur, ita multi cum *Suar.* n. 43. *Castrop.* n. 10. *Pirh.* n. 51., & iterum dicitur n. 159.

§. 12. Si detur res spiritualis, v.g. beneficium sub pacto, ne ille cui datur, in posterum vexet aut noceat, est Simonia, quamvis vexatio vel nocuumentum foret injustum, quia spirituale datur pro temporali emolumento; & idem est, si dares beneficium tenuius alicui te injustè vexanti in pinguiore, nam amotionem vexæ, quæ est commodum temporale, omnes spirituali, *Suar.* *Leß.* *Laym.* & alii cum *Pirh.* n. 139., consentitque *Rayn.* n. 9. citans plures. Sed si rogares & sinè pacto intenderes eum placare, ne pergeret nocere, non esset simonia, quia evasio talis mali non intenderetur ut pretium, sed ut effectus consequens ex tuo actu spirituali, ita *Suar.* c. 37. n. 14. Quod si daretur spirituale cum pacto, ut in præsentia cesset à malo aut ab injusta actione, putant *Suar.* *Laym.* & *Rayn.* n. 83. relati, non fore Simoniam, sed oppositum est tenendum, quia est pactio de spirituali dando pro commodo temporali, & aliàs etiam liceret pacisci de pecunia debita in præsentia danda. Putat autem *Corr.* L. 4. c. 5. n. 60. in omnibus casibus, quibus licitum est redimere vexam, prius petendâ esse licentiam Episcopi, ut caveantur fraudes, sed de hoc nullam legem invenio, quamvis omnino sit consultum ita fieri.

An liceat transigere circa litem, pensionem dandam, solutionem expensarum litis vel pretium pro Bullis, dicitur Lib. IV. à n. 552. & 1059.

Q. 30. *An sit Simonia, si quis pecuniā emat Titulum* 150
Ordinationis. R. §. 1. Si emat Titulum jam consti-
 tutum, v.g. fundationem 4. Misfarum hebdoma-
 datim, quibus respondet stipendium sufficiens
 ad sustentationem honestam, est Simonia, ut
 patet, quia officium illud legendi Misfas, cui
 respondent isti fructus, est jam antecederet
 aliquid spirituale, ergo Jus ad illos fructus, quod
 hic emitur, est annexum antecederet spirituali,
 ergo invendibile, secundum dicta num. 118. &
 dicenda num. 153.

§. 2. Si emat titulum prius constituendum, v.g. 151
 si det pecuniam pro habendo titulo Ordinationis
 super mensa Abbatiali, dummodo absit intentio
 dandi pecuniam pro Ordinatione vel Ordinibus,
 non videtur esse simonia, 1. Quia licite emo mensam
 apud Abbatem, hoc enim est quid totum tempo-
 rale, uti licite emo agros, ex quibus annue habeam
 100. aureos, hoc autem supposito etiam licite peto
 ordinari super illa mensa vel agris, quia sunt quid
 immobile, sufficiens ad honestam sustentationem,
 ergo. 2. Licet postea ejusmodi Jus habendi mensam
 ab Abbate, si acceptetur ab Ecclesia pro Titulo
 Ordinationis, accipiat aliquam connexionem
 cum spirituali, tamen antecederet est in se tem-
 porale, cui tantum postea adjicitur aliquid spiri-
 tuale, tale autem aliquid licite emitur, secundum
 dicta & dicenda locis notatis, licite enim emo
 calicem, licet intendam & faciam, ut postea illi
 adjiciatur spiritualis consecratio, ergo.

Q. 31. *An sit Simonia vendere vel elocare res* 152
benedictas, consecratas aliasque similes. R. Colli-
 getur ex seqq. §. 1. *Alloza v. Simonia* S. 1. n. 33. & 35.
 ponit has duas regulas. 1. Si spirituale sit princi-
 pale, & temporale sit accesforium, hoc temporale

vendi non potest, quia accesorium sequitur naturam principalis. 2. Si temporale sit principale, & spirituale sit accesorium, temporale vendi potest, sed non majori pretio propter spirituale annexum.

¹⁵³ *Pirh.* L. 5. T. 3. n. 72. clarius rem explicat per has 4. regulas collectas ex *S. Th. Suar. Laym.* & aliis, 1. Quod est annexum spirituali, non potest vendi, quatenus habet talem connexionem vel ordinem ad spirituale, tum enim spirituale aestimaretur pretio temporali. 2. Quod est annexum spirituali, ita ut sit præsuppositum ad spirituale, & cui spirituale postea advenit, si absit specialis prohibitio Ecclesiæ, potest vendi ratione materiæ vel artificii, etiamsi consecratio vel benedictio sit ab illis inseparabilis, modò non ideo vendatur carius, sed tantùm secundùm valorem, quem habet independentè ab illis; ratio est, quia talia retinent valorem intrinsecum totum aut saltem ferè totum, nam putant aliqui de valore intrinseco per hoc decedere, quòd ad usus profanos amplius applicari non possint, sed hoc parum attenditur, & communiter ad usus profanos non fiunt vel non serviunt.

3. Quod concomitanter est annexum spirituali, uti est labor intrinsecè & inseparabiliter conjunctus ministeriis spiritualibus, non potest vendi finè Simonia, quia non tam est annexum spirituali quàm ipsum spirituale, seu intrinseca pars ipsius functionis spiritualis: *Nec obstat*, quòd fortè sit actio materialis, nam rectè dicit *Suarez* ex *S. Bonaventura*, quòd ipsummet materiale teneat locum spiritualis & censeatur spirituale, ideòque empto labore emitur actio spiritualis, ut pluribus explicat *Escob.* in *Th. mor.* L. 8. à n. 331.

4. Quod consequenter est annexum spirituali, id est, quod præsupponit rem spiritualem, &

& in illa fundamentum vel æstimationem habet, vendi non potest sine Simonia, & tale quid est Jus percipiendi Decimas vel fructus clericales, quamdiu hoc Jus per Papam non separatur à titulo Officii.

§. 2. Ex dictis sequitur, posse vendi calices, ¹⁵⁴
Agnos Dei, vestes sacras, oleum, panem benedictum, sacrum chrisma &c, dummodo vendantur secundum valorem intrinsecum tantum, Ecclesia enim tantum prohibet vendi carius ratione benedictionis vel consecrationis: possunt tamen vendi carius ratione laboris vel sumptuum, v.g. ut adferrentur ex loco remoto, ubi benedici debuerunt, uti rectè *Suar. Bonac. Dian. P. 3. T. 6. R. 12. Engel n. 17. Steph. t. 4. d. 11. n. 34. & alii*: itaque quando Canones vetant vendi res quasdam sacras etiam ratione materiæ, intelligendi sunt, si in rebus sacris fiat mercatura quædam quasi profana, aut si adsit scandalum: prohibentur autem vendi Judæis, uti habet *March. T. 2. T. 2. S. 3. Q. 4. Reg. 2.* ob periculum irreverentiæ vel abusus: hinc etiam *Laym.* apud *Pirh. L. 3. T. 17. N. 6.* putat calicem Christiano Laico non debere vendi integrum, nisi pro aliquo Oratorio, eò quòd Laicus rem ejusmodi sacram possidere non debeat.

§. 3. *Suar. Cap. 14. n. 23.* docet vendi posse etiam ¹⁵⁵
templa, quia videtur esse par ratio cum calicibus, utrobique enim materiæ de se vendibili supervenit consecratio; contradicunt *Laym. & Pirh. n. 9.* nam prohibentur vendi ligna & lapides Ecclesiæ etiam dirutæ: sed pro *Suar.* responderi potest, prohiberi ne vendantur ad alios usus profanos, eò quòd Ecclesia satis declaraverit in eis quamvis dissolutis manere consecrationem, eò quòd in se maneant, uti antea, ligna & lapides, quod non est

in aliis rebus, v.g. in calice effracto, cujus partes consecrationem nullam retinent, nec in se manent calix.

156 §. 4. Simonia est rem sacram v.g. calicem aut paramenta Misæ elocare pro pretio, nisi pretium petatur præcisè, quantum est damnum vel detrimentum, quod res pateretur, ita *Suar.* n. 25. Ratio est, quia res talis non elocatur nisi ratione usûs, ergo usûs venditur, atqui usus rei sacræ est sacer, non enim adhiberi debet ad usus profanos, ergo.

157 §. 5. Simonia est carius vendere rosaria, imagines, numismata, quia Reliquias attigerunt, aut Reliquiaria ipsa, quia Reliquias continent, ita *Suar.* n. 24. Reliquias autem ipsas vendere secundùm omnes est Simonia, uti rectè *Stoz L. 1. P. 3. n. 303.*, ubi tamen addit, si illæ ab infidelibus vel hæreticis detineantur, licitum esse eas sibi vindicare dato pretio pro redimenda vexa, indigna tractatione aut injusta earum possessione, & consentiunt *Laym. L. 4. T. 7. c. 5. n. 17.* cum *Sancho* in *Dec. L. 2. c. 43. n. 22.*

De alienatione bonorum vel rerum Ecclesiæ plura addentur Lib. IV. à n. 1363.

158 Q. 32. *An sit Simonia dare pretium pro Sacramento, precibus, cantu spirituali: item pro obligatione faciendi aliquid spirituale.* R. §. 1. Pro Sacramento ipso dare pretium est Simonia, uti patet, & idem est, si detur pretium pro labore intrinseco, qui est in administratione, uti n. 153. dictum est; si tamen detur pretium pro habendo matrimonio in ratione contractûs civilis, v.g. per dotem vel aliter compensando inæqualitatem personarum contrahentium, quia una est nobilis, altera ignobilis, non est Simonia, ita *S. Thom. Suar. Laym. Pirh. L. 5. T. 3. n. 12. Illjung T. 5. n. 309.*

§. 2. In extrema vel etiam gravi necessitate 159
licitum est ad obtinendum Sacramentum dare
pretium illi, qui non vult administrare gratis,
non enim datur ut pretium Sacramenti, sed ut
medium ad removendam vexam vel ad tollendū
impedimentum pravæ voluntatis, & ad eam
permovendam, ut officio satisfaciatur, ita cum aliis
Leß. Pirh. n. 13. Burgh. Cent. 3. Cas. 73. Escob. in Th.
Mor. L. 8. à n. 326; quod Suar. & Fill. T. 45. c. 3. n. 17.
probabiliter extendunt ad necessitatem sumendi
Eucharistiam pro viatico. Quod si impius ille coge-
ret petentem ad jurandum, quod pecuniam illam
daret velut pretium Sacramenti, si non faciat
in injuriam Christianæ Religionis, sed ad hoc
cogat tantum ex malitia vel odio privato, putat
Fill. n. 14. & Taner. apud Dian. P. 11. T. 6. R. 32.
Suar. c. 12. n. 16. Escob. n. 330. posse jurare
sub aliqua æquivocatione.

§. 3. Non est Simonia aliquid exigere pro admi- 160
nistracione Sacramentorum, Officiis divinis, Lita-
niis, precibus &c. per modum stipendiū pro susten-
tatione, uti dicitur n. 165, vel etiam ratione consue-
tudinis, uti dicitur n. 192., vel per modum eleemo-
synæ, ita *Suar. Laym. Escob. n. 333. Pirh. n. 26.*
Engel L. 5. T. 3. n. 15., idebque etiam *Cap. Ad Aposto-*
licam, 42. de Simonia, ubi dicitur nihil accipiendū
pro ejusmodi ministeriis, additur, ut servetur
consuetudo ex devotione dandi aliquid: hinc
inter prop. *Vicleffi à Martino V.* damnatas etiam
est hæc: *Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant*
orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus,
id est, pro illis, qui ipsis dant temporalia.

§. 4. Non est Simonia, si Musicus vel cantor 161
paciscatur de pretio pro cantu non debito, sed
ad

ad populi devotionem excitandam exhibito, ita
Maldonat. aliique cum *Dian.* supra R. 36.

162 §. 5. Si pretium petatur tantum pro obligatione
 faciendi aliquid spirituale, v. g. non pro ipsa
 ministracione Sacramenti, sed pro obligatione
 ministrandi, *Cajet. Navar. Lesf. Laym. Bonac.*, quos
 citat *Escob. n. 334.*, & quos sequitur *Alloz. S. 1. n. 27.*
 putant non esse Simoniam, quia hæc obligatio
 distinguitur à functione sacra, & sicuti accipere
 possum pro obligatione mutuandi, quamvis
 non pro mutuo, ita pro obligatione ministrandi,
 quamvis non pro ministerio: consentit *Esc. n. 336.*
 si onera corporalia vel molestiæ sint illi obliga-
 tioni accidentaliter annexæ, sed *S. Th. Suar. c. 16. n. 20.*
 & c. 21. n. 16. & 17. *Castrop. T. 17. d. 3. P. 11. n. 3.* aliique
 merito dicunt esse Simoniam, quia talis obligatio
 connectitur cum spirituali tanquam cum fine,
 ordo autem ad spiritualia non cadit sub pretium,
 hinc *Bonac.* merito suadet, ut pretium accipiatur,
 non titulo emptionis vel alio simili, sed solius
 sustentationis, aut certè debet esse ratione laboris
 accidentalis & extrinseci.

163 Q. 33. *An sit simonia dare vel accipere pretium
 pro exercitio virtutis vel actu aliquo bono. R. §. 1.*
 Non est Simonia promittere vel donare tempo-
 rale, sub onere seu conditione operis spiritualis
 præstandi, modò non fiat per modum compensa-
 tionis, neque sub pacto absoluto, ut præstetur spiri-
 tuale, v. g. potest Christianus donare infideli pecu-
 niam, sub conditione, si baptismum suscipiat;
 potest Catholica hæretico promittere matrimo-
 nium, sub onere, ut se convertat; potest Dominus
 alere pauperem, sub onere, ut vel fiat Religiosus,
 vel ut refundat sumptus; item manumittere
 servum, sub conditione, ut fiat Monachus;
 potest

potest Pater filio dare novam vestem, sub conditione, ut singulis mensibus communicet: ita multum cum *Castrop. P. 9. n. 7. & Pirb. n. 129.*, ratio est, tum quia hic non imponitur absoluta obligatio illi, qui pecuniam acceptat, sed datur optio, ut si velit illam frui, præstet hoc spirituale; si nolit, maneat, sicut antè; tum etiam, quia dans vicissim nihil recipit vi illius oblatis: Et sic DEUS promittit bona temporalia hominibus, si agerent bona moralia, neque per hoc censetur offerre, velut pretium boni moralis, sed tanquam præmium.

§. 2. *Sanch. de Sponsal. D. 39. n. 4. docet, 164* quamvis non fiat talis quasi optio, sed re ipsa inducatur obligatio sub tali conditione, tamen non esse Simoniam, hoc ipso quòd acceptans pecuniam nihil vicissim tradat, nec dans pecuniam aliquid recipiat per se vel per alium, quod requiritur ad venditionem, venditio autem videtur esse de ratione Simoniam; *Suar. & Castrop.* non acquiescunt hanc solam rationem, quamvis enim dans inde non accipiat utilitatem, adhuc tamen dicunt fore Simoniam, si acceptans per pretium determinetur & obligetur ad exercendam virtutem, hinc *Suar. c. 16. à n. 18.* probat per hoc non evitari Simoniam, quòd des pecuniam pro actu cedente in utilitatem acceptantis, nam si Religio aliqua emat à Cajo ingressum in Religionem, tantum ob utilitatem Caji, erit Simoniam; & ratio à priori est, quia ad emptionem solum requiritur, ut res empta non sit sub potestate ementis, & per emptionem constituatur sub ejus potestate, quod fieri potest, licet non cedat in utilitatem ementis, sed solius vendentis, prout emens intendit. An autem sit Simoniam, si quis ludat cum pacto, ut si perdat,

H5

oret

oret rosarium ; si lucretur, habeat solidum, dicitur
Part. 2. n. 1096.

165 Q. 34. *An sit simonia accipere pretium pro actio-
nibus Jurisdictionis vel functionis spiritualis.*

R. §. 1. Non est Simonia, etiam ex pacto accipere,
si non accipiatur ut pretium actionis spiritualis vel
rei sacrae, sed per modum stipendii ad sustentatio-
nem, ita *S. Th.* 2. 2. q. 100. a. 2. *Suar.* c. 36. n. 8. *Laym. Les.*
Pirb. L. 5. T. 3. n. 126. 132. *Illsung* T. 5. n. 304. *Rayn.* L. 2.
Sect. 1. c. 10. n. 28. confirmatque usus Ecclesiae:
ratio autem est, quia obligatio ea dandi temporale
oritur ex natura & Justitia, quae exigit, ut ei,
qui in alterius gratiam & commodum laborat,
sufficiens sustentatio detur: hinc pretium non datur
pro ministerio spirituali, quatenus est spiritualis
operatio, sed quatenus est servitium sive operatio
in alterius gratiam facta, ideoque commensuratur,
non operis dignitati vel conditioni, sed personae
operantis. Deinde, inquit *Raynaudus*, non est
pactum de exhibendo spirituali pro temporali, sed
de exhibendis fructibus ob annexionem spiritua-
libus pro sustentatione personae ministrantis,
quam sustentari necesse est & æquum: *Nec obstat*,
quod forte personae tales sint divites & aliunde
sustentationem habeant; nam id per accidens est,
& ex Justitia debetur sustentatio ex tali ministerio,
ita *Escob.* in *Theol. Mor.* L. 8. n. 339.

166 §. 2. Simonia est dare vel accipere pretium
pro consecratione templi, calicis &c., quia
hæ actiones sunt spirituales, & actus potestatis
Ordinis, ita *Suar.* & alii cum *Pirb.* n. 34., ubi addit
posse Episcopum pro consecratione exigere
procuracionem moderatam in agnitionem supe-
rioritatis, daturque, ut Episcopi facilius inducantur
ad consecrandum.

§. 3. Est Simonia Juris Ecclesiastici, per se ¹⁶⁷
 loquendo, si Ordinandus det, aut si Episcopus vel
 ejus ministri aliquid etiam sponte oblatum admit-
 tant pro Ordinibus, præsentatione ad Ordines,
 dimissorialibus, testimoniis, &c., quacunque de
 causa fiat, & non obstante quacunque consuetudi-
 ne, etiam immemoriali, exceptis Notariis Episcopi,
 qui, si consuetudo non sit nihil accipiendi, neque
 ipsi habeant salarium, poterunt acceptare deci-
 mam tantum unius aurei partem: habentur
 hæc omnia expressè in *Trid. Sess. 21. c. 1. de Reform.*,
 & quamvis dicatur sponte oblatum, tamen tum
 non censetur sponte dari, & facillè sibi persuaderet
 cupiditas sponte dari, quod coactè offertur, *Pirh.*
 à n. 16. Quòd si tamen aliquid verè sponte detur,
 & ut tale acceptetur, putat *Less. c. 35. n. 61.* non fore
 Simoniam, quia tum cessat omnis pactio etiam
 tacita, nec est ulla ratio debiti, quæ requiritur
 ad Simoniam: præterea ibi tantum reprobantur
 consuetudines, quæ antè fuerunt, non autem
 quæ nunc sunt ab eo tempore, præsumi enim
 potest, quòd hæ novæ consuetudines dandi
 aliquid, attamen moderatum, sint ex justa causa
 introductæ; denique certum est *Trid.* in his saltem
 partibus quoad ista non esse in omni rigore
 receptum, & ideo suprà dixi, per se loquendo.
 An autem sit Simonia, si Examinatores occasione
 concursus ad Parochiam aliquid acceptent, dice-
 tur *Lib. IV. num. 632.*

§. 4. Etiam est Simonia dare vel accipere ¹⁶⁸
 præteritum pro actionibus ex se ordinatis ad spiri-
 tualia, v.g. ad beneficii adeptionem, vel per quas
 beneficium habetur à causis proximis, uti
 pro præsentatione, electione, collatione, nomina-
 tione, institutione, confirmatione, installatione,
 immissi-

immiffione in poffeffionem ac fimilibus, ita *Pirb.*
à n.79. *Rayn.* c.2. n.31. Ratio eft, quia hi funt actus
functionis fpiritualis, & fpirituales, ob refpectum
quem habent ad fpirituale.

169 §. 5. Notariis non prohibetur accipere aliquid
pro fcribendis contractibus circa fpiritualia, aut
pro expeditionibus literarum circa beneficia,
modò non vendantur carius, ratione materie
fpiritualis, ita *Fill.* T. 45. c.12. n.12. Etiam Procurator
in caufis Ecclefiafticis vel Advocato licitum eft
accipere mercedem fui laboris, quantam accipere
ex eodem labore, fi in rem profanam impende-
retur, *Caftr.* P. 12. n.14. *Rayn.* n.30.

170 §. 6. Simonia eft, fi Judex Ecclefiafticus accipiat
pretium pro fententia, quia eft actus Jurisdictionis
fpiritualis, *Suar.* c.20. n.16. *Pirb.* n.40., imò Simo-
nia eft accipere pretium pro actibus proficifcenti-
bus à Jurisdictione Ecclefiaftica circa materiam
temporalem & politicam, v.g. pro actu, quo Eccle-
fiafticus ratione potestatis Ecclefiafticæ Jus habet
cognofcendi caufas merè civiles : Si tamen
potestas illa ipfi competat, prout eft Princeps aut
Dominus fæcularis, non erit Simonia pro illis acci-
pere pretium, *Suar.* n.17. *Pirb.* n.42. Licitum quoque
eft Judici Ecclefiaftico, fi indigeat Affeffore, pro eo
ftipendium fufentationis exigere, *Engel* num. 20.
Notandum tamen hîc, quòd *Bonif. VIII. Greg. XIII.*
& *Alexander VII.* in Bulla 19. data 2. Maji 1656.
fub excommunicatione prohibeant omnes
ex pacto donationes, promiffiones &c., etiam fi hæc
non fint acceptatæ, pro obtinenda pro fe vel alio
Iuftitia vel gratia aliqua apud Sedem Apofto-
licam, etiam apud mediatos intercefiores, qui
vel promovere vel impedire poffent tales caufas; &
obtentionem declarant irritam: extendit *Alexand.*
ad

ad omnia verba & signa quovis modo apta inducere quamcunque obligationem Justitiæ aut fidelitatis, etiam sub titulo remunerationis vel gratitudinis, nequidem pro defensione Juris quæsitæ, nec ad redimendam vexam injustam, permittens solam mercedem convenientem actuali labori illorum, quibus non incumbit expeditio Justitiæ vel gratiæ.

§. 7. Si Judex vel adversarius propter contumaciam judicandi, v. g. excommunicati, fecit sumptus, illos solvere debet Reus, antequam absolvatur, non ut pretium absolutionis, sed ad refarciendam injuriam & damnum, *Pirh. n. 51.*

§. 8. In dispensationibus exigitur aliquid, ¹⁷² vel per modum multæ ad causam piam applicandæ, vel ut compensetur recessus à Lege communi, vel per modum stipendii ad sustentationem dispensantis aut Officialium ejus, *Suar. n. 12. & 15. Lesf. num. 58. Layman c. ult. §. 4. n. 42. Pirh. n. 49.* Quod in voto maximè valet, cujus commutatio fieri potest in eleemosynam.

§. 9. Simonia est vendere vel emere potestatem ¹⁷³ supplendi, v. g. in Parochia, quia venderentur vel emerentur, & potestas & actus potestatis spiritualis, *Suar. n. 4. & 5. Pirh. n. 48.* Notat tamen *Sanch.* in consil. L. 2. c. 3. d. 7. n. 4. Parochum, à quo petitur licentia, v. g. ministrandi Sacramenta, posse eam negare, nisi detur sibi stipendium, quod haberet, si ipse ministraret, quia Jus habet se servandi indemnem.

§. 10. Assistentia in Sacramento Matrimonii ¹⁷⁴ ex institutione Ecclesiæ est annexa officio Parochi, adeoque reducitur ad ministerium spirituale, maximè cum ex dispositione Ecclesiæ requiratur ad Matrimonium quatenus Sacramentum, adeoque est

est intrinsecè invendibilis, unde quod pro ea admittitur, non debet esse illius pretium, sed tantùm velut stipendium pro sustentatione: aliud est de præsentia testium, quorum testimonium solùm requiritur ad probandum contractum Matrimonii, *Suar. c. 19. n. 11. Pirh. n. 47.*

Circa hætenus dicta aliæque similia etiam attendenda est consuetudo, per quam sæpe dari potest aliquid, non ut pretium rei spiritualis, sed alio titulo, uti dicitur à n. 191.

¹⁷⁵ Q. 35. *Quandonam committatur Simonia, si detur pretium pro omissione aliqua.* R. §. 1. Si omisio alicujus actûs procedat à potestate Ecclesiastica, & fiat ob pretium, erit Simonia, uti si auditâ Confessione omittas absolvere, si promittas aliquem non absolvere à censura, si pacificaris, ut non eligas, non des votum, &c. ita *Suar. c. 22. à n. 9. Laym. c. ult. §. 4. n. 43. Castrop. T. 17. d. 3. P. 12. n. 17. Pirh. L. 5. t. 3. n. 54.* Ratio est, quia non solùm absolvere, approbare, eligere &c. sed etiam ligatum detinere vel rejicere, est exercitium spiritualis Jurisdictionis Ecclesiasticæ, adeoque pretio invendibile, suam enim æstimabilitatem habet, quatenus ab illa Jurisdictione habet moralem efficaciam, ergo si hæc & similia fiant exercendo suam Jurisdictionem aut curam spiritualem, idque pro pretio, erit Simonia.

¹⁷⁶ §. 2. Simonia est, pacisci, non commendare seipsum vel alium idoneum, si intendatur promotio tertiæ personæ ad aliquod v. g. beneficium Ecclesiasticum, ita *Suar. n. 18. Less. L. 2. c. 35. n. 109.* Ratio est, quia Jus pro se vel alio sollicitandi, est spirituale, ergo qui ab altero emit cessionem illius, re ipsa dat pretium pro Jure illo alteri attribuendo, ergo pro spirituali: deinde directè parat alteri viam ad beneficium per pecuniam, quod est simoniaci.

Idem

Idem est, si pactio fiat, ut quis non contradicat, ut desistat à præensione justa, ut se non sistat ad concursum &c., uti dictum est n. 142.

§. 3. Si omissio non sit exercitium Jurisdictionis ¹⁷⁷ spiritualis, néque intuitu rei spiritualis pretio æstimetur, quamvis sit omissio actus spiritualis etiam ex officio debiti, non erit Simonia pro illa dare vel accipere pretium; poterit tamen esse injustitia vel turpe lucrum, sic si Parochus pecuniam accipiat, ut non audiat Confessionem alicujus, talis omissio non est exercitium Jurisdictionis, sed tantum est voluntarius non usus illius, ita *Suar.* n. 11. *Lesf.* n. 64. & 65. *Laym.* n. 43. *Pirh.* n. 56. Si tamen intuitu rei spiritualis pretio æstimaretur, *Suar.* n. 18. putat fore Simoniam, uti si quis omittat audire Missam pro pretio, quod æstimat æquivalere bono spirituali, quod haberet auditâ Missâ.

§. 4. Non est Simonia dare pretium, ut alter ¹⁷⁸ abstineat ab actu spirituali injusto vel sacrilego hinc secundum dicta n. 146., non est Simonia dare pecuniam volentibus ad Parochiam eligere indignum vel minus dignum, ut sic permoveantur ad electionem dignioris; neque accipientes tale pretium committunt simoniam, sed tantum injustitiam vel turpe lucrum, ita cum aliis *Suar.* num. 8.

Q. 36. An sit Simonia docere Theologiam pro pretio. ¹⁷⁹

R. §. 1. Theologia est quintuplex, 1. *Positiva*, quæ in sensu Scripturæ explicando occupatur, ideóque dicitur positiva, quia ponit fundamenta ad locos argumentationum Theologicarum; ejusque functio est interpretari Scripturas. 2. *Ascetica* sive *mystica*, quæ doctrinas ad perfectionem virtutum consequendam necessarias tradit,
&

& quia potissimum docetur in Asceteriis Religio-
 forum, dicitur Ascetica; ejusque functio est
 docere perfectionem Christianam. 3. *Polemica*, sit
 dicta à πόλεμος, bellum, quia tractat Controver-
 sias, & ostendit modum defendendi veram Fidem,
 & expugnandi hæreses; ejusque functio est
 proponere vera Fidei mysteria Fidelibus, ut con-
 firmantur, infideles autem convincere de erro-
 ribus, ut convertantur. 4. *Scholastica*, quæ specula-
 tivas præcipue quæstiones disputativè examinat;
 ejusque functio est deducere conclusiones certas
 ex principiis partim Fidei, partim luminis natu-
 ralis. 5. *Moralis*, quæ ad actus humanos seu morales
 hominum dirigendos ordinatur; ejusque functio
 est explicare & resolvere casus Conscientiæ.

180 §. 2. Functio 1. & 4. exerceri potest absque Simo-
 nia pro pretio, uti habet communior cum *Suar.
 Less. Castrop. T. 17. d. 3. P. 10. contra S. Anton. Palud.
 Silv. & alios.* Ratio est, quia neutra per se & proximè
 ordinatur ad salutem animæ, sed ad illustrandum
 intellectum in his materiis, sicuti illustratur
 per alias scientias naturales, hinc etiam non est
 Simonia emere Magisterium, Licentiam vel
 Doctoratum in Theologia.

181 §. 3. Functio 2. per se & proximè ordinatur
 ad salutem animæ, nempe ad voluntatem Deo
 tanquam Fini ultimo perfectè uniendam, quod
 supernaturale est, adeoque est intrinsecè inven-
 dibilis, ita *Suar. Less. Castrop. supra* aliique commu-
 niter cum *Burgh. cent. 3. c. 21.*

182 §. 4. Functio tertia videtur esse similis secundæ,
 quia per se & proximè ordinatur ad Fidem super-
 naturalem firmandam vel generandam, uti AA.
 jam citati docent. Si tamen per polemicam tantum
 instrueretur intellectus, ut Fidei nostræ principia
 doctrina-

doctrinaliter propugnare posset, & hæreses argumentis convincere, dicendum esset de hac functione, quod dictum est de prima & quarta: addunt *Suar. Laym. & Illsung* T. 5. n. 308. Ludimagistros pro simplici Doctrina Christiana pueris tradenda licitè exigere mercedem, quia non tradunt modo exhortatorio aut tanquam Ministri verbi divini, sed tantùm doctrinaliter informando rudem intellectum.

§. 5. De quinta functione est dubium, nam 183
Leß. L. 2. c. 35. n. 2. Sanch. aliique apud *Dian. P. 5. T. 14. R. 4.* putant esse Simoniam casus Conscientiæ resolvere pro prætio, sed alii cum *Suar. c. 18. n. 19. Castrop. n. 5. Laym. Dian. Illsung n. 307.* probabiliùs negant, quia instructio illa per se ordinata est ad intellectum naturali cognitione illustrandum, licèt postea ab eo, qui instruitur, referatur ad pacem vel directionem conscientiæ, aut ad alium finem supernaturalem, quod meritò facere debemus etiam in omni alia actione, neque tamen ideo omnes sunt invendibiles.

§. 6. Licèt pro quibusdam ex relatis functionibus accipi non possit pretium secundùm jam dicta, tamen pro omnibus & singulis potest etiam ex pacto accipi stipendium pro sustentatione, uti n. 165. dictum est, quia non datur tanquam commensuratio, æstimatio vel æqualitas boni spiritualis, quod ad emptionem & venditionem requiritur, & consequenter non datur ut pretium rei spiritualis, sed purè ut necessarium vitæ & sustentationi illius.

Q. 37. An sit simonia emere Jus sepultura vel 184
 sepulturam in loco sacro. R. §. 1. Communior sententia est ex *S. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 4. ad 3. Suar. & aliis cum Pirh. L. 3. T. 28. n. 36.* esse Simoniam, I
 quamvis

quamvis daretur pretium pro loco, in quantum honoratior est, quia licet honor humanus sit motivum ementis, tamen locus sacer est id, in quo fundatur ille honor, v. g. quia locus est vicinior Altari, ergo sicuti Simonia est emere Episcopatum, quia honoratior est, ita & hunc locum: Aliqui tamen apud *Dian. P. 2. T. 15. R. 57.* & alii cum *Barb. de offic. Parochi P. 3. c. 26. n. 16. Burgh. Cent. 3. Cas. 11. Caram. in Th. Mor. d. 17. n. 868.* probabiliter dicunt non esse Simoniam, si quid accipiatur, vel pro illa circumstantia situs vel loci dignioris, vel faltem pro fundo, qui habet valorem antecedentem ad consecrationem, uti explicatum est n. 117. & 153, unde si quis habeat cellam vel fornix in templo subterraneum sumptibus suis ædificatum pro se & suis sepeliendis, poterit multò magis vendere juxta valorem fundi & expensarum, uti fatentur *S. Thom. supra, Suar. Az. Carden. in 1. Crisi d. 67. n. 6. & Pelliz. de Regul. T. 8. c. 5. n. 172,* nam tale sepulchrum etiam per hæreditatem transit ad Laicos; & si sit Jus personale habendi aliquo loco sepulturam, hoc Jus etiam transit ad hæredem, uti dictum est n. 130, ergo etiam transire poterit ad alios per venditionem rei, cui annexum est, uti n. 128. diximus de Jure-Patronatus. Addunt *Suar. c. 14. num. 21. Carden. n. 8.* aliique apud *Illsung n. 310.* posse exigi pretium pro onere & obligatione non sepeliendi in aliquo loco alium, quàm v. g. Cajum & familiam ejus, quia onus illud est pretio æstimabile, nec tamen est spirituale vel spirituali annexum; & fatentur omnes cum *Laym. Castrop. Pirh. n. 40.* consuetudinem posse excusare, ut aliquid fabricæ Ecclesiæ applicandum detur pro loco sepulturæ, uti & pro sede vel loco honoratiore in templo.

§.2. Quando locus aliquis sacer est communis 186
 pro sepultura Fidelium, Simonia est saltem Juris
 humani exigere aliquid pro sepultura in illo,
 nisi iterum excuset consuetudo legitimè intro-
 ducta, nam Ecclesiæ prohibitio est ex Cap.
Abolenda, de sepult., ut non tantùm pro bene-
 dictione, sed etiam pro sepultura nullum pretium
 detur vel accipiatur, ita *Suarez* num. 19. aliique
 cum *Castrop.* T. 17. d. 3. p. 8.

Quis possit concedere alicui Jus sepulturæ
 in loco sacro, vel cui de Jure illud competat, dice-
 tur L. 7. c. 2. ad Dub. 3.

Q. 38. *An sit Simonia dare vel accipere pecuniam* 187
pro ingressu in Religionem. R. §. 1. Pro Religione ipsa
 dare vel accipere pecuniam, patet esse Simoniam:
 attamen non est simonia facere mutuos contractus
 circa dotem & sumptus pro sustentatione ejus, qui
 Religionem ingreditur, aut pro oneribus tempo-
 ralibus à domo religiosa sustinendis in gratiam
 admittendi, ita *S. Th.* supra ad 4. aliique sancti viri,
 & post illos 54. gravissimi Authores, quos refert
 & sequitur *Jacobus à S. Antonio Carmelita*
 in Consult Canon. Consult 2. Resol. 2., & in adjecta
 resolutione Dubii de hoc, specialiter edita Romæ:
 idem ostendit *Pirb.* l. 5. t. 3. à n. 59., unde *Lesf.* in Auct.
 v. *Simonia* Cas. 9. & 10. dicit probabile esse, quòd
 exigi possit certa pecunia, licet Monasterium
 sit opulentum, ob consuetudinem, quæ nunc præ-
 scripserit, & consentit *Urbanus ab Ascensione*
 apud *Steph.* T. 4. d. 11. n. 40., addens præsumi Simo-
 niam, si tum exigantur pecuniæ à tali admittendo,
 qui nullum aliud talentum Religioni utile adferre
 videtur, præterquam pecuniam: Quoad Moniales
 tamen minus scrupuli est faciendum, si bona sua
 I 2 dens

dent Monasterio, id enim meritò permittit Ecclesia, ut illis non sit occasio evagandi extra Clausuram prætextu paupertatis.

188 §.2. Non est Simonia, si gratis dentur munera Superioribus vel aliis, ut faciliùs impetretur ingressus in Religionem, cum id nullo Jure sit prohibitum, ita cum aliis *Dian. P. 3. T. 2. R. 64.*

189 §.3. Nec est Simonia muneribus allicere aliquem ad Religionem, etiamsi spes & intentio illa manifestaretur, ita *Bonac. cum Lex. in qq. Reg. v. Simonia. n. 5. Imò S. Thom. Quodlib. 4. q. 12. a. 23. in O. expressè asserit laudabiliter fieri, si pueri vel Adolescentes munusculis ad Religionem alliciantur, quamvis S. Ignatius Lojola in Constitutionibus suis, in Exam. c. 3. §. 14. ob justas & speciales causas noluerit sic inductos ad Societatem JESU admitti.*

190 §. 4. Nec est Simonia, si v. g. Abbas alat aliquem in studiis, eâ conditione, ut postea Religionem intret, uti n. 163. dictum est: item si obliget se ad alendos ejus Parentes, qui indigent, aut ad solvenda ejus debita, ita *Sanchez* aliique cum *Bonac. de Simonia. d. 1. q. 4. §. 8. n. 3.* Ratio est, quia hoc non offert velut pretium Religionis aut Religiosi, sed tantum ponitur velut conditio, quam Juvenis admittere debet, si velit gaudere illo commodo temporali; vel tantum tollitur impedimentum, quo excluderetur à Religioso Statu, quod tollere licitum est.

An sit Simonia dare vel accipere aliquid pro officio in Religione, dictum est n. 103.

191 Q. 39. *An consuetudo excuset à Simonia. R. §. I.* Nulla consuetudo vel usus potest excusare à Simonia Juris naturalis, quia Jus naturale est necessarium, nec aboleri potest; hinc nullâ consuetudine potest

potest induci, ut liceat dare vel accipere temporale
 tanquam pretium spiritualis, ita omnes cum *Suar.*
 c. 48. n. 1. & *Pirh.* L. 5. T. 3. n. 42.

§. 2. Consuetudo potest excusare à Simonia 192
 Juris tantum positivi, si habeat condiciones
 ad præscribendum requisitas, quia sicut consue-
 tudo potest inducere obligationem Legis, ita & tol-
 lere, uti dictum est L. 1. n. 572., & ita secundum dicta
 hic n. 160. inducta est per consuetudinem obligatio
 ad dona quædam seu oblationes faciendas Clericis
 pro exequiis, benedictionibus nuptiarum, cere-
 moniis Baptismi & similibus, etiamsi illi, quibus
 dantur, aliunde sustentationem habeant, uti n. 165.
 dictum est; exigi tamen non debent, antequam
 functiones illæ fiant, ne sit species emptionis, sed
 dantur pro jam factis, ad ostendendum, quod ori-
 ginem habeant à gratuita recognitione: possunt
 tamen fideles per Episcopum cogi ad ea de more
 danda, nam præscriptio virtute Legum tale Jus
 fecit Parochis aut Ministris, ita *Silvest. Suar.*
Pirh. n. 43; idem est de consuetudine exigendi
 aliquid in administratione Sacramentorum,
 in admissione ad Monasterium, *Suar.* à num. 5.
Laym. L. 4. T. 10. c. ult. §. 2. n. 16. *Pirh.* n. 44. Hinc
Dian. P. 6. T. 8. R. 17. & *Roccaf.* apud eundem *Dian.*
 P. II. T. 6. R. 31. absolutè docent non esse Simoniam
 dare vel accipere aliquid temporale, quando exhi-
 betur spirituale, si talis sit consuetudo, & solùm
 agatur de periculo Simonie Juris positivi, quia
 tum probabiliter judicari potest ejusmodi usum
 esse licitè introductum, jamque præscripsisse,
 ad quod in probabili sententia sufficiunt anni
 tantum decem: addit *Engel* L. 5. t. 3. n. 16. inter causas,
 ob quas tales consuetudines potuerint introduci,
 etiam esse hanc, quod multæ Decimæ, v. g. lucri

in negotiatione, pecorum, lini, lanæ, pomorum, ovorum &c, antehac Ecclesiæ dari solitæ, nunc in defuetudinem venerint, adeo que præsumi possit has esse conversas in particulares exactiones tum faciendas, quando exhibentur ministeria quædam spiritualia : notat tamen rectè n. 14. non licere Parochis ob denegatam pecuniam denegare Sacramenta, sed debere aliâ viâ, v. g. apud Episcopum Jus suum prosequi, alioquin non leve foret scandalum specièsque Simonix, & grave Parochianis detrimentum, si ob negatam modicam pecuniam mediis salutis frustrarentur.

193 §. 3. Licet Cap. *Non satis* 8 : *Cum in Ecclesiæ* 9 : *In tantum* 36 : *Sicut pro certo*, 39. *Jacobus*, 44. Tit. de *Simoniam* , & alibi sæpe reprobentur omnes consuetudines accipiendi aliquid pro sepeliendis mortuis, benedicendis nubentibus seu aliis Sacramentis conferendis seu collatis , tamen in his iterum prævaluit nova consuetudo, scientibus & conniventibus Superioribus Ecclesiasticis , uti n. 192. dictum est.

194 §. 4. Quamvis nunc sit consuetudo fueritque dudum , ut per pecunias obtineantur beneficia Ecclesiastica, hæc tamen consuetudo non excusat, neque præscribit, unde frustra se in talibus excusant aliqui dicentes, *Hoc jam moris est, passim fit, faciunt omnes &c.* Ratio est, quia plerumque est *Simoniam Juris naturalis*, cum pecunia detur velut pretium rei spiritualis, circa *Simoniam autem talem nulla præscribit consuetudo.* Deinde quamvis non foret contra Jus naturale, est tamen contra Jus positivum, & illi consuetudini constanter reclamant Ecclesia, partim per damnationem propositionum, quæ tali consuetudini favent, partim per *Responsa*, quæ quotidie dat Curia Romana, quando

quando enim interrogatur, semper declarat ejusmodi facta esse simoniaca, imò rarissimè dispensat, sed præcipit dimitti beneficia & restitui omnes fructus perceptos.

Q. 40. *Quid censeri debeat in dubio.* R. §. I. 195

Si probabile sit Simoniam non intervenisse, non est, quòd aliquis sibi scrupulum faciat, tum quia sequi potest probabilem, tum etiam, quia est in possessione suæ innocentia, quam adhuc præsumere potest, quamdiu non rescit se nocentem, unde rectè docent *Zypæus* aliique cum *Dian. P. 6. T. 8. R. 17.* quamvis secundùm Jus etiam ille fit Simoniacus, qui non intelligit se illicitum agere, si re ipsa committatur simonia, tamen qui processit ex autoritate Doctorum, excusatur à culpa & pœna. Vide dicenda à num. 204.

§. 2. Si verum sit dubium, an commissa sit Simonia nec ne, v.g. scis datos esse centum imperiales, sed nescis, an dati sint cum pacto aliquo aut gratis vel alio licito titulo, nec habes prudens motivum pro alterutra parte judicanda, in tali dubio poteris præsumere non intervenisse Simoniam, quia delicta non præsumuntur, & innocentia est in possessione, donec probationes claræ & convincentes afferantur, ita *Suar. Pirh. L. 5. T. 3. n. 132.* *Tamb. in Dec. L. 1. c. 3. §. 7. v. Simonia.*

§. 3. Ubi verba sunt dubia, Ecclesia præsumit simoniam, è contrà ubi verba sunt dubia, Jus civile non præsumit Usuram, disparitas esse potest, quòd Usura non fit ita communis, & habeat plures titulos excusantes, Simonia autem nunc fit communissima, nec sint tituli tales excusantes.

Q. 41. *An in simonia detur parvitas materia.* 198

R. Affirmat *Alloza v. Simonia Sect. 4. n. 29.* Item *Molin.* dicens, quòd ad mortale furtum sufficit,

non semper sufficere ad mortalem Simoniam : sequuntur *Regin. Merol. Gord. apud Dian. P. 5. T. 5. R. 2.* uti (secundum omnes) datur in Sacrilegio, v.g. in modico furto rei sacræ; sed oppositum dicit esse certum *Haunold. de Just. T. 6. T. 2. n. 559.* ideoque communiter AA. negant in Simonia parvitatem materiæ, *Suar. c. 3. à n. 5. Sanch. hic L. 1. c. 4. n. 1. Illung T. 5. n. 313.* quod verum est de Simonia Juris naturalis (de Simonia Juris Ecclesiastici dicitur *Lib. IV. n. 632.*) Ratio est, quia parvitas non potest provenire ex vilitate ipsius rei spiritualis, quantumcunque enim videatur exigua, est tamen ordinis supremi, tendens ex natura sua ad supernaturalem Dei possessionem, ergo est gravis irreverentia eam pretio temporali veluti proportionato & æquali æstimare, cum hoc pretium sit infinites vilius: neque potest provenire ex parvitate pretii, quia quod minus est pretium, eò minor est æstimatio rei spiritualis, pro qua offertur tam exiguum pretium: idem confirmat *Rayn. L. 2. Sect. 1. c. 3*; quantum autem sit scelus Simonia, satis colligitur ex *c. Per tuas literas, 32. de Simonia,* ubi *Innocentius III.* ait, ceteras exceptiones, ut furti, adulterii, propter immanitatem hæresis simoniacæ, ad cujus comparationem cætera crimina quasi pro nihilo reputantur, duximus repellendas: Similia habenter *caus. 1. q. 1. Eos qui.* Ideoque *Paulus II. Extravag. 2. de Simonia,* meritò vocat detestabile scelus: *Concilium Lateranense Cap. Cam in Ecclesia, 9. de Simonia,* vocat horribile nimis. Eandem malitiam Simonia per multa capita sequentia depingit *Raynaudus*; denique *c. 6. & 7.* refert exempla plurima Simonia à Deo gravissimè punitæ.

ARTI-

ARTICULUS II.

Qua sit pœna Simonia.

Resp. I. Sola Simonia Confidentia & Realis, ^{cc} 199
 in Ordine, beneficio Ecclesiastico & Reli-^{cc}
 gionis ingresso, pœnas Juris ipso facto indu-^{cc}
 cit: licet ob ingressum Religionis raro incurra-^{cc}
 tur, ut dictum, vel ob tenuitatem Monasterii,^{cc}
 vel contrariam consuetudinem receptam, *Suar.* ^{cc}
L. 4. c. 56. & 57. Less. L. 2. c. 35. d. 23. Laym. L. 4. T. 10. cc
c. ult. § 7.

Resp. II. Ob simoniacam collationem &
 susceptionem Ordinum, etiam primæ Tonsuræ,
 incurritur excommunicatio & suspensio Papalis,
Less. d. 24. Laym. l. c.

Resp. III. Ob Simoniam Realem in beneficio
 Ecclesiastico incurritur, 1. Excommunicatio
 Papalis. 2. Irrita est electio, præsentatio, confir-
 matio & institutio: Unde talis non facit fructus
 suos: idque etiam, licet à tertia persona taliter
 provisus, id ignoraverit; nisi tamen contra-
 dixerit, vel nisi à tertio data fuerit pecunia
 per fraudem, ut redderetur inhabilis; vel
 nisi bonâ fide possederit beneficium per trien-
 nium. *Less. d. 25. Laym. l. c. Bonac. d. 1. q. 7. p. 2. n. 20. cc*
ex Gomez, Garzia & aliis. 3. Efficitur inhabilis
 ad idem beneficium, etiam per dispensationem
 Episcopi obtinendum: aliis tamen beneficiis
 Jure ipso non privatur; nec ad alia obtinenda
 fit inhabilis ante sententiâ Judicis, *Suar. c. 57. n. 47. cc*

Resp. IV. Simonia Confidentia completa
 dato & accepto beneficio, licet accipiens promissio-
 nem vicissim non impleverit, inducit, ^{cc}

» 1. Excommunicationem Papalem utrique parti
 » contrahenti. 2. Annulat resignationem & colla-
 » tionem beneficii, in quo est commissa, & inhabi-
 » litat ad idem postea obtinendum. 3. Privat
 » omnibus beneficiis & pensionibus antè obtentis,
 » non tamen ante sententiam latam. 4. Beneficia
 » sic collata soli Pontifici reservantur, *Lesf. d. 26.*
 Ca

aym. §. 8. num. 76.

A D D E N D A.

200 Q. 42. *Quid sit simonia ficta, & an per eam
 incurrantur poena.* R. §. I. Simonia ficta est, quando
 exterius fit promissio rei spiritualis pro temporali,
 vel temporalis pro spirituali, sine intentione
 implendi promissum vel se obligandi, & hanc
 non contineri sub ulla specie Simoniae docent
Cajet. Sot. Ledesm. P. Navar. Escob. Moya T. 6. d. 4. q. 7.
Castrop. D. 3. P. 6. n. 2. alique multi, nam Simonia,
 quæ dividitur, est vera Simonia, hæc autem non est
 vera Simonia, quia deest animus implendi vel se
 obligandi. *Navar.* reducit ad conventionalem,
 quia licet promissio fuerit ficto animo facta,
 tamen commutatio rei spiritualis pro temporali
 fuit vera, actio enim illa promittendi, licet sit ficta,
 est vera realis actio & pretio æstimabilis,
 cum subjaceat multis oneribus & obligationibus,
 per hoc autem temporale intendit consequi spiri-
 tuale: *Suar. c. 42. n. 4. & 5.* sic procedit, I. Quando
 fictio tenet se ex parte ejus, qui rem spiritualement
 est daturus, ab hoc tantum committitur menda-
 cium graviter scandalosum & sacrilegum, quia
 rebus sacris injuriam facit ita eis abutendo,
 potestque etiam injustitiam committere, si sic
 intendat pretium ab altero rapere; alter verò
 promittens temporale animo implendi committit
 veram Simoniam mentalem, fundatam in simili
 existi-

existimatione de mente alterius, non est tamen conventionalis, quia vera conventio non potest esse ex una parte tantum, sed exurgit ex vero utriusque consensu. 2. Ex quacunque parte se teneat fictio, certissimum est, inquit *Moya* n. 1. sic fingentem peccare mortaliter peccato mendacii, & inductionis vel cooperationis ad peccatum Simoniam, quod credit alterum committere. 3. Quando fictio intercedit ex utraque parte, ex neutra parte est Simonia, nisi forte ex conscientia erronea & ratione scandali, in quantum uterque potest putare se inducere alterum ad veram Simoniam. 4. Neque potest esse Simonia conventionalis ratione promissionis fictæ, quæ videtur commutari cum spirituali vel pro temporali, uti vult *Navar*: nam licet ille deceptor intendat mediante illâ promissione fictâ obtinere beneficium, non tamen intendit dare ipsammet promissionem ut pretium beneficii, sed solum fictè offerre id, quod alter putat esse futurum pretium, unde etiam alter non intendit dare beneficium pro promissione, sed pro re promissa, & promissio habet se tanquam conditio conferens certitudinem de pretio: *Confirmatur*, nam si promissio esset pars pretii, ergo in omnî Simonia conventionali, hoc ipso, quod esset facta promissio pro beneficio accepto, jam pars pretii esset soluta, adeoque semper esset Simonia realis utrimque completa, quod nemo dicet. Cum *Suar.* tenent etiam *Lesf.* L. 2. c. 35. n. 11. *Alloza* v. *Simonia*. §. 1. n. 9. *Castrop.* d. 3. p. 6. cum multis, quos citat.

§. 2. Per Simoniam fictam non incurruntur pœnæ Juris, ita *Suar.* *Laym.* *Lesf.* *Tolet.* *Bonac.* *Tann.* 201
Pirh. *Rayn.* L. 2. §. 1. c. 4. n. 1. alii que cum *Dian.* P. 7.
 T. 4. R. 4. Ratio est, quia vel non est vera Simonia, vel est tantum mentalis, quæ non inducit pœnas,

ut statim dicetur ; posset tamen semper ejusmodi conventio ex utraque parte puniri à Judice, ut iidem Authores docent.

202 Q. 43. *An simonia mentalis inducat pœnas.* R. Affirmant *Sot. Maj. Med. & alii* ; sed reliqui communiter cum *S. Th.* apud *Dian. P.4.T.4.R.158* probabilis negant : hinc si quis servivit Episcopo animo recipiendi beneficium tanquam pretium servitii, & Episcopus dederit beneficium tanquam illius servitii pretium, si nullum adfuit pactum, sed uterque finxit se gratis facere, accipiens beneficium non tenetur resignare, nec Episcopus tenetur

203 solvere servitium : circa restitutionem autem disputant Authores, an Simonia mentalis ad illam obliget, *Silvest. & alii* absolutè negant : *Hofst. Abb. & Azor* absolutè affirmant : *Suar. c. 59. n. 45. & Pirh. L.5.T.3. n. 190.* distinguunt, & dicunt, si simul non fiat injustitia, non deberi restitutionem ; si autem fiat injustitia, tum deberi ; tum autem fit injustitia, si quis, v.g. recipiat pecuniam, credens dari ut pretium rei sacræ, implicat enim esse ejus pretium, cum res sacra pretio sit inæstimabilis, ergo recipiens nullo justo titulo potest pecuniam facere suam, sed dominium illius manet apud alterum.

204 Q. 44. *An per simoniam tantum materialem incurrantur pœnae Juris.* R. §. I. Tum Simonia dicitur materialis tantum, si re ipsa intervenerit, attamen bonâ fide acta sint omnia, ita ut formale peccatum Simonia non sit commissum.

205 §. 2. Si materialis tantum Simonia intervenerit, *Wames. Conf. 563. n. 2.* docet incurrere pœnas usque adeo etiam irregularitatem, quia *Cap. Per tuas 37, de Simonia, Innoc. III. in casu Ordinis simoniae suscepti ab illo, Qui se in hoc egisse*

aliqui

aliquid illicitum non intellexerit, sic declarat, quòd nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum, nec ad superiores ascendere, nec in suscepto debet Ordine ministrare: idem videntur dicere S.Th. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3. Suar. c. 57. n. 35. aliique communiter: sed Less. in Auct. v. Simonia c. 4. & 5, & Lugo in Resp. mor. L. 6. D. 4. à n. 5. sic distinguunt, si ex nulla parte fit commissa formalis Simonia, ita ut, v. g. nec accipiens beneficium nec conferens nec alius cooperans peccaverit, tum dicunt non incurri ullam pœnam vel inhabilitatem, sed provisionem esse validam, quia nullitas provisionis est pœna in odium delicti Simoniaci, ergo si ex nulla parte fuit delictum, nullitas non incurritur, multò minùs excommunicatio, uti rectè Sa v. Simonia n. 13, & videtur consentire Suar. de Leg. L. 5. c. 22. n. 3. Econtra quamvis vel solus provisor vel solus collator vel etiam solus aliquis tertius commiserit formalem Simoniam, in odium hujus delicti irritatur provisio, & incurruntur pœnæ, uti q. seq. declarabitur: & de hoc casu explicandum est caput citatum, uti & S. Thom. & Suarez, nam ibi loquuntur de Simonia interveniente per tertium, hinc etiam Cap. De simoniacè ordinatis, 22, de Simonia, dicitur: De simoniacè Ordinatis certum tibi non possumus dare responsum, nisi plenius cognoscamus, qualiter fuerint ordinati, cum quidam, licèt secundum quandam speciem Simonia, utpote ipsis ignorantibus, simoniacè ordinentur, possunt, quia Simoniaci non sunt, in suis Ordinibus remanere. Vide etiam dicta num. 195.

Q. 45. Quid dicendum sit, si simonia per tertium tantum sit commissa. R. §. I. Si per Collatorem vel per quemcunque tertium commissa sit Simonia, collatio saltem potest invalidari, nisi ille tertius mali-

malitiosè id fecerit ad impediendum valorem collationis, vel nisi ipsemet provisus contradixerit, uti statim explicabitur, & docent omnes communiter cum S. Thom. & Lugo supra, patetque ex Cap. *Matthaus 23. Ex insinuatione 26. Sicut tuis Nobis 27.* de Simonia, ubi sic habetur: *Nisi constiterit illis, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiosè fecisse, quamvis ipso tempore promissionis conscientia non fuerit, ejus tamen electio tanquam simoniaca pravitate presumpta est penitus reprobanda.*

207 §. 2. Si aliquis tertius dedit pretium, ut tu obtineres beneficium, & id certò sciveris, antequam obtinuisses, quamvis contradixeris, collatio adhuc est simoniaca, & consecutio beneficii irrita, quia quando habens illam notitiam nihilominus acceptas, cooperaris saltem quoad executionem Simoniam cognitam, ita *Suar. c. 57. n. 29. Less. L. 2. c. 55. n. 143. Castrop. Rayn. L. 2. S. 1. Cap. 4. n. 8. Pirh. L. 5. T. 1. n. 103*: Si autem nihil scivisti & contradixisti, timens ne fortè factum esset aut fieret; vel si suspicatus es, & contradixisti, postea autem deposita suspicione, bonà fide admisisti, licet postea certò rescias intervenisse Simoniam, provisio non est simoniaca nec invalida, uti expressè habetur Cap. *Sicut tuis, 33.* de Simonia.

208 §. 3. Si postea rescians Simoniam intervenisse, refundas pecuniam nefario mediatori, si hoc facias ante beneficium obtentum, licet contradixeris, hoc ipso revocas contradictionem, & censeris consentire, hinc provisio est simoniaca & invalida. Si facias post obtentum beneficium, & quidem animo ratificandi factum alterius, committis Simoniam, quia approbas, putatque S. Thomas te teneri resignare beneficium & restituere fructus: è contra

è contrà tamen *Adri. Tanc. & Lesf.* apud *Dian. P. II.*
T. 5. R. 16. putant te non teneri resignare, nec ipso
 facto incurrere pœnas Simonix, quia cùm collatio
 fit jam completa, non poterit invalidari per factum
 simoniacum subsequens: *March.* in *Trib. T. 3. P. 1.*
T. 10. T. 7. q. 3. tenet cum *S. Thoma*, quia consensus ille
 & solutio pecuniæ est moraliter pars contractûs
 simoniaci, nam mediator ille promittebat pecu-
 niam nomine tuo & tanquam refundendam à te,
 ideòque tuus consensus & refusio supponebatur
 futura, ergo quando refundis, jam priùs absolvitur
 & completur contractus simoniacus, & ob hanc
 rationem videtur hæc sententia esse probabilior.

§. 4. Si refundas, non approbando nec consenti- 209
 endo, sed ne dicaris ingratus, aut ne alter propter te
 patiatur damnum, non erit Simonia, neque ideo
 privari poteris beneficio, quia hoc non est malum,
 sicuti malum non est, si pater solvat debita filiù
 malè contracta, ita *Navar. Lesf. n. 144. Suar. n. 72.*
Rayn. & Pirh. suprà, *Moya T. 6. D. 4. Q. 7. n. 11. Baun.*
 apud *Dia.* suprà. Idem est, si refunderes, quia ad hoc
 violentè cogereris, tum enim redimeres vexam,
 uti notat *March.* suprà.

§. 5. Si nullo modo sciveris, quòd amicus 210
 simoniacè tibi quæreret beneficium, ideòque
 nullo modo contradixeris, *Nav. Ugol. Adri. Millar.*
Baun. apud *Dian. R. 56.* putant provisionem esse
 validam, & tantùm manere infirmandã, si accedat
 sententia Judicis, non enim est invalida Jure
 naturæ vel divino, uti probat *Suar. n. 15,* nec Eccle-
 siastico, cùm ostendi non possit clarus Textus: &
 hanc sententiam probabilem esse dicit *Lesf.* suprà:
 favétque Textus n. 206. relatus, tantùm enim dicit
 ejusmodi electionem reprobendam: Oppositum
 tamen tenent *S. Th. Suar. n. 35. Valer. Henri. j. Covar.*
Rayn.

Rayn. n. 9. *Pirh.* à n. 95. & plerique Juris-Periti, docentes provisionem esse ipso Jure & facto invalidam, ita ut quamprimum resciverit, statim teneatur, vel petere dispensationem vel beneficium dimittere & restituere fructus perceptos, iis exceptis, quos bonâ fide consumpserit, aut qui respondent ipsi ministerio, quales sunt præsentia, hos enim fecit suos, *Suar.* n. 9. *Pirh.* supra. Præterea talis provisus illâ vice est inhabilis, ut obtineat idem beneficium: atque hæc veluti pœnæ infliguntur ob culpam etiam alienam, ut tantò magis removeatur labes simoniaca: notant tamen *Nay.* & *Henriq.* apud *Dian.* supra non incurri suspensionem ab eo, qui nescivit Simoniam in sua Ordinatione esse commissam; & idem habet *Castrop.* de censuris d. 5. p. 10. §. 4. n. 1.

- 211 §. 6. Si tantum per tertium commissâ sit simonia, potest ab ignorante præscribi Jus in beneficio per possessionem triennem, uti dicitur L. 4. n. 709.
- 212 Q. 46. An per Simoniam conventionalem necdum realiter completam incurrantur pœnæ Juris. R. Affirmant *Cajet.* *Garz.* *Comit.* & alii multi cum *Pirh.* Lib. 5. Tit. 3. n. 100, quamvis enim pretium necdum sit traditum, Simonia tamen videtur completa, sicuti contractus venditionis censetur completus, si res sit tradita, quamvis pretium necdum sit solutum: econtrâ *Suar.* aliique 30. apud *Garz.* p. 8. c. 1. num. 19, quibus consentiunt *Ray.* L. 2. S. 1. c. 4. n. 2. *Less.* c. 35. n. 149. *Regin.* L. 23. n. 171. *Moya.* T. 6. d. 4. q. 7. n. 9. probabilius negant; & hanc sententiam fatetur *Pirh.* in praxi securam esse. Ratio est, quia in odiosis, per Simoniam intelligi debet illa, quæ completè & perfectè est talis, qualis non est, nisi sit utrimque realiter completa: addunt adhuc non esse omnino completam, quamvis

quamvis datum sit chirographum de solvendo pretio, quia illud chirographum non est pars pretii: notant quoque *Dian. Baun. & Rayn.* n. 1. contra *Suarez*, si falsa pecunia daretur, etiam non compleri, quia falsa pecunia non est verum pretium: Quod si pretium non solveretur statim, sed post aliquot v.g. menses, quamvis in foro externo pœnæ retrotrahantur ad tempus conventionis, non tamen in foro conscientiae, hinc talis non tenebitur restituere fructus interim perceptos, ita *Leß. Castrop. Rayn.* n. 3. *Dian.* P. 10. T. 16. R. 15. Atque idem est de excommunicatione incurrenda, quæ nunquam retrotrahitur, uti iidem Authores habent.

Q. 47. *An pœna Juris incurrantur per Simoniam* ²¹³
Juris Ecclesiastici tantum. R. *Suar. Rayn.* num. 4. *Pirh.* n. 100. & 155. alique communis & probabilis affirmant, quia est vera Simonia, licet non strictissimè dicta, & si casus hujus Simoniae deferatur ad Curiam Romanam, semper declarat subjacere pœnis: è contrà *Navar. Leß.* num. 141. *Sanch.* in Conf. L. 2. c. 3. d. 118. n. 3. *Dian.* P. 4. T. 4. R. 155. P. 10. T. 16. R. 17. P. 11. T. 5. R. 1. & 20. Item T. 6. R. 30. alique cum *Castrop.* D. 3. P. 15. n. 4. etiam probabiliter negant, quia non est propriè & strictè dicta simonia, quæ communiter definitur, *studiosa voluntas vendendi spirituale pro temporali*, quod soli Simoniae Juris naturalis convenit: unde qui, v.g. propriâ authoritate permutant beneficia, quamvis graviter peccent, tamen secundum hanc sententiam non incurrunt excommunicationem, nec ipso Jure privantur beneficiis, nec tenentur fructus restituere: excipiunt tamen omnes Simoniam confidentialem, de qua à num. 220; item, si detur aliquid etiam gratis Officialibus Episcopi

occasione susceptorum Ordinum, dimissorialium vel testimoniorum, ubi receptum est *Tridentini* Decretum hoc expressè vetans Sess. 21. c. 1. de Reformationibus, dicens per hoc utrimque incurri ipso facto pœnas Juris in Simoniacos.

214 Q. 48. *Quid præterea sit addendum circa pœnas Simonia communis.* R. Seqq. §. 1. Si quis committat Simoniam in Sacramentis aliis, præterquam in Sacramento Ordinis; item si committat in consecrationibus, benedictionibus, dispensationibus, in Officio Ecclesiastico, v. g. Legati vel Delegati, in Jure Patronatus, in Vicaria temporalibus, & probabiliter in pensione vendenda, emenda vel redimenda, non incurrit pœnas, quia pœna tantum incurritur per Simoniam in Ordine, Beneficiis & Religionis ingresso, ita *Less. Sanch. Tann.* & alii cum *Dian. P. 11. T. 5. R. 20.* *Rayn. n. 3. Castrop. P. 25. Pirh. n. 101. 154. & seqq. Alloza v. Simonia Sect. 4. n. 45;* unde nec ille incurrit, qui acceptat pecuniam velut pretium Missæ, *Pasq. de Sacrif. Q. 922.* Addit *Dian. P. 4. T. 4. R. 157,* si Canonici Sede vacante convenirent inter se, ut qui ex ipsis ad interim eligeretur Vicarius Episcopalis, etiam reliquis communicaret partem emolumentorum, non incurfuros pœnas, quia licet hic Vicariatus sit aliquid spirituale, tamen non est beneficium: & idem est de Officialatu, cum partem contentiosam Jurisdictionis Episcopalis contineat, *Laym. Pias.* aliique cum *Du Hamel L. 1. c. 7. n. 6,* qui clare deducit ex *Conc. Turon. c. 11. & Lateran. sub Alex. III. c. 15.* Quamvis autem officia illa aliæque similia non sint strictè beneficia, tamen Jure divino sunt invendibilia, adeoque materia Simonia. Addit iterum *Dian. R. 167. cum Sanch:* si Cajus emat Vicariatum Episcopi, nec Cajum teneri resignare,

nec

nec Episcopum teneri reddere pretium, sed de hoc ultimo dicitur postea à n. 237. Quid autem nomine beneficii veniat, diximus à num. 103.

§. 2. Provisio simoniaca est irrita saltem ²¹⁵
Jure positivo, & quamvis *Navar. Felin.* & alii cum *Fagn.* in Cap. *Nobis* 27. de Simonia à num. 67. dicant non esse irritam ipso facto, probabilius tamen est oppositum, uti docent plurimi cum *Pirh.* à n. 97, & ex Canonibus probat *Busenb.* referendus n. 236. Similiter licet *Nav. Less. Laym. Castrop. Chock.* apud *Leur. P. 3. Q. 847.* dicant eos, qui dignitates vel beneficia permutant propriâ autoritate, ipso Jure non amittere beneficia, ideòque posse propriâ autoritate ad illa redire, saltem pro foro conscientiae, quamdiu per sententiam non privantur, uti videtur innui Cap. *Cum olim*, de rerum permutatione, tamen oppositum tenent *Suar. Cap. 57. num. 41. Garz. p. 11. c. 4. num. 59. Pirh. L. 3. T. 19. n. 24.* propter Extrav. 2. *De Simonia.* Vide dicta L. 1. n. 612. & hic num. 213.

§. 3. Per Simoniam in beneficio, quamvis incur- ²¹⁶
ratur excommunicatio, tamen non incurritur ipso facto suspensio ab officio vel beneficio, de hac enim nihil habent Jura, ita *Suar. Garz. Bonac. Dian. R. 18. Castrop. de Cens. d. 5. p. 10. §. 4. n. 1. Pirh. L. 5. Tr. 3. n. 164;* manet tamen talis perpetuò deponendus ab altaris ministerio five ab officio, & consequenter etiam à beneficio, *Pirh. n. 165.*

§. 4. Qui confert Ordines simoniacè, ipso facto ²¹⁷
suspenditur à collatione omnium Ordinum, saltem per triennium, & interdicitur ingressu Ecclesiae; Ordinatus autem per propriam Simoniam, etiam ipso facto suspenditur ab Ordine, donec à Papa absolvatur, uti habetur Cap. *Si quis.* 45. de Simonia, & docent *Suar. Less. Pirh.* à num. 159:

K 2

proba 2

probabile tamen est ex multis AA. cum *Dian. R. 19.* suspensionem solum attingere Ordinem illum, qui simoniace est susceptus, non autem alios rite susceptos, qui (per se loquendo) licite exerceri poterunt.

218

§. 5. Quod ordinatus simoniace incurrat irregularitatem, docent *Alens. Rich. Comit. & alii*, sed probabilius negant *Suar. c. 56. n. 20. Less. c. 25. d. 24. Fill. Baun. & alii* cum *Dian. R. 17.* item *P. 1. T. 11. R. 113.* quia id ex nullo Jure probari potest; neque videtur infamia sufficiens, nisi Simonia esset notoria, uti habet *Avila*, & consentit *Megala*, si Simoniacus per sententiã fuerit damnatus, quia omnes infames sunt irregulares, per hoc autem esset infamis: hinc *Cap. Accusatum 4. & c. Quotiens 5.* de Simonia decernitur, ut accusatus & publice infamatus de Simonia, prohibeatur celebrare Missas & administrare Sacramenta, fiẽntque tales Simoniaci irregulares, si in excommunicatione vel suspensione solenniter exercent actum Ordinis ita suscepti, uti dicitur de Irregularitate.

219

§. 6. Docet *Baun.* apud *Dian. P. 4. T. 4. R. 17.* non incurri suspensionem per simoniacam collationem aut receptionem primæ Tonsuræ vel minorum Ordinum, nam probabiliter non sunt Sacramenta, nec censentur strictè Ordines; quam sententiam *Regin. L. 23. n. 124.* vocat probabilem, quod de prima Tonsura admitti potest; oppositum tamen probabilius est de Ordinibus minoribus, uti dicitur de Sacramento Ordinis.

220

Q. 49. *Quid addendum sit circa pœnas Simoniae confidentialis. &c.* Seqq. §. 1. Per illam, licet ex una tantum parte sit completa, incurritur ab utroque etiam inhabilitas ad quæcunque alia beneficia obtinenda, uti habent *Suar. c. 43. num. 13. & alii.*

Si tamen Confidentarii recipientes sint Episcopi vel Cardinales, non incurrunt excommunicationem, sed Interdictum ab ingressu Ecclesiæ, *Navar. Suar. Pirb. L. 5. T. 3. n. 115*; fructus autem à tali Simoniano interim percepti à die commissæ Simonix debent applicari Camera Apostolicæ, *Navar. & Pirb. supra.*

§. 2. *Tann.* alii que cum *Dia. P. 11. T. 6. R. 20.* negan, nullam pœnam, præter Excommunicationem ipso facto incurri per hanc Simoniam: *Suar. supra* *Sanch. de Matr. L. 9. D. 30. Less. c. 35. n. 147. Rayn. L. 2. S. 1. c. 4. n. 15. Pirb. supra* fatentur Confidentarium non excidere aliis beneficiis priùs rite obtentis, nisi accedat saltem sententia declaratoria, quia quando aliquis per pœnam privatur re suâ, non obligatur ad executionem in se faciendam, nisi accesserit sententia Judicis: *Suarez supra* dicit omnes reliquas pœnas incurri ipso facto.

§. 3. *Navar. Sa & Garz. apud Laym. L. 4. T. 10. c. ult. n. 77.* docent renunciantem ita simoniacè, posse quidem privari, sed non perdere ipso Jure beneficium, quia renunciatio est irrita, adeoque etiam prærequirit sententiam saltem declaratoriam; consentit *Alloza v. Simonia. S. 4. n. 47.* dicens *Pium V.* intelligi, non de renunciantibus, sed de acquirentibus beneficium, obtentio enim est prorsus irrita.

§. 4. Communiùs docetur, quòd provisus per hanc Simoniam, hoc ipso etiam fiat inhabilis ad illud beneficium sinè ulteriore sententia, & consentiunt *Tancr. apud Dian. P. 11. T. 5. R. 7. & 18. Pirb. n. 169. & alii: Less. tamen & Castrop. P. 25. n. 8.* dicunt non fieri ipso facto inhabilem ad alia beneficia, quia Usus habet, ut requiratur sententia saltem declaratoria.

224 §. 5. Mediatores, seu qui procurant beneficium sic resignari vel obtineri, excommunicantur ipso facto, sed non prius, quam Simonia illa sit utrimque realis & completa, uti habent *Suar. n. 15. Laym. num. 78. Pirh. num. 115.*

225 Q. 50. Si actus, in quo committitur simonia, sit invalidus, an poena Juris incurrantur. R. Si sit invalidus ratione ipsius Simoniae, patet incurri: Si autem sit invalidus aliunde, quam ratione Simoniae, v.g. si quis pro pecunia renunciet beneficium, non ex animo, sed fictè, absque autoritate Superioris, cum consensus & autoritas requiratur ad valorem istius renunciationis, committi quidem poterit Simonia, sed non incurrantur poenae, quia ut hæ incurrantur, actus debet esse talis, ut nisi Simonia interveniret, foret validus, hic autem actus est aliunde invalidus, uti dictum est, ita *Nav. Sanch. aliique cum Lugo in Resp. Mor. L. 2. D. 3.*

226 Q. 51. An metus gravis excuset, ut quis possit retinere beneficium, alioqui propter simoniam dimittendum. R. Si Simonia sit occulta, & adsint circumstantiae gravis infamiae certò incurrendae, non videtur esse obligatio dimittendi beneficium, vel in se exequendi alias poenas simoniae; nam imprimis docent *Suar. de Cens. d. 13. Sect. 1. n. 11. & Diana P. 4. T. 4. R. 56*, si quis, cui offertur occasio beneficii, esset inhabilis, v.g. ob excommunicationem, & subiret periculum infamiae vel scandali, si non acceptaret, non teneri suam inhabilitatem prodere, sed posse sine scrupulo acceptare, cum obligatione petendi dispensationem, quia Ecclesia non censetur velle obligare in tali casu cum tali incommodo: Deinde idem *Diana P. II. T. 5. R. 56. & Sanch. in Conf. L. 2. c. 1. d. 34. n. 14.* docent, quando

quando defectus est occultus, & ex dimissione beneficii vel petitione novæ provisionis magnum damnum statûs vel famæ pateretur, v. g. quia alii aliquod grave malum de illo suspicarentur, eò quòd nullus alius appareret color, cur beneficium illud dimittat, posse illud retinere, nec teneri dimittere cum gravi famæ jactura. *Confirm.* Nam diximus L. 1. à n. 775, & docent AA. communiter cum *Sanch.* in Dec. L. 1. c. 18. n. 16, Leges humanas non obligare, ubi est periculum incurrendæ gravis infamiæ vel alterius gravis incommodi: teneretur tamen sic provisus omnes fructus, quos perciperet, restituere Ecclesiæ vel pauperibus, & insuper dimittere beneficium cesante illo periculo.

Q. 52. *An Papa possit incurrere simoniam & pœnas.* 227
 R. Potest incurrere Simoniam Juris naturalis & divini, uti per se patet; an autem etiam Ecclesiastici, disputant Authores, negant *Suarez & Bonacina*, quia hoc ipso, quòd velit hoc vel illud agere, dispensat in Lege statuente Simoniam: affirmant *Less.* & alii, quia tenetur etiam suis Legibus, saltem quoad vim directivam, nec ideo dispensat, quòd contrà agat; quidquid sit de hoc, certum est, quòd nullas incurrat pœnas Jure Ecclesiastico etiam contra Simoniam Juris naturalis statutas, quia vis coactiva Legum propriarum non stringit Legislatorem, uti dictum est Lib. 1. num. 674. Quòd si aliquis cum Papa committeret Simoniam, secundùm communiorem sententiam incurreret pœnas, nisi Papa antecederet expressè cum ipso dispensaret: in hoc tamen contradicunt alii cum *Diana P. 10. T. 16. R. 16*, quia putant Pontificem ipso facto dispensare, secundùm illud axioma, quòd scientia Principis purget crimen, quantum ad pœnas Juris positivi:

An autem electio Papæ simoniaca, sit irrita, videri potest *Pirb. L. 5. T. 3. n. 104.*

218 Q. 53. *Quis dispensare possit in pœnis Simonia.*
R. §. 1. Ab excommunicatione potest absolvere solus Papa, & illi qui privilegium habent absolvendi à reservatis Papæ, & in occultis necdum deductis ad forum contentiosum possunt secundum *Trid. Sess. 24. Cap. 6. de Reformat.* Episcopus & Religiosi Mendicantes per sua privilegia, uti pluribus dicitur L. 6, quando de casibus reservatis, ubi etiam explicabitur, quid dicatur occultum aut deductum ad forum contentiosum.

229 §. 2. Ab inhabilitate ad idem beneficium, si ipse scivit vel tacitè consensit, potest solus Papa, & non Episcopus, quamvis Simonia esset occulta, uti habet communior contra *Henriq. Sanch. Lesf. Castrop. d. 3. p. ult. Tancr. apud Dian. P. II. T. 5. R. 18,* quorum sententia etiam videtur probabilis: Et quamvis *Diana* tantum dicat de habilitatione ad alia beneficia, *Castrop.* tamen etiam habet ad idem; imò & *Diana* ipse postea R. 56. dicit in beneficiis simplicibus posse dispensare Episcopum, in curatis solum Papam. Si autem provisor nesciverit & bonâ fide processerit, quando beneficium est Prælatum seu dignitas, vel est curatum, solus Papa potest dispensare pro illa vice, si tamen per sententiam publicam non sit condemnatus, poterit Episcopus dispensare, ut pro alia vice eligatur, unde si hac vice collatum fuerit alteri, & hic moriatur, poterit prior ab Episcopo dispensatus ad illud redire. Quod si beneficium esset simplex, potest Episcopus post factam liberam ejus resignationem dispensare cum eo, eique statim iterum conferre, ita *Castrop. supra & Pirb. L. 5. T. 3. à num. 171.*

§. 3. Ab inhabilitate ad alia beneficia obtinenda, 230
 si hæc incurratur ante sententiam Judicis, uti habet
 multorum opinio, poterit dispensare Episcopus,
 dummodo liberè dimiserit beneficium, priusquam
 per publicam sententiam sit condemnatus:
 cum condemnato autem, quia infamis est, potest
 solus Papa, & non Episcopus, nisi in casibus à Jure
 expressis apud eosdem AA: verùm etiam proba-
 bile est, quòd hæc inhabilitas non incurratur
 ante sententiam Judicis, uti antè dictum est.

§. 4. Secundùm eosdem AA. potest Episcopus 231
 dispensare etiam in suspensione, quæ incurritur
 ob Simoniam occultam, ad hanc enim rectè
 extenditur facultas dispensandi in occultis casibus
 pertinentibus ad absolutionem sacramentalem
 & necdum deductis ad forum contentiosum,
 quam facultatem Episcopis concedit *Trid.* suprà.
Nec obstat Bulla Pii V. nam iidem AA. tradunt
 illam quoad istud punctum non esse receptam.

§. 5. Si Simoniacus acceperit dispensationem, 232
Suarez & alii dicunt sinè nova collatione posse
 retinere beneficium, quia sublato vitio convalescit
 collatio: limitant *Gonzalez* & alii, dummodo
 ad Dispensantem spectet collatio; si autem
 ad alium spectet, dicunt requiri novam, quia prior
 fuit irrita, nec potest convalescere, nisi collatore
 volente: hanc limitationem rejiciunt multi, &
 absolutè dicunt convalescere, dummodo vitium
 fuerit occultum, & collatio prior non fuerit
 contra Jus alterius simul electi, tum enim censetur
 moraliter manere voluntas collatoris, quæ
 sublato impedimento vim suam habebit: si tamen
 provisus illam collationem admisisset sciens
 illud vitium suum, jam esset præterea intrusus,
 unde hæc intrusio etiam purgari deberet,

hac autem sublatâ, & altero quôque vitio dispensato, manet probabile non esse opus novâ collatione, ita *Castrop. & Pirb. supra.*

233 §. 6. Notant iidem Authores, nullam esse præscriptam formam ad dispensandum in pœnis Simonia, hinc perinde est, quibuscunque verbis Dispensans manifestet voluntatem, quam habet, tollendi talem pœnam.

234 Q. 54. *An Papa sanet vitium Simonia, si in Bulla Confirmationis dicat se supplere omnes defectus, v.g. in Electione commissos. R.* Negativè, sed tantùm intelligit defectus, si fortè aliquid neglectum esset in forma Electionis, aut similis error foret commissus, neque enim nomine defectus venit Simonia, quam Ecclesia vocat immane, detestabile, horribile scelus, in cuius comparatione cetera crimina quasi pro nihilo reputentur, uti n. 198. dictum est.

235 Q. 55. *Quid notandum circa Judicem, accusatorem, testes & litem in causa Simonia. R.* Hæc pauca, 1. Judex sæcularis non potest de Simonia cognoscere, quia est causa spiritualis; est communis & certa cum *Pirb. n. 142.* Potest etiam videri *Leur. P. 3. q. 757.* 2. Et servus & meretrix & quicumque alius potest esse accusator in Simonia, uti habetur in Jure apud *Rayn. L. 2. S. 1. c. 4. n. 14.* & *Pirb. n. 143;* admittitur autem sola exceptio capitalis inimicitia & conspirationis. 3. Si in causa Simonia agatur criminaliter contra aliquem, non admittuntur testes criminosi & infames, *Pirb. n. 150.* Si agatur civiliter contra Prælatum vel alium in dignitate constitutum, etiam non admittuntur, nisi sint emendati de crimine, ubique autem repellitur perjurus, etiamsi fuerit emendatus. 4. In crimine Simonia non datur appellatio, uti ostendit *Pirb. supra.*

Exci-

Excipit *Felin*: nisi appelletur ante sententiam; quales autem probationes requirantur & sufficiant, videri potest apud *Castrop. P. 27.*

ARTICULUS III.

An & cui restituendum, quod simoniacè acceptum.

Resp. 1. Nihil spirituale simoniacè acceptum, ^{cc 236} præter beneficium, (sub quo continetur ^{cc} pensio, secundum *Bonac. Tom. 1. hinc disp. 1. q. 7. cc* *Diffic. 2. negante Lesio L. 2. c. 35. Dub. 30.*) est resti- ^{cc} tuendum. Ratio, quia cætera vel restitui non pos- ^{cc} sunt, ut Sacramenta, vel non sunt restituenda ^{cc} ante sententiam, cum Canones aliud non statue- ^{cc} rint, ex *Lesio n. 168. Suar. Fill. & aliis contra Azor cc* *& Laym. Bonac. P. 3. Diffic. 2.* Dixi, præter bene- ^{cc} ficium: quia hoc retineri non potest etiam ^{cc} ante Judicis sententiam, ut patet tum ex *Cap. cc* *Si quis neque 1. q. 1.* tum ex 2. *Extrav. Cum detesta cc* *bile, de Simonia. V. Bonac. l. c.* Ubi addit etiam ^{cc} fructus perceptos esse restituendos, tum quia ^{cc} nullo justo titulo possunt retineri, cum adeptio ^{cc} beneficii simoniaca sit ipso facto irrita, tum quia ^{cc} sic expressè habetur in *Extrav. Cum detestabile, cc* *de Simonia, v. D. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. Nav. L. 5. Conf. 62. cc* *Lesf. Dub. 31.*

Resp. 2. Pretium acceptum pro beneficio, ^{cc} collatione Ordinum, Sacramentorum & ^{cc} Sacramentalium, si notabiliter excedat id, quod ^{cc} pro sustentatione exigi poterat; item pro admis- ^{cc} sione ad Religionem, Jure positivo restituendum ^{cc} est. Hoc tamen posterius non nisi post latam ^{cc} sententiam, si admissus in Monasterium, maneat, ^{cc} quia plerumque ratione alimentorum retineri ^{cc} potest, modò in communem usum convertatur. ^{cc} *Vid. Bonac. l. c. Lesf. Dub. 30.*

Resp.

227 *Resp. 3.* Acceptum pro beneficio aliâve re spiri-
 228 tuali, non secutâ collatione, Jure naturæ resti-
 229 tuendum est ei, à quo est acceptum, quia deest
 230 titulus retinendi, cum non præstetur id, pro quo
 231 est datum. Si verò res tradita sit, Simoniæ
 232 utrimque completâ, probabilius est resti-
 233 tuendum esse Ecclesiæ, & non danti, quia Ecclesiæ
 234 utrumque punire intendit, v. *Lesf. Dub. 3.*
 235 *Laym. L. 4. T. 10. c. ult. §. 9.*

A D D E N D A.

237 *Q. 56.* Quid circa hanc restitutionem sit prætere-
 notandum. R. Seqq. §. I. *Steph. T. 4. D. II. n. 41.*
 absolutè docet temporale acceptum non esse resti-
 tuendum ante sententiam Judicis in nulla simonia,
 præterquam in beneficio; è contrâ *Pirh. L. 5. T. 3.*
 num. 176. dicit saltem ex Jure positivo semper esse
 obligationem restituendi pretium simoniacè
 acceptum pro spirituali, quamvis fortè nihil
 factum esset contra Justitiam, quia Jus facit inha-
 bilitatem acquirendi dominium, & re ipsa etiam
 spectato Jure naturæ non videtur esse titulus reti-
 nendi, cum temporale non possit esse pretium
 spiritualis.

238 §. 2. Si pretium acceptum non excedat
 commodum temporale, quod ex beneficio pro-
 venit, *Layman c. ult. n. 82. Lessius c. 35. n. 160.* dicunt
 non teneri restituere, nisi post sententiam Judicis.
Suar. c. 50. n. 16. & Pirh. n. 178. dicunt Prælatos teneri
 de Jure naturæ & ante omnem sententiam, quia
 cum non sint domini, sed tantùm dispensatores
 beneficiorum, faciunt injuriam, si conferant
 simoniacè, sed supposito quòd in Simonia Juris
 naturalis semper interveniat injustitia, ut
 à num. 119. dictum est, consequenter dicendum,
 restitu-

restitutionem accepti pretii semper esse faciendam ante omnem sententiam : hinc *Moya* T. 6. D. 4. Q. 7. Num. 12. dicit in eo convenire omnes, quòd in Simonia circa beneficia fit obligatio restituendi ante omnem sententiam Judicis, quia etiam ipso Jure statuta est inhabilitas ad acquirendum dominium. Vide *Leuvenium* P. 3. Q. 755.

§. 3. *S. Th. S. Antonin. Cajet. Tab.* apud *Moya* suprà 239 dicunt pretium pro beneficio acceptum debere restitui pauperibus : Jus Canonicum c. *De hoc*, II. de Simonia, jubet restitui Ecclesiæ : *Sot. Bann. Sa, Med. Tann. Laym.* n. 81. & 83. *Dian.* P. 4. T. 4. R. 167. *Pirh.* num. 182. *Moya* n. 13. dicunt id verum esse post sententiam, sed ante sententiam pro foro conscientiae dicunt posse restitui illi, qui dedit, unde si restitutio huic fiat, putat *Lessius* num. 172. hunc posse retinere, quia non abdicaverit se dominio, nec illo exiit, donec privetur per sententiã, aut donec jam fit extraditum Ecclesiæ; post sententiam autem docent quòque alii cum *Sa* apud *Lay.* suprà, quòd pretium simoniacè acceptum sit restituendum Ecclesiæ vel Pauperibus, intelligitur autem illa Ecclesia, in qua est beneficium, quia hæc passa est injuriam. Quòd si pactum esset rescisum ante collationem beneficii, certum est pretium restitui debere illi, qui dedit, uti rectè *Allox. v. Simonia* S. 4. n. 24. Vide *Leuvenium* à n. 6.

§. 4. Cùm probabile sit pretium etiam ante sententiam posse restitui Ecclesiæ vel pauperibus; si ille, qui pretium accepit, sit pauper, poterit retinere tanquam pauper, ita *Sanchez & Diana* suprà. 240

§. 5. Pretium datum pro divina gratia, v. g. pro absolutione sacramentali, restituendum est pauperibus, sed datum pro ingressu Religionis est 241

est restituendum danti, uti ex Jure probant *Sanchez* & *Diana* supra.

242 §. 6. Si quis domum nobilem carius vendat propter adjunctum Jus Patronatus, ita ut huic Juri respondeat pars pretii, *Suarez*, *Layman* alii que cum *Pirb.* n. 165. dicunt non teneri hanc partem restituere ante sententiam, quia ob adjunctum temporale, quod est pretio æstimabile, non videtur facere injustitiam, sed oppositum est probabilius secundum antè dicta, hoc enim pretium, quod superadditur, datur pro spirituali, quod est invendibile, ergo pretium nullo justo titulo retineri potest.

243 §. 7. In Simonia pro collatione Ordinum, si contra Justitiam plus acceptum sit, quam pro sustentatione exigi poterat, de Jure nature restitui debet illi, qui dedit, quia Jus positivum nihil circa hoc statuit, ita *Less.* num. 169. *Pirb.* n. 184.

An debeat restitutio propter Simoniam mentalem, dictum est n. 203. Ex hætenus dictis,

244 *Infertur*, cum *Roccaf.* apud *Dian.* P. II. T. 6. R. 31. pecuniam seu quid temporale dari & accipi posse aliquando ab uno absque Simonia, quando datur vel accipitur spirituale ab altero, 1. In sustentationem vitæ: 2. In stipendium laboris extrinseci conjuncti cum spirituali: 3. Tanquam gratis oblatum: 4. In elemosynam: 5. Ratione consuetudinis: 6. In pœnam, uti quando aliquis absolvitur à censura, vel dispensatur in delicto, quandoque imponitur multa pecuniaria: 7. In permutationem voti, à quo quis petit liberari: 8. Ad redimendam vexam, secundum antè dicta.

245 Denique hic signanter annoto, quòd quamvis sententiæ multæ circa Simoniam sint speculative probabiles, sæpe tamen pro multis non sunt probæ

Probabiles practicè, quia in praxi non adhibentur
cautelæ requisitæ ad vitandam Simoniam, unde
qui benignioribus sententiis hîc uti volent, utan-
tur simul consilio viri docti & probi, qui discernat,
an hîc & nunc ob circumstantias alias vel inten-
tionem minùs rectam se non inflinet Simonia.

TRACTATUS II.

De secundo Præcepto Decalogi.

PROHIBET hoc Præceptum omnem inordi-
natam usurpationem nominis Dei, qualis
potissimùm fit blasphemando, temerè
jurando, vovendo & non servando, de quibus
hîc agendum.

CAPUT I.

Quid & quoruplex sit Blasphemia.

RESP. Blasphemia directè opposita laudi Dei, ²⁴⁶
est verbum maledictionis, vel convitii, seu
contumeliæ in Deum; sive id fiat attribu-
endo ei falsa, sive negando vera; sive tribuendo
creaturis, quæ ipsi debentur; sive etiam dicendo
vera, sed quæ ad ejus dehonorationem seu vili-
pensionem tendant, ut sit per modum ei indignan-
tis, contemnentis, &c. Ita communiter Doctores
S. Tb. 2.2. q. 13. Bon. Tom. 2. Disp. 3. Q. 8. Sanch. 2. Mor. c.
32. Laym. L. 4. T. 10. c. 6. & alii. Unde resolves,

I. Blasphemat, qui contra Deum infrendens
ei maledicit: item qui ait se aliquid acturum
eo invito: item qui eum negat; qui seriò jurat
per Deos falsos; qui eum vocat Tyrannum,
injustum; nolle aut non posse nos juvare;

non

non curare nostra ; dæmonem esse fidelio-
 rem ; plus posse ; non omnia bene esse ordinata ;
 melius in creatione quædam fieri potuisse, aut
 debuisse, &c. Quæ si quidem quis credat ita esse,
 & non tantum in ira, aut desperatè effuriat, tunc
 est blasphemia hæreticalis, id est, cum hæresi
 conjuncta ; quod in Confessione est addendum,
 quia specie differt ab imprecativa, *Hurtad. 2. 2.*
d. 91. Sect. 12. §. 54.

II. Revocantur etiam ad blasphemiam
 alia signa contra Deum, licet verba non adsint ;
 ut, spueri in cælum, infrendere dentibus, &c.
 Imò etiam solâ mente blasphemia interior
 committi potest, sicut etiam laus mentalis Dei.

III. Blasphemat item, qui in Sanctos vel sacra
 contumeliosus est ; intellige, ut Sancti sunt,
 five cum habitudine saltem virtuali ad Deum,
 ita ut moraliter hujus etiam honor censeatur
 tangi, quia alioqui tantum erit contra dulum,
 si nimirum contra illos, ut homines quidam
 in terris fuerunt, dicatur, quod veniale est, si joco
 fiat ; v.g. si Sanctos Crispinum & Crispinianum
 voces futores ; Joannem & Paulum, eunuchos ;
 grave verò erit, si contemptum, vel ex odio
 aut indignatione contra Sanctos. Licet verò
 blasphemiam in DEUM non admittant parvi-
 tatem materiæ, multi tamen admittunt in iis,
 quæ fiunt contra Sanctos. *Escob. T. 1. ex. 3.*

IV. Blasphemat item, qui iratus, etsi non
 contra Deum, sed contra alios aut alia, eadem
 tamen seriò profert, quæ ex sua significatione
 aut modo loquendi ac circumstantiis, important
 imminutionem divini honoris aut impro-
 perium : licet enim id non intendat formaliter,
 intendit tamen indirectè & virtualiter :
 quamvis

quamvis id ex subreptione sæpe sit veniale tantum, si tantum materialiter fiat.

V. In Confessione exprimendum est, si quis (quod tamen raro contingit) directe & formaliter Deum inhonorare intenderit, aut ei formaliter iratus fuerit. *Layman l.c.*

VI. Blasphemat item, qui injuriosè usurpat membrum Christi, ut v.g. perdat te Dei sanguis, vulnera, mors Dei, caput, Passio, Sacramenta, chrisma, & similia sacra; cum ea non ad perdendum sed ad salvandos nos data sint, & communiter in his apprehendant homines magnam Dei earumque rerum vilipensionem contineri. *Lay. n. 12.*

VII. Qui talium verborum consuetudinem habet, tenetur sub peccato mortali serio conari, eam tollere. Quod si facit, & tamen labitur, potest excusari aliquando; eò quod juramenta ista impetu naturali effusa, non sint voluntaria nec in se, nec in causa, utpote retractata proposito efficaci. *Laym. L. 1. T. 2. c. 3. n. 6. v. Escob. T. 1. c. 3. num. 36.* Si non conatur, idque Confessarius notet, neget ei cum discretionem absolutionem. *Layman l. c.*

VIII. Interim plurimi excusantur ob inadvertentiam in subita commotione, tametsi non satis excusare videatur, quod quidam ajunt, iis verbis aliud se non intendere, quam usurpare tanquam interjectiones significativas iræ suæ: tum quia æquè se possunt asuefacere ad verba alia, iræ & seræ voluntatis significativa: tum quia tametsi id non possent, nihilominus non videtur licere usurpare ea, quæ ex communi apprehensione aliorum sunt inhonorativa Dei.

IX. Quod si verò quis in ira contra hominem, non indignando Deo, sed homini tantum

L

nude

» nudè nominet mortem Dei, septem Sacramentâ,
 » v. g. ô Dei mors, vulnera, &c. finè scandalo, &
 » finè iis circumstantiis, quibus vilipensio impor-
 » tatur, non sunt blasphemix, sed vana usurpatio
 » nominis divini, hoc Præcepto prohibita, &
 » peccatum inter venialia grave, ut *Cajet. Armilla.*
 » *V. Blasphemia, Sanch. supra.* Quanquam propter
 » periculum incidendi in Blasphemias, & quia
 » rarè abest scandalum, ac nihilominus
 » apud audientes Deus, ejusque sacra censentur
 » inhonorari, rarè excusantur; & meritò abster-
 » rentur homines à similibus dictis, ut notat *Laym.*
 » *L. 4. c. 6. num. 8.*

» X. In ira imprecari aliis dæmonem, grani-
 » dinem, fulgur, &c, etsi multi confundant
 » cum blasphemias, non tamen est blasphemia, sed
 » dira imprecatio; quæ plerumque, (saltem
 » quando dicitur in illos, qui amantur ab irato)
 » ob subitam commotionem & inadvertentiam,
 » ac defectū seriæ voluntatis, non est nisi venialis,
 » quia cum se homines reflectunt, ajunt longè
 » aliter se sentire ac sensisse, ita ut videantur inter-
 » jectiones tantùm quædam esse ad significandam
 » iram: tametsi Christianos parum deceat tam
 » absurdis interjectionibus uti. *Bon. l. c. ex Nav.*
 » *Man. c. 12. n. 86. Tolet. L. 4. c. 13. n. 11. Regin. L. 18.*
 » *q. 4. n. 203. Baldel. d. 25. n. 10.* Ubi etiam censet
 » veniale tantùm esse, sibimetipsi ex ira dæmonem
 » imprecari, eò quòd non lædat graviter chari-
 » tatem. Verùm *Molin. & alii* non audent id
 » excusare à mortali, propter sceditatem, horrorem
 » & perversitatem. Grave autem est, si subditi
 » Superioribus, filii parentibus, (licet materialiter
 » tantùm) sic maledicant, præsertim in faciem:

quia

quia est grave contra debitam reverentiam. *cc*
Baldel. l. c. vid. infra L. 5. c. 3. d. 6.

XI. In ira usurpare Dæmonem, sinè impreca- *cc*
 tione, non est per se peccatum : assidua tamen *cc*
 ejus nominatio non decet Christianum ; & *cc*
 ratione scandali posset esse gravis. *Laym. l. c. cc*

XII. In Confessione exprimenda est qualitas *cc*
 blasphemix ; videlicet utrùm contra DEUM, *cc*
 an Sanctos fuerit : illas enim specie differre est *cc*
 probabile secundum *Suar. Sanch. Reg. Azor, Laym. cc*
Dian. Tom. 1. Tr. 7. R. 50. Lugo d. 15. n. 2. 17. Trul. L. 1. cc
c. 11. d. 2. n. 5. Contrarium tamen tenet Dian. P. 1. cc
T. 7. R. 50.

A D D E N D A.

Q. 57. Si quis contra homines vel jumenta iratus
 enunciet sanguinem Christi, Sacramenta &c, ²⁴⁷
 quando nam censeri debeat peccare mortaliter.

R. §. 1. Si illa indignatio tendat saltem virtualiter
 in Deum, semper est gravis blasphemia, quia
 est gravis irreverentia & imminutio saltem
 indirecta honoris Deo debiti : Similiter si illa
 indignatio non tendat quidem in DEUM, sed
 tamen ita loquens, advertat ad vilipensionem Dei
 vel rerum sacrarum, quam verba illa præferunt,
 etiam est gravis blasphemia, uti rectè *Tamm. 2. 2.*
d. 1. q. 8. n. 134, quia iterum graviter derogatur
 honori Deo debito.

§. 2. Si nec illa indignatio ullo modo tendat
 in Deum, nec loquens advertat ad vilipensionem ²⁴⁸
 Dei aut rerum sacrarum, non peccat graviter, ita
Laym. L. 4. T. 10. c. 6. n. 10. Burgh. Cent. 1. Cas. 44,
 tum etenim est defectus plenæ cognitionis &
 voluntarii ; hinc si verba blasphemica, quæ
 ex impetu vel subito motu proferuntur,

omnem rationis advertentiam præveniant, nullum erit peccatum, sed erunt actus primò primi, ubi enim malitia non est præcognita, non potest esse volita, uti pluribus probabitur L. 5. à num. 16.

249 §. 3. Si adlit aliqua advertentia, sed non perfectè deliberata, erunt motus secundò primi, & peccata venialia tantùm, quia actus tales non sunt perfectè liberi, & malitia, uti imperfectè est cognita, ita tantùm imperfectè potest esse volita, ut rectè *Burgh.* Cent. 3. cas. 49; manet tamen sub mortali obligatio, quantum in se erit, emendandi talem consuetudinem, uti habet *Busenbaum* suprà, quia est intrinsecè mala, & de se graviter inhonorativa Dei.

250 Q. 58. *An sit blasphemia, vel quomodo peccet, qui ex joco sæpe effutit verba blasphema; item qui verbis Scripturæ utitur ad res profanas.* R. §. 1. Quamvis per jocum directè non intendatur inhonoratio Dei, si tamen cum joco apud adstantes fit conjuncta illa inhonoratio Dei, est & manet blasphemia, ita *Sanch. Castrop. Tamb.* hìc L. 2. c. 6. §. 4. n. 5. *Dicast.* de Juram. d. 1. n. 218. Nihilominus *Gobat* T. 11. n. 706. putat non fore blasphemiam, si quis ex gravi causâ tantùm fictè proferat verba blasphema, uti narrat fecisse Medicum, qui ut tereretur ægrum nolentem sumere medicinas, horrendis ejusmodi verbis in eum invectus est: probabilius tamen videtur tum adhuc esse blasphemiam, si non internam & formalem, saltem externam & materialiter malam, adeòque non committendam ex advertentia, quia verba de se sunt blasphema, & ab ægro saltem putantur seriò dici, ergo illa proferens graviter inhonorat Deum apud ægrum.

251 §. 2. Propriè non est blasphemia, si quis verbis Scripturæ utatur ad profana: Si tamen utatur ad

ad turpia vel ad profana cum contemptu, semper est grave peccatum contra reverentiã rebus sacris debitam : Si autem ad res honestas utatur per jocum, etiam ad facetias, absitque contemptus, neque tam sæpe fiat, ut censeatur esse contemptus, non erit nisi veniale, ita *Tamb. num. 17. Gobat n. 719.*

Q. 59. *An Cajus blasphemet, qui, ut ne blasphemet, dimidiat vel parum immutat verba, & dicit, v. g. pro Sacrament element vel salament.* R. Non blasphemat, quia sic evitatur pronuntiatio rei sacræ, & in locum usurpatur vox aliud significans vel non significativa, per quam ira aut admiratio significatur, ita *Tamb. n. 20. Gobat n. 745* : si tamen audientes non intelligerent illam mutationem, maneret scandalum, ratione cujus peccari posset.

Q. 60. *An Titius blasphemet dicens se ad Dei gloriam velle, v. g. inebriare se.* R. Blasphemat, quia vel significat Deo placere peccatum, & sic per modum convitii hoc dicit; vel quasi minatur Deo se hoc facturum, in quo est gravis irreverentia; vel ironicè vult id intelligi, singula autem continent blasphemiam: ita *Suar. de Relig. T. 1. T. 3. L. 1. c. 6. n. 17*; si autem diceret, quòd se recreare vellet ad Dei gloriam, quamvis inde secutura esset ebrietas, non esset blasphemia, peccaret tamen per comparisonem animi consentientis in ebrietatem fortè secuturam.

Q. 61. *An sit blasphemia, si quis dicat, stultus es, quamvis haberes Deum Patrem.* R. Excusat cum multis viris doctis *Sporer* hic c. 5. n. 24. in fine, quia sensus est, vel quòd Deus possit creare stultos, inter quos ipse à Deo fit creatus; vel quòd fit stultus, etiamsi haberet Patrem, qui esset

sapientissimus : est tamen reprehendendum tale dictum tanquam pessimè sonans.

255 Q. 62. *An peccet, qui ebrium vel stultum vel per-
rum rationis usu non utentem inducit ad blasphemandum.* R. Affirmat Caramuel in Th. Int. L. 2. c. 1. n. 1053, quamvis enim non peccet proferens defectu libertatis, tamen blasphemia, quæ est res intrinsecè mala, utpote inhonoratio Dei, imputatur illi, qui liberè ad eam inducit, uti si non recordantem diei Veneris inducam ad comedendas carnes: quod multò magis valet in priore casu: cum blasphemia sit intrinsecè mala, illa comestio carnis tantùm extrinsecè: unde audiendus non est Gobat, qui in Quin. T. 5. c. 9. & 19. n. 48. à peccato excusat talem inducentem, eò quòd illa locutio non retineat objectivam malitiam, si proferatur sinè usu rationis, nam licèt non retineat respectu proferentis, tamen retinet respectu inducentis, qui tanquam causa principalis censetur illa moraliter proferre per alterum veluti instrumentum, non aliter ac si aliquis per organum vel per os Psittaci talia proferret.

C A P U T II.

De Juramento.

D U B I U M I.

Quid sit Juramentum.

256 **R** *Ess.* Juramentum est invocatio tacita vel
expresfa Numinis divini, tanquam principis
& infallibilis veritatis, in testem alicujus rei
Hæc autem invocatio in eo consistit, quòd
jurans, quantum in se est, cupiat ac velit

Deum

Deum id, quod jurat, testari, & manifestare
 (si, & quando nimirum illi placuerit, five
 in hac vita, five in altera) tanquam, quod
 ab ipso Deo sit cognitum, & verum. Ita commu-
 niter Doctores. S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 1. Bon. Tom. 2. d. 4.
 q. 1. p. 1. Sanch. 3. Mor. c. 1. Laym. L. 4. Tract. 3. Cap. 1.
 Unde resolvitur.

I. Quoad forum internum, jurat, quisquis inte-
 rius intentionem habet, five formalem five
 virtualem; & invocat Deum in testem, five his,
 five illis verbis, ac signis, five etiam nullis usus sit;
 ita ut si quis utatur verbis nullo modo impor-
 tantibus juramentum, & is tamen ea putet esse
 juramenta, verè juret; Suar. L. 1. c. 1. Sanch. l. c.
 Layman l. c. Quoad forum autem externum,
 quænam formulæ jurandi rationem habeant,
 ac proinde quæ verba licitè usurpari in conver-
 satione possint, patet ex sequentibus.

II. Quando dubium est de jurantis intentione,
 judicari solet secundum communem acceptio-
 nem verborum, quibus est usus.

III. Veram rationem juramenti habent
 hæ formulæ: testor Deum, vel invoco DEUM
 testem. Item, *Auff meinem Eid: bey meinem Eid:*
 nisi aliud de usurpantis intentione constet: quia
 multi ita loquantur, v. g. *Ich schwyvere dir ein Eid;*
 vel, *bey meinem Eid,* hoc vel illud faciam,
 quorum tamen mens non est seriò id jurare, sed
 tantum iracundè & graviùs affirmare, Laym. c. 2.

IV. Fides à Sacerdotibus loco juramenti
 exigi solita per eorum consecrationem, ut & for-
 mula illa Principum, *bey unser Fürstlichen Ehren,*
oder Trevven, etsi non sint juramentum, tamen in
 foro fori accipiuntur loco juratæ promissionis;

ut à personis illustribus vel nobilibus dicatur, *bey meinen Adlichen Ehren, Trewen, und Glauben, vid. Laym. l. c.*

V. Formulæ hæc, *DEUS novit, Deus testabitur suo tempore, coram Deo loquor, Deus novit omnia, DEUS videt meam conscientiam*, censetur tantum narrative proferri, non invocative (atque adeo non sunt juramenta) nisi aliud constet, aut ex circumstantiis probetur. *Lay. n. 4. Bonac. q. 8. p. 2. ex Suar. Lesf. Sanch. & aliis.*

VI. Non sunt juramenta, quæ dicuntur per modum sponsonis; v. g. *expono caput meum, amputentur mihi aures, nî ita sit, &c. v. Sanch. n. 42.*

VII. Non verè jurat, qui ut juramentum coactus vitet, dicit se jurare per omne id, per quod potest, quia cum nulla res sit, per quam absque necessitate jurare licite possit, censetur per nihil jurare intendisse.

VIII. Non sunt juramenta, (quòd Confessarii & Catechistæ moneant, ne ex erronea conscientia peccetur) verè, certè, in veritate, *fide boni viri, per fidem meam, fide boni Christiani, vel Sacerdotis, vel Regis; per conscientiam meam, &c. ut habet Lesf. Cap. 42. d. 1. n. 4. Bon. l. c.*, quia tantum significant illum loqui ex dictamine conscientiæ & noticia veritatis; nec in testem adducitur *DEUS*. Esset tamen juramentum, dicere, *per Fidem Catholicam, per S. Evangelium*, quia tunc censetur in testem adduci illius Fidei & Evangelii auctor. *Vid. Laym. l. c.*

IX. Non jurat, qui dicit: *Tam verum est quàm Sol lucet, quàm hîc sedeo, ambulo, &c.* Unde etsi comparatio falsa sit, tantum est mendacium, cum nullus in testem invocetur. Idem est, si dicat:

quod

quod dico, est Evangelium, est instar Fidei, est de Fide, &c.

X. Quamvis hæ & similes comparationes (tam verum est quàm DEUS est, quàm Christus est in Venerabili Sacramento, quàm verum est Evangelium: item, tam sum innocens quàm B. Virgo, vel S. Franciscus, &c.) communiter videantur continere juramentum cum blasphemia; id tamen non satis apparet, quia nullus in testem invocatur. Neque videtur esse blasphemia, si fit verum, & animus proferentis sit significare tantum similitudinem; ut sensus sit, hoc esse verum suo modo, sicut alterum est verum suo modo. Tum verò esset blasphemia, si usurpans intenderet significare, tantam esse (secundum æqualitatem) in suo dicto certitudinem, quanta est in ea veritate Fidei. *Sanch. 2. Moral. c. 31.*

XI. Non est juramentum, cum quis jurat per creaturas, in quibus nihil divinæ bonitatis specialiter elucet: quia tunc non censetur adduci cum relatione ad Deum, ut si dicas: *Juro per hanc barbam, vestem, &c.* Censetur autem juramentum, cum fit per creaturas nobiles; cum per eas tunc accipiatur earum Creator, ut qui in iis singulariter residet ac relucet: sic v.g. dum juratur per cælum, intelligitur illius habitator; dum per terram, is, cujus hæc scabellum; dum per templum, is, qui ibi colitur; dum per aliquod Sacramentum, is, qui instituit; dum per crucem, is, qui in ea fixus est; dum per Evangelia, ea tangendo aut nominando, is, cujus ea verba sunt. *Bonac. q. 1. p. 1. n. 4. ex SUAR. c. Sanch. ll. cc.*

A D D E N D A.

Q. 63. Quot modis fiat juramentum.

L 5

257

R.

R. Cum Tamb. hinc L. 3. c. 1. §. 1. n. 2. his quatuor,
 1. *Mente*, si intra animum aliquid affirmes vel
 spondeas, Deumque in confirmationem invoces
 velut testem : 2. *Nutu*, uti si tibi dicatur, jures
 per Deum, & tu oculis vel capite annuas : 3. *Facto*,
 uti si oblatum ad jurandum Evangelium tangas :
 4. *Verbo*, etiam unico, dicendo aut scribendo, v.g.
 juro, in iis circumstantiis, quando sic intelligitur
 Deus vocari in testem, uti rectè *Dicast. de Juram.*
d. 1. num. 108,

258 Q 64. *Quandonam præterea censetur quis jurare
 vel non jurare.* R. *Gob. T. II. à n. 483.* plurimas affert
 formulas, 1. *ô Deus ! esto mihi testis*, dicit non esse
 juramentum, sed meram precessionem : *contra est*,
 nam videtur esse invocatio Dei pro confirma-
 tione veritatis, ergo est juramentum : 2. *Nego Deum*,
si ita non sit, est mera blasphemia ; & quidem
 hæreticalis, uti vult *Castrop. T. 17. D. 2. P. 2. §. 3 :*
 3. *Juro per caput Christi*, si cum debita reverentia
 dicatur, est licitum juramentum ; si cum vili-
 pendio, est juramentum cum blasphemia, *Gobat &*
Dicast. n. 194. 4. *Sim nequam, sim fur, si ita non est*,
 non sunt juramenta, *Dicast. n. 161.* 5. *Juro per meam*
animam, est dubium, an sit juramentum, inquit
Tamb. §. 3. num. 4, ex communi tamen usu, inquit
Castrop. T. 14. d. 1. p. 1. n. 7. Gob. n. 486, Dicast. n. 119,
 censetur esse juramentum, quia anima interponi-
 tur velut clarissima Dei imago, vel ut Deo specia-
 liter obligata: quòd si diceretur *juro super animam*,
 videtur esse juramentum execratorium. 6.
Juro per me ; per eum, qui sum, aliqui volunt esse
 juramentum, quia homo est Creatura perfecta,
 in qua specialiter relucet Deus : *Suar. tamen Sanch.*
& Dicast. n. 124. rectiùs putant ex usu non recipi
 velut juramentum, sed tanquam interpositionem
 autho.

authoritatis vel fidei humanæ. 7. Sacerdos jurans fide sacerdotali; item Princeps in fide Principis &c, si id faciant in circumstantiis, in quibus exigere solet juramentum, debent in utroque foro præstare omnia, atque si jurassent per Evangelia: idem est, si in Judicio jurasti, v.g. per fidem viri nobilis, quando tenebaris jurare per Deum: idem putant etiam extra Judicium *Sanch. Gob. n. 488. Dicast. num. 105. & 131.* aliisque, si deliberatè dicantur talia verba, per consuetudinem esse & accipi velut juramenta. 8. Jurans per tactum libri, quem putavit esse Evangelia, reipsa juravit, licet fuerit alius liber, quia error est tantùm materialis, *Tamb. §. 1. n. 4. 9.* Si jures per ignem vel aërem, non sunt juramenta: Si per ignem Dei, aërem Dei, sunt juramenta, *Tamb. §. 3. n. 20.* 10. Si per aliqua, de quibus dubitatur, an per illa invocetur Deus, neque positivè intendas invocare, neque intendas non invocare, quia non advertis, nec de hoc cogitas, reipsa non juras, *Tamb. n. 6.* 11. Si quis dicat verba, quæ non continent juramentum, velitque per ea jurare, reipsa jurat, si sciat, quid sit jurare, nempe quòd sit Deum vocare in testem; si autem nesciat, quid sit jurare, uti sæpissime non sciunt rudes, etiam si voluerit jurare, aut facere quod alii faciunt, reipsa non juravit, sed inefficaciter tantùm jurare voluit, quia Deum non vocavit in testem, non enim cognovit se hoc facere aut velle, *Tamb. §. 1. n. 8. Dicast. n. 102.* 12. Quando quis protulit verba ambigua, de quibus ex usu communi non constat, an contineant juramentum vel non, standum est intentione proferentis, & si quidem non solet jurare, censendum est non fuisse intentionem jurandi; si autem solet jurare, præsumendū est fuisse intentionem jurandi, *Dicast. n. 104.*

259 Q. 65. *An falsò jurans veipsa juret.* R. Jurat, quamvis enim non velit, ut Deus absolutè testetur suam falsitatem, cum hoc sciat esse impossibile, tamen, quantum in se est, vult, ideoque invocat Deum, ut si possit, testetur falsitatem esse veritatem, & in hoc consistit gravissima malitia perjurii, *Castrop. P. 1. N. 8.*

260 Q. 66. *An omne juramentum falsum etiam sit blasphemia.* R. Communiter negatur cum *S. Th. 2. 2. q. 13. art. 3. ad 2. & Sanch. in Dec. L. 2. c. 32. n. 33,* sed *Castrop. T. 17. D. 2. P. 2. §. 3 n. 9.* dubitat, I. Quia qui jurat falsò, facit Deum testem & assecuratorem falsi, ergo Deo tribuit, quod illi convenire non potest. 2. Quia si diceret, confirmet DEUS suo testimonio hanc falsitatem, utique blasphemaret, ergo & blasphemat falsò jurans, nam eundem sensum habent falsa juramenta, non quòd jurans absolutè velit id fieri, sed saltem, quantum in se est, quod videtur sufficere ad blasphemiam.

D U B I U M II.

Quotuplex sit Juramentum.

261 **R** *Esp.* Divisiones aliquot communiter afferuntur, sed tantum accidentales, quæ speciem non mutant, ut in Confessione distinguere non sit opus, *Suar. Less. L. 2. c. 42. d. 2. Bonac. T. 2. d. 4. q. 1. p. 2.* Itaque dividitur,
 „ *Primò.* In Verbale, Reale, & Mixtum;
 „ cum videlicet fit vel verbis, vel actione aliquâ,
 „ ut erectione digitorum, contactu crucis, sceptri,
 „ Evangeliorum; vel & verbis simul & actione
 „ corporali, unde & vocatur Juramentum
 „ Corporale. *Vid. Bonac. l. c.*

Secundò.

Secundò. In Invocatorium seu Contestatorium, & in Execratorium seu Imprecatorium. Illud est, quo Deus simpliciter ùt testis invocatur: hoc autem, quo non solùm vocatur ùt testis, sed etiam ùt vindex, cùm jurans, se vel alium dilectũ, vel aliquid suũ aut suorum, subjicit Deo puniendum, si falsum dicat: ùt, *Ita me Deus amet, adjuvet; puniat me Deus; faciat DEUS, ut hinc nunquam sanus surgam; nec conjugem, nec liberos vivos hodie intuear; tollat me Deus subitaneã morte; aeternũ damner; super animam meam, &c.* In quibus quando falsò juratur, an sit conjuncta altera species malitiæ contra charitatem suã, aut Proximi, Scholastici controversant: Negat *Suar. Val. &c.* Quia non solet quis, etiam amico suo tale malum ex animo imprecari, sed potius cogitat Deum non facturum esse. *Vid. Bonac. l. c.*

Tertiò. In Assertorium & Promissorium. Illud est, quo præterita vel præsentia affirmantur aut negantur: hoc autem est, quo aliquid futurum promittitur. Addunt aliqui Comminatorium, ùt v.g. *per Deum ego te cadam*, sed hoc referri potest ad promissorium. In Confessione non opus est explicare, utrũ per Deum, an Sanctos juraveris, quia est ejusdem speciei malitia, cùm jurans semper intendat Deum adducere in testem. *Suar. Less. l. c. Lugo d. 16. n. 286.*

A D D E N D A.

Q. 67. *An Juramentum assertorium essentialiter differat à promissorio, etiam in ratione Juramenti.* *R. Castrop. Tr. 14. D. 1. P. 2. N. 7.* dicit probabilius esse, quòd differant, quia in assertorio invocatur Deus purè ùt testis, in promissorio autem etiam ùt fidejussor, id est, ut Deus suam authoritatem præstet pro eo, quòd Jurans ùt rem executurus:

Alii

Alii cum *Cajet. Valent. Suar.* hinc L. 1. c. 9. n. 1. communiter contrarium tenent, eò quòd essentia juramenti quà talis consistat in invocatione divini testimonii, cui accidentale est invocari ad firmandam veritatem rei futuræ vel præsentis: *Dicaſt. d. 2. n. 61.* docet fieri posse juramentum promissorium absque eo, quòd Deus vocetur in fidejusforem veritatis implendæ de futuro, potest enim tantum promitti coram ipso tanquam summæ auctoritatis Domino, qui novit animum de præsentis, efficiendi in posterum, quod juratur, uti fit, dum quis promittit aliquid coram Rege. Vide dicenda hinc n. 305. & p. 2. n. 725.

DUBIUM III.

An & quando sit licitum jurare.

- 263 **R**esp. Juramentum, si debito modo fiat, licitum est.
 Est de Fide. Et quidem est actus Religionis,
 ut omnes docent. Tunc autem debito modo
 fit, cum in eo observantur hæc tria: 1. est *Judicium*, quod exigit, ut cum discretione, prudentia,
 consideratione ac reverentia, non sine necessitate
 aut gravi causa fiat. 2. Est *Justitia*, quæ exigit,
 ut quod juratur, sit res justa, licita & honesta.
 3. est *Veritas*; ut nimirum sit res vera, aut saltem
 ex gravi ratione putetur esse vera; ita ut, prout
 ex defectu alicujus horum, minor aut major
 in Deum injuria aut irreverentia redundare
 censetur, ita quòque majus aut minus committatur peccatum: *Unde resolvitur,*
 I. Quoad *judicium*, si hoc solum desit,
 ut plurimum est veniale tantum, ut si quis
 absque necessitate juret, sive ex levitate quadam
 animi, sive ex consuetudine, *vid. Sanch. l. 3. c. 6. n. 22.*
Lefs. L. 2. c. 42. n. 17.

II. Mortaliter tamen etiam hęc, aut venialiter peccari potest, juxta quantitatem negligentię, ce quam jurans admittit in vestigatione veritatis ce vel tollenda consuetudinē. *Sanch. num. 10. ce*

III. Et sic mortalis est status illorum, qui ce non tollunt consuetudinem jurandi finē atten- ce tione, sicne verum hoc an falsum, quod jurare ce solent.

IV. Quod ad Justitiam spectat, peccat morta- ce liter, qui jurat se facturū rem mortaliter malam; ce ūt, se aliquem interfectorum; quia est gravis irre- ce verentia; divinā autoritate se ad peccatum ce mortale quasi obligare; ita ut hęc duę malitię ce concurrant; una, quod velit malum; altera, ce quod ad hoc abutatur autoritate Dei, odientis ce omne malum, *Lesf. L. 2. c. 42. d. 3. num. 17. ce Bonac. T. 2. d. 4. q. 1. p. 3.*

V. Venialiter autem peccat, qui jurat facere ce rem venialiter malam, aut vanam, aut inutilem, ce aut frivolum; cū ibi levis tantum irreverentia ce censeatur, *Bonac. ibid. Lesf. l. c.*

VI. Item peccat venialiter, qui jurat aliquid ce contra consilia Evangelica; ūt se non ingressurum ce Religionem, non daturum eleemosynam aut ce mutuum, *Suar. Lesf. Sanch. Bonac. l. c. ce*

VII. Quod ad veritatem spectat, cū hęc ce deest, peccatur mortaliter, quia committitur ce gravis in Deum irreverentia, quippe cū addu- ce catur in testem falsitatis, quasi vel ipse veritatem ce nesciat, vel velit aut possit decipere, testando falsū. ce Nec hęc excusat levitas materię, quia sive hęc sit ce gravis, sive levis; seria sive jocosa, æqualiter ce tamen repugnat Deo testificari falsum, & ce tale juramentum dicitur Perjurium. *S. Th. ce 2. 2. q. 97. art. 7. Lesf. l. c. Sanch. Bonac. l. c. ce*

An

» An autem , & quando perjurium possit esse
» veniale per accidens, v. *Escob. T.1. c.3. n.6.*

» VIII. Non excusatur, qui jurat verum, si is puta-
» bat esse falsum ; vel qui jurat pro certo, de quo
» ipse dubitat, etsi à parte rei verum sit. *Sotus, Nav.*
» *Bonac. l.c.*

» IX. Peccat æquè graviter, qui ab altero exigit
» juramentum , sciens eum esse pejeraturum.
» Excipe, nisi justa causa & necessitas exigat : quia
» tunc perjurium ex sola pejerantis malitia sequi-
» tur ; nec alter moraliter censetur illius causa,
» cùm utatur suo Jure. Quod tamen extra Judi-
» cium rarò habet locum in privatis personis.
» *S. Th. q. 89. Suar. L. 3. c. 13. & 14. Sanch. L. 3. c. 8.*

» X. Non pejeravit, qui juravit aliquid re ipsa
» falsum, quod ipse bonâ fide , & cum ratione
» putavit esse verum.

» XI. Excusari subinde quidam simplices
» à mortali perjurio videntur posse, ratione incon-
» siderationis, cùm usurpant quasdam formulas
» juratorias, ut, *per animam meam ; puniat me Deus ;*
» etsi enim sciant id vocari juramentum, non tamen
» apprehendunt, quòd jurare sit aliquid grave, &
» invocare Deum in testem ; sed tantum appre-
» hendunt confusam aliquam rationem mali,
» non tanti momenti. *V. Bon. l.c. Laym. L. 4. T. 3. c. 14.*

A D D E N D A.

264 Omne juramentum esse illicitum docuerunt
Waldenses aliique apud *Arcdek.* de dogmatibus
damnatis v. *Juramentum* : sed eorum error repro-
batus est in *Concilio Constantiensi* Sess. 8. inter errores
Wicleff. Art. 43 : è contra *Priscillianus* aliique
eum secuti docebant omne perjurium esse licitum,
sed hic quòque error damnatur in *Concilio Braca-*
rensi I. Anno 563. His itaque omissis, fit

Q. 68. *An sit licitum jurare circa rem malam.* ²⁶⁵
 R. *Regin.* & alii cum *Bonac.* D.4.Q.1. P.3.N.9. dicunt
 semper esse mortale adducere Deum in testem rei
 mortaliter malæ, sed probabilius negant *Suar.* c.12.
 num.7. *Sanch.* L.3.c.4.n.33. *Fill.* T.25.c. II. n.336
Castrop. p.5.n.6. *Dicast.* n.81, nisi Juramentum asu-
 meretur tanquam instrumentum illius peccati,
 uti si quis detractionem confirmaret juramento,
 tum enim per juramentum auget infamiam, quia
 majorem facit fidem; de cetero non erit mortale
 jurare, v. g. furtum à se esse commissum, nam
 invoco Deum testem veritatis; imò rectè notat *Fill.*
 nullum fore peccatum, si quis cum causâ juraret
 se aliquod mortale commisisse, nam ex illo objecto
 materiali jurato nulla redundat irreverentia
 in Deum vel in juramentũ: aliud est de juramento
 promisorio, de quo *Busenb.* suprâ, nam si jurem
 rem venialiter malam à me faciendam, communis
 sententia est esse tantum veniale; si mortaliter
 malam, communior est, quòd peccem graviter,
 firmando me illâ autoritate Dei in proposito
 peccandi mortaliter, quamvis etiam *Leß.* & *Dicast.*
 à num. 67. dicant nec hinc satis apparere rationem
 convincentem, retorquentur enim in proposito
 jurato peccandi venialiter, hinc fidedigni referunt
Vasq. & *Rubium* sensisse semper esse veniale
 tantum; sed propter autoritatem contrariam
 non est recedendum à communi sententia.

Q. 69. *An sit mortale jurare se facturum rem,* ²⁶⁶
quam jurans scit esse physicè vel moraliter impossi-
bilem. R. Communis sententia apud *Tamb.* L.3.c.3.
 §.3.n.8. *Dicast.* n.108. *Busenbaum* suprâ affirmat, quia
 Deus vocatur in testem illius, quod judicari debet
 non futurum: consentit *Tamb.* si juranti, quantum
 in se est, desit animus procurandi, ut eveniat,

M

fi

si autem hic animus adsit, putat cum aliis non fore mortale, quia deērit solum iudicium.

267 Q. 70. *An sit licitum jurare rem, quam tantum probabiliter iudico esse veram.* R. *Sanch. L. 3. c. 4. n. 10. Castrop. p. 5. n. 2.* aliique cum *Diana P. 4. T. 4. R. 77.* affirmant, quia iuras hoc, quod iudicas verum, ergo non pejeras; unde quod aliquis audit à viro notabili & fidedigno, potest secundum illos AA. affirmare & extra Iudicium jurare esse verum; quod aliqui apud *Dian.* extendunt ad Juramentum etiam in Iudicio, sed melius id negant alii, ibi enim postulatur Juramentum scientiæ, quod majorem certitudinem requirit, uti notat *Castrop. n. 3.* nam testis hic censetur semper testari de visu & præsentia propria, uti etiam notavit *Bon. supra n. 9.* Si quis putet utramque partem oppositam esse probabile, poterit jurare & hanc & illam esse probabilem, tamen jurare non poterit & hanc & illam esse veram, cum enim utrique simul assentiri non possit, illam tantum jurare poterit, cui assentietur: è contra *Suar. c. 4. n. 7. & Dicast. n. 147.* requirunt moralem certitudinem ad omne Juramentum, alioquin jurantem fore perjurum, quia qui iurat, significat se plus quam opinari, & dicit se aliquo modo scire, ergo jurare non licet id, de cuius veritate certò non constat; & præquiretur saltem talis certitudo, ut nulla vel parva & non prudens sit formido de veritate partis oppositæ, vel saltem ut non sit formido æqualis: admittunt tamen & ipsi requiri quandoque maiorem, quandoque minorem certitudinem, etiamsi in Iudicio iures, uti rectè explicat *Dicast. n. 142.* nam in causis, ubi Juramentum erit in favorem, sufficiet minor certitudo, ubi autem ex eo grave incommodum nasci posset alteri, requiretur major; &

hæc

hæc ultima sententia videtur probabilior : omnes autem communiter docent cum *Sanch.n.11. & Castrop. num. 3.* ad hoc, ut quis, testificetur de Scholastico, quòd toto tempore ad cursum conficiendum requisito frequentaverit scholas, non esse necesse, quòd viderit eum singulis diebus, sed sufficere, si communiter viderit adeuntem scholas, inde enim rationabiliter credit satisfactum esse Statuto Universitatis, quod est, ut majore anni parte frequentet, & cum alia testificatio sit moraliter impossibilis, non censetur alia postulari: Quòd si tantum audivisset à fide digno, quòd frequentasset, non sufficeret ad jurandum, nam hoc Juramentum est veluti judiciale, quod requirit testem de visu; posset tamen tum jurare, quòd audivisset à fide digno.

Q. 71. *Quanta adhiberi debeat diligentia in inquirenda veritate, antequam jurari possit.* R. ²⁶⁸
 Secundum *Sanch.* tanta, ut probabile Judicium possit formare, quo assentiatur: secundum *Dicast.* tanta, ut non multum formidet de veritate oppositi, sed moraliter certus sit: prout ergo negligentia aut contemptus hujus examinis erit gravis vel levis, fietque Juramentum cum reflexione ad eam, seu cum cognitione illius, erit perjurium grave vel leve, *Dicast. d. 2. à n. 135.*

Q. 72. *An Civis vi & injusto bello subjugati, possint in vasoribus prestare generale Juramentum fidelitatis.* R. Posunt, dummodo nihil illicitum expressè admisceatur, & ipsi intelligant se solum jurare fidelitatem ad licita & honesta: legitimum tamen Principem suum abjurare non possunt, quia talis abjuratio est perjurium, cadens in materiam falsam & in injuriam veri Principis, ita *Less. in Auct. v. Juramentum cas. 5.*

M₂

Q. 73

- 270 Q. 73. Si Cajus subordinet Titium Procuratorem, ut pro se falsò juret, uter illorum sit perjurus vel incurrat pœnas perjurii. R. Silvest. putat utrumque esse perjurum, sed solum Cajum incurrere pœnas perjurii: *Texeda* apud *Dian.* P. 10. T. 14. R. 13. dicit solum Titium esse perjurum, & solum incurrere pœnas perjurii: videtur dicendum, quòd uterque sit perjurus, Cajus moraliter & mediatè, quia mandavit, Titius physicè & immediatè, quia executus est, ita *Sanch.* l. 3. c. 13. n. 26. *Dicast.* d. 3. n. 442. & alii: pœnas autem incurret solus Titius, quia hæ cadunt in eum, qui propriè perjurium ponit, hic autem solus Titius propriè jurat, & consequenter pejerat, qui physicè ipsemet & immediatè id facit, ideòque peccatum solius Titii erit casus reservatus, v.g. in *Diecepsi Coloniensi*, in qua Episcopo reservatum est perjurium manifestum.
- 271 Q. 74. Quomodo peccet, qui jurat habens consuetudinem jurandi. R. §. 1. Si sit consuetudo jurandi non falsò, quamvis consuetudinem nunquam retractaverit, non peccat nisi venialiter, quia singula talia Juramenta sunt tantùm venialia, uti suppono, & consuetudo non aggravat mortaliter, licèt postea semper advertenter juret, ita *Castrop.* T. 14. d. 1. p. 9.
- 272 §. 2. Si fit consuetudo jurandi falsò, sed inadvertenter, quam non retractavit, si Juramenta, que nunc fiunt, non proficiscantur ab illa consuetudine sed ex passione vel subito motu, uti processissent, licèt non adfuisset consuetudo, non erit mortale, quia neque in se, neque in causa sunt plenè voluntaria, causa enim eorum non est consuetudo, sed alius motus plenam rationem prævertens, ita *S. Th.* in 3. *Dist.* 39. a. 5. in O. Et ad *Annib.* L. 3. *Dist.* 39. q. 1. art. 1. O, *Suar.* *Sanch.* *Cajet.* v. *Perjurium*, *Castrop.*

Castrop. aliique cum Dicast. D.2. n.170. contra malos, quos referunt Dicast. & Dian. P.10. T.14. R.13. Vid. Vind. Tab. in Collectan. ad Prop.12. Requiritur autem plenam deliberationem ad mortale, probabitur Lib.5. Num.216.

§. 3. Si proficiscantur ex consuetudine²⁷³ non retractata, quamvis planè inadvertenter fiant, non erunt quidem in se peccata, uti dicitur Lib.5. à n.15, cum non sint formaliter libera, erunt tamen peccata in causa seu in voluntate, quam jurans habet, non removendi consuetudinem, ita *Sanch. L.3.c.5. à n.28. Castrop. n.5. aliique multi cum Dian. P.3. T.5. R.62; putatque Suar. L.3.c.8. n.6. utile fore talem non absolvi, si admonitus non emendet consuetudinem, Sanch. tamen L.2.c.32. num.45. Castrop. n.6. & Burgh. Cent.1. Cas.3. contra multos alios apud Dicast. n.197. putant posse absolvi, quia dispositus est, & absolutio non est necessariò neganda vel differenda, quando peccata non pendent ex occasione extrinseca, quæ amoveri debeat, sed tantum ex intrinseca fragilitate relabentis, uti hic fit; imò *Dicast. n.214. dicit non posse licitè negari absolutionem tali Consuetudinario, quia consuetudo illa non est aliquid voluntarium, quod possit à se repellere, sed est aliquid naturaliter relictum post actus, quod etiam non magis est occasio proxima peccandi, quam inclinatio naturalis, de qua tamen expellenda non tenemur habere voluntatem: unde notat Diana supra, quando Authores dicunt non absolvendum eum, qui ex consuetudine relabatur, intelligendos esse, si relabatur advertenter, alioquin enim non peccat per relapsus: an autem & quomodo talia, quæ inadvertenter ex consuetudine sequuntur, sint confitenda, dicemus Lib. VI. T.4. c.1. ad d.3.**

274 §. 4. Rectè notat post *Scotum Dicast.* num. 182, quòd sicuti consuetudo amandi DEUM efficit, ut asuetus prorumpat in actus amoris quasi imperceptibiliter & non omnino advertenter, ita tamen, ut actus illi ad meritum sufficiant; non aliter etiam in illis, qui asueverunt ad Juramentum vel aliud peccatum, licèt non ita reflexè advertant malum, tamen sæpe sufficienter advertunt, quantum ad culpam sufficiet; quod maximè locum habet in iis, qui habent celeres motus ingenii.

DUBIUM IV.

An in Juramento uti liceat æquivocatione.

275 **R** *Esp.* Jurare cum æquivocatione, quando
 „ justa causa est, & ipsa æquivocatio licet, non
 „ est malum; quia ubi est Jus occultandi veri-
 „ tatem, & occultatur sinè mendacio, nulla irreve-
 „ rentia fit Juramento. Quòd si autem sinè justa
 „ causa fiat, non erit quidem perjurium,
 „ cum saltem secundùm aliquem sensum verbo-
 „ rum, vel restrictionem mentalem verum juret,
 „ erit tamen ex genere suo mortale contra Reli-
 „ gionem; cum sit gravis irreverentia, ad alterum
 „ in re gravi decipiendum, usurpare Juramentum.
 „ Ita communiter Doctores. *Vid. Sanch. L. 3. c. 6.*
 „ *Bonac. T. 2. D. 4. Q. 1. P. 12. Laym. L. 4. T. 3. c. 13.*
 „ Unde resolvitur,
 „ I. Graviter peccat, qui utitur æquivocatione,
 „ quando non rogatus, sed sponte suâ jurat: quia
 „ tunc tenetur uti vocabulis secundùm commu-
 „ nem significationem, inquit *Tolet. L. 4. c. 21,*
 „ eò quòd non habeat rationem æquivocandi.

II.

II. Graviter item peccat, qui utitur æquivocatione, quando Juramentum justè exigitur, ut à Judice vel Superiore, in re gravi. *Bonac. l. c.*

II. Si autem fiat tale Juramentum in re levi, per jocum, & citra inobedientiam, ac notabile damnum alterius, erit tantùm veniale, ut probabiliter docet *Sanchez l. c.* contra alios, quia solâ discretione sive Judicio caret. *Vid. Bonac. l. c.*

IV. Licet æquivocè jurare, si Juramentum exigitur injustè; ut v. g. si quis exigit Juramentum, qui Jus non habet, v. g. Judex incompetens; vel si non servet ordinem Juris. Item si exigitur per vim, iniuriam, metum, v. g. si vir exigit Juramentum ab uxore de adulterio occulto; si latrones exigant à te lytrum cum Juramento. *Sayr. L. 4. c. 5. & L. 12. c. 17. Trull. L. 2. c. 1. d. 15. Less. L. 2. c. 42. d. 9.*

V. Qui exterius tantùm juravit sinè animo jurandi, non obligatur, nisi fortè ratione scandali, cum non juraverit, sed luserit. In foro tamen externo potest cogi, ut servet. *Sanch. 7. Moral. Cap. 10. num. 11. Trull. d. 10. n. 2.*

A D D E N D A.

Q. 75. *An sit licitum jurare sinè animo jurandi, aut cum animo non implendi, aut se non obligandi.* 276

R. §. I. Primum est illicitum, ut patet ex propositione 25. ab *Innoc. XI.* damnata, *Cum causa licitum est jurare sinè animo jurandi*: Sic tamen jurans (proprie loquendo) non jurat, ut rectè *S. Th. 2. 2. q. 98. art. 3. ad 2. Suar. L. 2. c. 7. n. 2. Sanch. L. 3. c. 10. n. 4. Carden. in 2. Crisi d. 18. n. 3. Dicast. d. 1. n. 92.* aliique plurimi apud *Vindicem Taberna in Collect. ad Prop. 12.* sicut enim qui orationem vocalem exprimit sinè animo orandi, reipsa non orat; item qui vovet sinè animo vovendi, reipsa non vovet,

ita & hîc ; sed tantum sunt nuda verba apta significare Juramentum , si adeset animus vocandi Deum in testem , aut sic se obligandi ad aliquid. Hoc non obstante si quis exterius vocet DEUM in testem falsi , quamvis interiùs non habeat animum jurandi , omnes communiter dicunt eum peccare mortaliter , quia est grave vilipendium Dei, & directè contra finem Juramenti, qui est assecurare de veritate, qui finis evertitur, si homines intelligant posse absque gravi peccato fictè & falsò jurari. Vide dicenda num. 321.

277 §. 2. Si quis sinè animo jurandi vocet Deum in testem rei veræ, certum est, quòd peccet venialiter, tum quia est aliqua irreverentia nomen Dñi ita assumere in vanum, tum etiam quia est mendacium , talis enim exterius significat se habere animum jurandi, & tamen illum non habet, ergo mentitur. Controversia est, an talis hoc ipso etiam peccet mortaliter ; affirmant *Cajet. Armil. Covarr. Filguera & alii* ducti his rationibus, in primis quia mentiens jurat ; deinde quia utitur Juramento ad deceptionem Proximi ; præterea illudit testimonio Dei, cum fingat se illud invocare, & tamen non invocet , unde sicut ille peccat mortaliter, qui per hypocrisin simulat sanctitatem , ita & qui simulat invocationem testimonii divini : è contrà *Suar. c. 17. n. 6. Sanch. c. 6. n. 10. Lesf. d. 8. n. 46. Castrop. p. 8. n. 4. Illsung T. 5. n. 55. Dicast. d. 2. n. 278. Carden. n. 12.* probabiliùs dicunt esse veniale tantum, nisi fortè fiat in contractu, aut in Judicio legitimo, aut in simili circumstantia, quando est gravis obligatio seriò jurandi , ut si Proximus alioqui pati posset grave damnum : Ratio est , quia non apparet, unde colligi possit illa gravis malitia, nam Juramentum non cadit super mendacium, neque

neque super deceptionem Proximi , sed tantum super rem veram : unde ad rationem primam & secundam Adversariorum dici debet non esse mortale , quamvis aliquis mentiens & decipiens juret , dummodo Juramento non confirmet mendacium vel deceptionem, quod hic non facit. Ad tertiam rationem, nego per hoc graviter illud divino testimonio, uti enim si quis fingat se orare, cum tamen non oret , illa fictio non est graviter peccaminosa, ita nec hic. Ad illud, quod additur, de hypocrisi, dico eum, per se loquendo, etiam venialiter tantum peccare , qui ex vana gloria simulat se sanctum ; aliud est, si per falsa miracula id fingeret, aut populos induceret in alios errores, aut nollet habere gratiam Dei , & tamen vellet videri sanctus , tum enim per accidens peccaret mortaliter; tale quid non est in eo, qui jurat verum sine animo jurandi , ille enim non intendit ejusmodi indebitam excellentiam, neque alio fine graviter malo ducitur ad sic jurandum , uti suppono.

§. 3. Qui jurat sine animo implendi, peccat ²⁷⁸ mortaliter, quia vocat Deum in testem voluntatis implendi , quam tamen scit se non habere: quod si injuste cogeretur ad jurandum, & juraret cum animo id non implendi, quod jurat, sed petita prius relaxatione Juramenti, non peccaret, uti habent *Suar. L. 2. c. 7. n. 20.* *Sanch. L. 3. c. 11. n. 17.* *Dian. P. 9. T. 8. R. 56,* quia habet animum faciendi, nisi ab ea obligatione fuerit absolutus , à qua per legitimam potestatem absolvi potest

§. 4. Si quis juret habens animum jurandi & ⁸⁷⁹ implendi id, quod jurat, attamen non habens animum se obligandi, *Sanch. c. 20. n. 8.* *Castrop. p. 8. n. 8.* alique plurimi apud *Dicast. d. 2. n. 278.* dicunt

eum non jurare, quia de essentia, vel saltem proprietas metaphysica Juramenti est obligatio, ergo per intentionem se non obligandi destruitur essentia Juramenti: sed quidquid sit de hoc, adhuc dubitatur, an & quomodo talis peccet; *Val.* dicit, si sic jurans nolit se obligare Deo, sed soli homini, non peccare nisi venialiter, quia non est deceptio graviter injuriosa homini, eò quòd adhuc graviter obligetur ex virtute Religionis, de quo dicitur à num. 316, sed alii probabilius putant eum per hoc peccare mortaliter, quia videtur esse gravis irreverentia DEUM adducere in testem, & tamen nolle obstringi ejus testimonio, ita *Lesf.* de Just. L. 2. c. 42. n. 4. Quòd si velit quidem se obligare Deo, sed non homini, eò quòd homini nolit promittere, nullum erit peccatum, quia non tenetur homini promittere, aut illi Jus dare contra se, nulla autem apparet malitia in eo, quòd DEUM advocet in testem illius sui propositi, ita *Suar.* L. 3. c. 17. n. 10. *Lesf.* suprà, *Dicast.* n. 281. Vide dicenda n. 321.

180 §. 5. Quibusdam in locis præscriptum est, ut promovendi ad Ordines, ad certas cathedras vel beneficia, ejurent quinque propositiones *Jansenii*, & quidem in sensu intento à *Jansenio*, circa quod Decretum putant etiàmnun quidam *Jansenistæ* licere hoc sibi facere verbotenus tantum, eò quòd hoc faciant, non in veritatem, sed in reverentiam Bullæ id præcipientis, & ut externâ submissionem exhibeant Sedi Apostolicæ, sed quid circa hoc declaraverit *Clemens XI.* videri potest L. 1. n. 210, ubi ejus Constitutionem retulim⁹. Certè mirum est *Jansenistas* usque adeo rigoris amantes amplecti praxin sententiæ, contra quam est manifesta ratio, qui enim sic jurat, vel jurat nolens implere id, quod jurat, vel nolens obligari, ergo

ergo vel manifestè est perjurus, vel jurat
sinè animo jurandi, quorum utrumque certò
est illicitum.

§. 6. Si quis dicat verba juratoria, nihil affir- 281
mando vel negando, v.g. *Testor Deum, reddas mihi
librum; per Deum quàm nunc est frigidum &c.*
peccat venialiter, quia temerè & in vanum assumit
nomen Dei, & quidem sinè animo jurandi, quod
est indecens; non est tamen gravis irreverentia,
ita *Carden. num. 33*

§. 7. Qui narrat Juramentum ab altero factum, 282
v.g. qui sic dicit, *Titius sic juravit: Ego testor Deum,
quòd sim innocens,* nihil peccat, quia licèt dicat
verba juratoria sinè animo jurandi, tamen
nullo modo jurat nequidem exteriùs, nam
illa verba non dicit nomine suo, sed tantùm mate-
rialiter veluti dicta ab altero; neque in hoc, per se
loquendo, est ulla indecentia.

Q. 76. Quid notandum sit circa alias propositiones 283
hic damnatas. B. §. 1. Innoc. XI. damnavit sequentes:
26. *Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus
sive proprià sponte, sive recreationis causâ, sive
quocunque alio sine juret se non fecisse aliquid, quod
revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod
non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel
quodvis aliud additum verum, revera non mentitur,
nec est perjurus.* 27. *Causa justa utendi his amphibo-
logiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salu-
tem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel
ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis
occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.*
28. *Qui mediante commendatione vel munere
ad Magistratum vel officium publicum promotus est,
poterit cum restrictione mentali præstare juramentum,
quod de mandato Regis à similibus solet exigi,*
non

non habito respectu vel ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. Pro intelligendis his damnationibus,

- 84 §. 2. Notandum, restrictionem mentalem esse duplicem, alia est *purè mentalis*, alia *non purè mentalis*. Restrictio *purè mentalis* est, quando tota oratio spectatis omnibus circumstantiis, prout exterius profertur, est absolutè falsa, in mente autem aliquid subintelligitur, per quod fieret vera, & tamen illud subintellectum nullo signo externo manifestatur, neque in illius cognitionem humano modo veniri potest, v.g. *Tu me interrogas, an hodie viderim Petrum, ego respondeo, non vidi, & in mente subintelligo, non vidi in foro, cum tamen viderim domi mea,* restrictio illa est *purè mentalis*, quia ex nullis circumstantiis prudenter colligi poterat te interrogare de visione in foro, aut me de illa respondere. *Restrictio non purè mentalis* est, quando oratio spectatis quidem præcisè verbis aliquem sensum absolutum faceret, sed prout in his circumstantiis profertur, satis intelligitur aliquid ad illam spectans retineri in mente, ita tamen, ut per illas circumstantias vel per aliud signum exterius consignificetur illud, quod in mente retinetur, v.g. *Titius jam recenter non vidit Sempronium, Cajus occurrit Titio & sollicitè petit, vidistine Sempronium? hic Cajus in mente retinet, jam recenter, ideóque Titius responder, non vidi, ubi etiam ipse in mente retinet, Sempronium recenter, hæc verò ram ex parte Caji interrogantis, quàm Titii respondentis sufficienter consignificantur per circumstantias sollicitè quærentis & respondentis in illis circumstantiis. Iterum, hæc voces, *peto linguã bovis, si dicas illas in macello, significabunt linguam**

linguam carneam animalis; si dicas in pharmaco-
peo, significabunt herbam, quæ dicitur *lingua*
bovis, ergo sicuti circumstantiæ loci hîc postunt
consignificare aliquid, quod in mente retinetur, ita
etiam aliæ circumstantiæ vel alia signa poterunt
consignificare aliquid in mente retentum, licet
verba præcisè id non manifestent, ita *Arsd. T. 2. p. 2.*
T. 1. Q. 1. Steph. T. 4. D. 10. D. 4. Vind. Gob. P. 2. Prop. 21.
aliique apud ipsos. His suppositis,

§. 3. Restrictio purè mentalis non excusat 285
à mendacio vel perjurio, ita multi apud *Dicaſt. d. 2.*
n. 299; licet ipse à num. 300. contradicat, sed videtur
manifestè sequi ex damnatione propositionis 28:
Ratio autem est, quia locutio illa absolvitur
verbis illis præcisè prolatis, & exercitè seu æqui-
valenter dicit hunc esse totum conceptum mentis,
quem ad audientem dirigit, ergo cum neque ex se,
neque ex circumstantiis habeat vim significandi
totam propositionem internam, aut partem illam
in mente subintellectam, per quam propositio
interna ad audientem directâ fit vera, locutio tota-
liter sumpta est contra mentem, ergo mendacium,
& si juretur, est perjurium.

§. 4. Restrictio, si non sit purè mentalis, 286
excusat à mendacio & perjurio: patet, quia verba,
ut conjuncta talibus signis vel circumstantiis
humano modo cognoscibilibus, sunt significativa
integræ propositionis mentalis, etiam illius partis,
per quam verificatur oratio, oratio autem vera
licitè juratur, si cetera adsint, ergo.

§. 5. Restrictio non purè mentalis est licita, 287
saltem ex gravissimis causis, v.g. si aliter non possit
vitari mors aut aliud malum morti æquivalens,
ut mutilatio, perpetuus carcer; item ad salvandû
secretum Principis, sigillum Confessionis &c.

Ratio

Ratio est, quia cum talis restrictio per se mala non sit, quamvis per accidens & sine causa usurpata possit servire malis fraudibus & obesse commercio humano, uti rectè probat *Palav.* de Fide c. 2, tamen ubi tales gravissimæ causæ eam cohonestant, reprehensibilis non est.

288 §. 6. Non est restrictio purè mentalis, si quis respondeat ad mentem interrogantis, quamvis verba, quæ respondet, de se forent falsa, si non dicerentur in illis circumstantiis, v.g. si me interrogas, an occiderim Cajum, respondeo, non occidi, & licet occiderim, non mentior nec pecco, quia in circumstantiis illis, in quibus crimen est planè occultum, quod si fatear, periclitatur vita mea, non debeo præsumere, nisi aliunde mihi constet, quòd me interrogas, an crimen commiserim absolutè, quia non habes Jus ad me ita absolutè interrogandum, neque in illis circumstantiis teneor id, quod nequidem semiplenè est probatum, revelare tibi, cum certà jactura vitæ, quamvis tu etiam eses Judex meus, ad hoc enim me obligare eset nimis durum & superans humanam imbecillitatem, uti plurimi docent cum *Carden.* in 2. Crisi D. 19. n. 81, & dicitur L. IV. n. 1521; itaque prudenter præsumo, quòd interrogas me, an occiderim Cajum, ita ut constet, ut probari possit, ut tibi fateri debeam; & conformiter ad mentem, quam tu interrogans habes vel habere debes, verissimè dico, non occidi, quia sic non occidi, ut constet, ut probari possit, ut tibi in illis circumstantiis fateri debeam; atque ad hoc significandum determinatur mea oratio, partim per illa verba, partim per illas circumstantias, in quibus me interrogas, & quas tu scis vel scire debes, ita *Suar. Lug. Carden.* num. 48. *Steph. Vind. Gob.* suprà. Quòd si tamen putarem

te aliter & absolute interrogare, non possem sic respondere, alioqui mentirer, sed deberem te aliter eludere: similiter, inquit *Cressp. in Q. Mor. Q. II. n. 10.* & *Carden.* supra, si fecisti ante annum homicidium & confessus sis, hodie autem confitearis, uti soles, & te interroget Confessarius, an forte aliquem occideris, dicis, *non*, neque mentiris aut peccas, quia interrogatio Confessarii æquivalet huic, occidistine, quod non sis confessus, sed nunc confiteri debeas? non enim habet Jus ad aliud interrogandum, & ad hanc ipsius mentem bene respondes te non occidisse: unde universaliter ponunt hanc regulam *Sanch. & Carden. n. 26*, quamvis verba ex se ambigua non sint, sed deberent aliquid determinate significare, si tamen attentis circumstantiis loci, temporis & personæ, vel interrogantis vel respondentis, aut quovis alio signo, humano modo perceptibili limitentur ad aliud significatum, non est restrictio pure mentalis, neque illicitum sic usurpare, si adsit gravis causa; & ita excusat *Carden.* illum, qui interrogatus, an latro hæc transierit, statim manum in manicam inserit, aut stans in loco, figit signanter pedem super uno lapide, & dicit, non transiit hæc, intelligendo, per manicam vel per illum lapidem, ad quod significandum dat sufficiens signum, quando statim ad interrogationem alterius advertenter ponit manum in manicam vel pedem ita figit super lapidem; quod autem alter signa illa non advertat, uti advertere poterat, sibi imputet.

§. 7. Quando non sunt valde graves causæ ita restringendi, si fiat restrictio, præsertim ex parte solius respondentis, communiter erit pure mentalis adeoque illicita, v.g. Pater interrogat filium, fuistne in popina? non licet filio dicere, non fui, subintel-

subintelligendo, ita ut tibi constet, ut fateri debeam &c. Ratio est, quia ubi non sunt graviores causæ restringendi, interrogatio censetur fieri absolute secundum verba tantum; & sic habet commune judiciū omnium hominū, nam interrogans habet Jus sic interrogandi, neque est supra humanā infirmitatem tum respondere secundum verba præcisè, ergo hæ circumstantiæ non sunt tales, ut possint censerī simul cum verbis constituere orationem manifestativam alicujus, quod in mente reservatur, ergo est restrictio purè mentalis & illicita.

290 §. 8. *Sanch. & Carden. n. 32.* putant, quando est aliqua justa causa, semper licitum esse uti verbis æquivocis in uno sensu, quamvis audiens putet me loqui in alio, v.g. *Si occiderim hominem Gallum, me posse dicere, quod non occiderim gallum, intelligendo, gallinaceum; item quamvis Titius jam sit domi, me posse dicere, Titius jam non est domi, per Tō, non est, intelligendo, non comedit; item si aliquid non sciam evidenter, me posse dicere, non scio, quamvis omnino probabilissimè sciam, quia nempe non habeo scientiam de hoc, id est, conclusionem certam & evidentem deductam ex præmissis certis & evidentibus: sed doctrinam illam sic puto esse intelligendam, quod licitum sit uti vocibus æquivocis, quando adest causa rationalis, dummodo per aliquod externum signum vel circumstantias humano modo cognoscibiles colligi possit aliqua determinatio talium vocum ad significandum illum conceptum, qui est in mente; ratio autem est, quia per se non est malum nec mendacium, cum voces de se sint aptæ plenè significare utrumque conceptum, ad significandum autem hunc præ illo determinantur per alia externa signa vel circumstantias: deinde*

non

non est Lex, quæ id fieri prohibeat, aut quæ præcipiat signa vel circumstantias omnino clarè explicare, quando est rationalis causa dissimulandi, tum enim satis est, quòd illa omnia ponantur, per quæ hic determinatè conceptus mentis adæquatè manifestetur & humano modo intelligi possit, quæ si tu non capias vel non advertas, hoc tribue tuæ ignorantia vel tarditati: Si absint tales circumstantia, sed adsint oppositæ, hæc determinabunt ad oppositum sensum, adeoque si aliter intelligam, ero mendax. *Sit exemplum*, tu interrogas me, an sim *malesanus*, & intelligis, an malè valeam; ego habens causam rationabilem non fatendi me malè valere, indignanti similis respondeo, non sum *malesanus*, & intelligo non sum stultus; neque per hoc mentior, neque purè mentaliter restringo, quia vox, *malesanus*, utrumque significat, & per indignationem determinatur ad significandum potiùs secundum mentem meam quàm secundum tuam, si enim vellem ad mentem tuam respondere, nulla foret causa indignandi, uti suppono, sed simpliciter affirmarem vel negarem: quòd si non darem signum indignationis, mentirer, quia verba sine illa circumstantia hic & nunc determinatè haberent alterum sensum. *Nec refert*, quòd talis oratio etiam possit servire fraudibus, nam hoc orationi per accidens est, quæ de se habet talem significationem, ut humano modo ex signis, quæ pono, percipere possis sensum meum, & fraudem cavere.

§. 9. Quando adjuncta signa vel circumstantia
interrogationis faciunt orationem aliam, quàm
verba sonent, mentitur, qui respondet
falsò secundum sensum talis interrogationis.

si nullo signo externo ostendatur, quòd ad mentem interrogationis non detur responsio, ut probat *Palav. de Fide c. 2, v. g. Cajus Studiosus heri non fuit in Sacro studiosorum, hodie Professor Caji examinans absentias hesternas petit à Cajo, an fuerit heri in Sacro, Cajus respondet, fuit, & in mente intelligit in summo Templo; dico Cajum mentiri, quia si Professor expressè petivisset, an fuisset heri in Sacro studiosorum, mentitus fuisset dicendo, fuit, atqui circumstantiæ illæ examinantis absentias hesternas ab hoc Sacro studiosorum simul loquebantur cum Professore, & constituebant orationem illam petentis, an fuisset heri in Sacro studiosorum, ergo si respondeat falsò ad propositionem in illis circumstantiis factam, nullo alio signo dato, mentitur, & si hoc juret, pejerat.*

292 §. 10. Si nulla adsit rationabilis causa restringendi, videtur saltem veniale sic restringere, quia est ad minimum otiosa locutio & deceptio, fidelitati inter homines debitæ ac sinceritati aliquo modo opposita.

293 §. II. Cùm propositio 27. damnata dicat, *causa sufficiens utendi his amphibologiis &c.*, hoc ipso quòd dicat, *his amphibologiis*, sufficienter significat, quòd per amphibologias prohibitas intelligantur restrictiones illæ purè mentales, de quibus habebat propositio 26. immediatè antè damnata; additque hæc damnatio non esse licitum illis uti ob quamcunque necessitatem vel utilitatem.

294 §. 12. Ubi restrictio vel æquivocatio est licita, non est perjurium jurare talia esse vera, quæ dicuntur cum restrictione vel æquivocatione, quia per tale Juramentum confirmatur veritas, quam habet oratio, quæ tum licitè usurpatur, quomodo autem loqui possit Confessarius, si

si interrogetur de peccato audito, dicetur pluribus
Lib. 6, quando de sigillo Confessionis.

§. 13. Secundum antè dicta debent nunc ²⁹⁵
post damnationem propositionum relatarum
limitari multa, quæ passim inveniuntur apud gra-
ves Authores, quos referunt *Wilb. Sandeus* ad prop.
26. damnatam, *Dicast. supra.* *Moya T. 2. d. 1. q. 6.*, qui
utè & *Carden. c. 6.* cautè est legendus, quia quædam
ponunt, quæ meritò limitari debent. Vide etiam
Vind. Gob. P. 2. Prop. 21., ubi ex Scriptura & Ss. PP.
confirmat, quæ diximus : Item vide *Vind. Tabernæ*
ad prop. 11. pag. 58. & seqq. in Collectaneis, ubi
plurimas citationes Auctorum refert pro licito usu
restrictionum mentalium in certis circumstantiis,
utè & æquivocationum, etiam in Juramento.

Q. 77. *An simulatio vel dissimulatio sit licita.* ²⁹⁶

R. Certum est simulationem non esse licitam
in administratione Sacramentorum, utè dicetur
de Sacramentis : circa simulationes vel dissimula-
tiones in aliis materiis.

§. I. *Notandum est*, quòd simulatio propriè dicta ²⁹⁷
seu formalis, non sit licita, quia est reale menda-
cium, quod non committitur quidem verbo,
fit tamen facto, perinde enim est sive quis verbo
sive facto significet aliud, quàm quod in mente
habet, cum factum æquè possit esse signum mentis
internæ, quàm verbum, utè habet *S. Thomas 2. 2.*
q. III. art. 1. in O., tum autem dicitur esse simulatio
propriè dicta & formalis, quando quis per facta
externa intendit aliud significare, quàm in animo
sentiat, utè v. g. si quis poculo ori admoto
simulet se multum bibere, cum tamen parum aut
nihil bibat, intendens ut alii putent eum multum
bibere ; item si exercitus aliquis fugiat, intendens

ut hostis putet eum esse timidum, cum tamen timidus non sit; item si quis fingat se ire velle longius, intendens ut alii hoc putent, quamvis ipse cogitet ibi manere.

298 §. 2. Simulatio improprie dicta seu materialis non est mendacium, sed (per se loquendo) est licita; tum autem est talis, quando quis exteriùs facit aliquid, prævídens quidem ab alio habendum pro signo alicujus rei, quam tamen ipse non intendit per hoc significare, sed ponit ex alio fine; sive quando quis dat signa externa de se indifferentia ad significanda plura, quia procedere possunt à diversis causis, per quæ signa præter intentionem aliqui decipi solent putantes procedere ab una causa, cum tamen procedant ab alia: & sic potest aliquis poculo ori admoto parum aut nihil bibere, non intendens ut alii hoc judicent, sed volens declinare haustum, licet prævideat alios putaturos eum bibere; atque ita *Josue* 8. legitur, quod fugerit, non quia per fugam illam volebat significare metum, sed prævidens hostes fugam illam esse interpretaturos velut metum, voluit abire more fugientium, intendens ut cives urbis Hai per hoc longius abducerentur ab urbe, & reliqui milites *Josue* ex insidiis erumpentes irruerent in urbem, quod & factum est, recessus enim ille per modum fugæ factus poterat quidem provenire à timore, sed hic & nunc proveniebat à desiderio eliciendi hostes longius, & habendi meliorem occasionem victoriæ: Similiter *Christus* *Lucæ* 24. apud Emaus *sinxit se longius ire*, non intendens ut Discipuli hoc putarent, sed hoc prævidens, re ipsa autem volens significare, aut se, quando ab eis ascensurus esset in cælum, velle retineri per hospitalitatem, ut ait *S. Augustinus*, vel se

se longè abesse ab eorum Fide, uti habet *S. Gregorius*, vel se omnino iturum fuisse longius, nisi invitaretur.

§. 3. Simulatio materialis, si respiciat objectum²⁹⁹ vel circumstantiam vitiosam, est illicita, uti si quis coram aliis stans ante idolum projiciat thus in thuribulum; quamvis enim ipse fortè intenderet se odore illo recreare, & id facere potuisset, si fuisset solus, tamen in illis circumstantiis non tantum committeret scandalum, sed reipsa honoraret illud idolum: è contrà simulatio materialis quandoque respicit objectum & circumstantias omnino indifferentes, uti fuit illa *Josue & Christi Domini*, & tum dicimus non esse illicitam, dummodo tamen non deserviat ad injustam fraudem.

§. 4. Dissimulatio, per se loquendo, est licita; ³⁰⁰ tum autem est dissimulatio, uti innuit *S. Th.* suprà ad 4, si quis nec verbo nec facto det signum illius, quod habet in mente, sed ab illo quasi præseindat, uti si quis interrogatus an habeat pecuniam, faciat ac si non audiisset, & de alia re quasi inadvertenter loqui incipiat, sicque distrahat interrogantem; talis homo dissimulat loqui de pecunia. *Dixi*, per se loquendo licitam esse, nam posset esse illicita, si quis dissimularet cum scandalo vel cum injusto danno Proximi, vel quando loqui aut apertè agere deberet.

Q. 78. Quomodo excusentur mercatores, qui dicunt³⁰¹ vel etiam jurant se non posse tali pretio merces vendere: item merces sibi pluris constare, cum tamen neutrum in vigore sit verum. ¶ Primi per hoc excusantur, quòd intelligant & satis sciantur significare velle, se non posse cum honesto & mediocri lucro ita vendere. Secundi per hoc excusantur,

quia quando dicunt sibi pluris constare, scimus, quòd non intelligant nudè pretium rei emptæ, sed etiam computent, partim expensas, v. g. vecturæ aliásque, partim proportionalem partem sumptuum, quos toto anno faciunt in suam communem negotiationem, hæc enim justè possunt venire nomine pretii, quo res ipsis constat, ita *Gob. T. II. n. 672.* Quòd si locutiones eorum non essent in hoc sensu veræ, mentirentur; & si jurarent, pejerarent.

302 Q. 79. *An complementa sint mendacia, v. g. si quis dicat, sum indignus, infim^{us} servus & c. R.* Licet complementa ab aliquibus vocentur completa mendacia, tamen mendacia non sunt, quia omnes sciunt, quòd per ejusmodi formulas loquendi non intendamus strictum sensum, quem verba præferunt, sed tantùm velimus honorem exhibere, vel affectum ostendere illi, ad quem diriguntur, unde si animus honorandi vel affectus aliquis adsit, erunt signa concordantia cum mente: itaque audiendus non est ille Casista, qui ante aliquot annos in publicis Theatris Leodii dixit eum committere idololatriam, qui literis suis subscribit, *Sum servus ex toto corde,* eò quòd soli Deo debeat cor totum, nam illa verba inter homines significant solam debitam propensionem animi: quòd si quis diceret verba complementorum, & non intenderet honorem exhibere vel affectum seu propensionem ostendere, probabilius est fore mendacium; excusari tamen posse putat *Gob. n. 670,* quia scimus sic loquentes nolle sibi credi, uti nec volunt sibi credi Poëtæ narrantes fabulas: deinde etiam nemo putat hæc asseritivè & ex animo dici, sed tantùm veluti modos loquendi ad urbaniter con-

conversandum, vel ad pascendas alterius aures,
ideoque videntur à mendacio excusari posse.

DUBIUM V.

*Quæ & quanta sit obligatio
Juramenti promisorii.*

Resp. In Juramento promisorio duæ affir- 303
mantur veritates; una de præsentī primaria, cc
quòd scilicet jurans habeat animum cc
implendi, quod promittit : altera secundaria cc
de futuro, quòd scilicet impleturus sit suo tem- cc
pore, quod promittit ; five promittat Deo, & cc
est votum cum Juramento, five homini, & cc
est jurata promissio humana : unde oritur cc
obligatio implendi, si rationabiliter possit. cc
Ita communiter DD. V. Laym. L. 4. T. 3. c. 6. Bon. T. 2. cc
d. 4. q. 1. p. 7. Unde resolves,

I. Defectu primæ veritatis jurans verè pejerat cc
mortaliter, si vel non habet animum implendi, cc
five materia sit parva five magna ; licita five cc
illicita: vel si dubitat, an facturus sit nec ne, quod cc
jurat ; vel si putet sibi moraliter impossibile, cc
ut impleat, quod promittit : quia quoad istam cc
veritatem præsentem, promisorium ab asser- cc
torio non differt : unde nec parvitas materiæ cc
excusat. *Ibidem.*

II. Defectu secundæ veritatis verè pejerat is, cc
qui, quod promisit, postea non implet, si rationa- cc
biliter implere potest. Id solùm hìc dubitatur, cc
an qui promisit rem exiguam cum Juramento, cc
ut v. g. dare alteri unum pomum, vel nummum cc
pro eleemosyna, vel castigare prolem, vel cc

" inter vendendum nolle se minori pretio ven-
 " dere, vel nolle primum locum occupare aut præ-
 " cedere in ingressu portæ, &c, an inquam sub gravi
 " peccato teneatur hæc servare. Ubi speculative
 " quidem videtur quòd sic; quia verè adductus est
 " Deus ut testis quòd sit factururus, ergo si sine causa
 " non facit, quantum in se est, facit DEUM
 " testem falsum, *Cajet. Valen. Tolet. L. 4. Cap. 22. & alii.*
 " Nihilominus alii probabiliter tenent contra-
 " rium, ut *Sanch. Vid. Laym. Cap. 14.*
 " III. Illud certum est, quòd si ex eo, quòd jurasti,
 " tantummodo parum aliquid non serves, non esse
 " grave; v.g. si jurasti te non bibiturum vinum,
 " non peccas mortaliter parum bibendo. *Sanch.*
 " *Mor. L. 4. c. 32. num. 21,* quia tunc excusat parvitas
 " materiæ. Et sic excusantur, qui jurant servare
 " Statuta alicujus Capituli, Collegii, Universitatis,
 " &c, si postea parvum aliquod Statutum violent. Et
 " idem dicitur de tabellionibus juratis, & aliis ministris
 " Justitiæ; ut & de eo, qui ex summa, quam alteri
 " se daturum jurasset, parum tantum detraheret,
 " *Navar. Suar. Sanch. v. Laym. Bonac. p. 14.*
 " IV. Obligaris probabiliter Juramento pro-
 " misorio, etsi extortum à te sit per injuriam ac
 " metum; ut si oblitus uti æquivocatione, jurasti
 " prædonibus dare lytrum, usurario Usuram,
 " *Bec. 2. 2. q. 89. & alii.* Negat tamen *Azor T. 1. L. 11.*
 " *c. 7. q. 2.* in materia matrimonii, quia matrimo-
 " nium coactum metu cadente in constantem
 " virum, nullum est: hinc etiam Juramentum
 " extortum de eo contrahendo, videtur relaxatum
 " ipso Jure, ait *Cajet. V. Perjurium. Suar. c. 9. Sanch.*
 " *Bonac. p. 9.*
 " V. Obligaris item, etsi Juramentum sit errore
 " aut dolo extortum, si dolus vel error versetur
 " tantum

tantum circa circumstantias accidentales, non
 magni momenti; nam si versentur circa substan-
 tiam, ut v.g. si anulum te daturum alteri jures,
 putans esse ferreum, cum sit aureus, vel circa
 circumstantias magni momenti, quibus cogitis
 non jurasses, non obligaris, v. *Sanch. L. 3. Cap. 11. nu-
 m. 42. Suar. & alios.*

VI. Non inducit ullam obligationem, si jures
 rem malam, aut vanam, aut inutilem, aut,
 ut habet *Cajet.* indifferentem, quæ nec ex fine,
 nec circumstantiis cohonestatur, quia Jura-
 mentum non potest esse vinculum iniquitatis
 aut vanarum rerum ac otiosarum, ad quas Deus
 non vult nos obligari, *Bon. & alii communiter.* Ubi
 nota ex *Laym. c. 6.* Juramentum non convalescere,
 etsi talis res illicita & vana, postea mutatis
 circumstantiis fiat honesta, cum juxta regulam 18.
 Juris in 6. *Non firmatur tractu temporis,
 quod initio non subsistit.*

VII. Nec obligaris implere, si quid jurasti
 contra consilia Evangelica; ut non ingredi Reli-
 gionem, non dare eleemosynam, &c. *Molin. Sanch.
 Lay. l. c.* Et licet peccaris talia jurando, non tamen
 peccas non implendo. *Vid. Cajet. V. Perjurium.*

VIII. Teneris implere, nec potes commutare
 in aliud opus melius, ut v.g. Religionem, si aliquid
 jurasti in utilitatem aut gratiam alicujus hominis
 aut aliquorum, dummodo sit honestum, &
 sine peccato impleri possit: Unde v.g. Alumnus,
 qui juravit se servituum Principi aut huic vel
 illi Ecclesie, &c, non potest ingredi Religionem
 sine relaxatione. Excipe tamen, si jurasses Titie,
 eam ducere: nam eo casu potes eam relictam ingredi
 Religionem, quia Juramentum sortitur natu-
 ram actus, cui apponitur; promissioni autem

» matrimonii hæc tacita conditio inest, nisi ingre-
 » derer Religionem. *Vid. Laym. c. 6. Bonac. Tom. 11*
 » *de matrim. q. 1. p. 5.*

» *Resp. II.* Juramentum promissorium
 » eandem habet conditionem, eodémque modo
 » explicandum est, quo promissio vel propositum,
 » cui est annexum. Ratio, quia accesorium sequi-
 » tur principale, ideóque quando non obligat
 » promissio, nec obligat Juramentum appositum.
 » *Les. L. 2. c. 42. d. 4. Bonac. p. 16. Trull. L. 2. c. 1. d. 17. n. 11*
 » *Unde resolves,*

» I. Titius, qui cum Juramento promissit nuptias
 » Bertæ diviti, sanæ, virgini, bonæ famæ &c,
 » non tenetur stare Juramento, postquam Berta
 » incidit in paupertatem, infirmitatem, fornicationem,
 » vel infamiam; quia promissio ipsa
 » non obligat eo casu.

» II. Qui urbanitatis causâ juravit se ante alte-
 » rum non sesurum, bibiturum, vel ingresurum
 » domum, &c. non peccat contra Juramentum,
 » si coactus ab altero prius sedeat, bibat, vel ingre-
 » diatur; tum quia promissio illa vel propositum
 » habet tacitam conditionem adjunctam (nisi me
 » coegeris) quâ sublatâ non obligat & consequenter
 » nec Juramentum: tum quia relaxatur ab altero
 » cedente Juri suo, *Bon. l. c. Sanch. Les. n. 22. Trull. n. 5.*

» III. Qui juravit se servaturum Decreta &
 » Regulas, vel Statuta alicujus Congregationis,
 » Universitatis vel Capituli, tantum tenetur
 » servare ea, quæ sunt in vigore, & quatenus sunt
 » in usu, vel servantur à majore parte Capituli;
 » nisi tamen aliud constet de mente jurantis, vel
 » hic voluerit se ad illa independentem à Statutis
 » obligare. Ratio patet, quia promissio ipsa non ali-
 » ter obligat. *Trull. n. 8. Az. Les. l. c. Dia. p. 2. Tr. 6. R. 39.*

IV.

IV. Qui juravit se servaturum secretum, ^{cc}
non peccat contra Juramentum, illud detegendo, ^{cc}
quando non potest illud celare absque gravi suo ^{cc}
vel alterius damno, quia ipsa promissio secreti ^{cc}
non videtur obligare, nisi hac conditione, ^{cc}
(si non noceat.) *Sylv. Bonac. Sanch. Trul. n. 9. cc*

V. Qui juravit Judici se dicturum, quæ novit, ^{cc}
non tenetur revelare occulta. Ratio patet. *Lefs. cc*
Bonac. Trull. num. 13.

VI. Qui juravit se soluturum debitum ^{cc}
intra mensem, non tenetur intra illum ^{cc}
vi Juramenti solvere, si à creditore terminus ^{cc}
solutionis prorogetur, quia cum hic cedat ^{cc}
Juri suo, cesat obligatio promissionis, & ^{cc}
consequenter Juramenti, *Azor, Bonac. Trull. n. 18. cc*

A D D E N D A.

Q. 80. *An in juramento falso detur parvitas* 304
materia. q. §. 1. In asertorio non datur, uti
cum S. Th. & aliis habet Busenb. relatus n. 263. & 303,
quia sic jurans vult, ut DEUS testetur falsum,
adeoque ut fallat aut fallatur, quæ est gravis irre-
reverentia, hinc Innoc. XI. damnavit hanc 24. prop:
Vocare DEUM in testem mendacii levis non est
tanta irreverentia, propter quam velit aut possit
damnare hominem.

§. 2. De Juramento promisorio est aliqua diffi- 305
cultas, nam licet res jurata sit levis, tamen si postea
non impleatur, plures apud *Busenb. & cum Lefs.*
de Just. L. 2. c. 42. d. 5. dicunt semper esse mortale,
quia quantum in se est, facit Deum fuisse testem
falsi, voluit enim, ut Deus testaretur aliquid futurum,
quod tamen ipse impedit, ne sit futurum, ergo facit
Deum fuisse testatum aliquid falsum, in quo vide-
tur esse gravis irreverentia, non minus, quam
si faceret DEUM testari falsum præsens, &
hæc

hæc sententia est probabilis, quam *Cajet. & Covarr.* limitant, & dicunt, si jurans nihil ponat de re promissa, tum fore mortale, si autem aliquid de ea ponat, fore veniale tantum, v.g. si jurarit se oraturum Pater & Ave, si neutrum oret, dicunt fore mortale, quia deficit tota veritas propositionis, si autem alterutrum oret, dicunt fore tantum veniale, quia ex illa parte non deficit veritas Juramenti: sed hæc posterior limitatio parum probabilitatis habet, nam qui promisit orare & pater & ave, si alterutrum omittat, tota propositio copulativa est falsa, uti suppono ex Logica, ergo si in uno casu deficit veritas, & ideo est mortale, etiam erit in altero: hinc Authores alii longè plures cum *Castrop. T. 14. D. 1. P. 6. n. 8. Illung T. 5. n. 51. Carden. in 2. Crisi d. 17. n. 19.* multò probabilius dicunt, si materia Juramenti sive materia propositionis sit gravis, & desit justa excusatio, fore mortale non implere, è contrà si sit levis, fore tantum veniale; ratio est, quia qui non implet, non mentitur, uti expressè *S. Th. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5.* cum nihil loquatur contra id, quod gerit in mente, ergo tantum peccat contra fidelitatem, peccatum autem contra fidelitatem in re levi, est leve tantum, uti cum communi rectè docet *Lugo de Just. d. 23. n. 92.* Unde ad fundamentum *Lesii* dicendum est, quod talis homo non faciat Deum testem mendacii aut falsi formalis, sed materialis tantum, in quo præcisè non est irreverentia, nam qui jurat aliquid re ipsa falsum, quod tamen putat verum, etiam facit Deum esse testem falsi materialis, & tamen non peccat. *Confirmo.* Nam jurans volebat se obligare, & promissum implere, quamvis autem non impleat, non ideo Deus est vocatus in testem falsitatis cognitæ, sed ignoratæ, ergo non est

vocat

vocatus in testem falsitatis formalis, sed materialis tantum. Opponit *Dicast.* de Juram. d. 2. n. 162, Deum invocari velut testem & fidejussorem veritatis futuræ, hinc autem fieri testem & fidejussorem falsitatis consequentis, quod videtur semper grave. R. Tantum vocari in testem voluntatis præsentis adimplendi promissum, & in fidejussorem obligationis, quæ semper est, sed ratione materiæ potest esse gravis vel levis. Vide dicta num. 262.

Q. 81. *Utra obligatio sit major, voti an juramenti.* 306

R. Multi Canonistæ apud *Suar.* hinc L. 2. c. 3. num. 1. censent obligationem utriusque esse parem, sed 1. Probabilius est majorem esse obligationem voti quàm Juramenti promisorii, quod homini fit, ita *S. Th.* 2. 2. q. 89. art. 8, quem plerique sequuntur cum *Suar.* num. 7, partim contra istos Canonistas, partim contra *Med.* & alios. Ratio est, quia per votum fides directè datur Deo, non autem per Juramentum promissorium homini factum, obligatio enim directè non fit Deo, sed DEUS tantum adducitur ut testis promissionis de aliquo futuro, ergo votum magis directè respicit Deum, ergo violatio voti erit magis contra DEUM, adeoque major illius injuria. Dixi, quod homini fit, propter dicenda n. 328. 355. 555. 2. Juramentum asseritorium videtur magis obligare quàm votum, ita *Suar.* n. 5; ratio est, quia obligatio Juramenti asseritorii est ex præcepto negativo obligante ad non attribuendum Deo falsum, quod si fieret, foret gravissima Deo injuria; obligatio autem voti est ex præcepto affirmativo me obligante ad reddendum hoc, quod Deo promisi, quod si non faciam, censebor esse irreverens Deo, sed non inferam tantam injuriam, quantam inferrem, si facerem esse testem falsi; & idem tenent

Lesse

Lesf. supra num. 53. Sanch. hic L. 3. c. 9. num. 4. Dicast. de Juram. d. 3. n. 20.

- 307 Q 82. *Quomodo Juramenta sint interpretanda.*
 R. Ferme eodem modo, quo vota, de quibus vide dicenda à n. 381 : unde 1. Qui dubitat, an juraverit, non obligatur, quia libertas est in possessione contra Juramentum, ita plurimis citatis *Dicast. num. 393* : idem est, si certus sis te asseruisse aliquid facturum per verba ambigua & dubia, sintne juratoria nec ne ; si etiam dubites de intentione tua, uti cum *Caj. Covar. & aliis tenent Suar. L. 2. c. 33. n. 3. Lugo de Just. d. 23. n. 110*, quia libertas adhuc manet in possessione, sicque etiam in mitiorem partem resolvit ejusmodi dubium Pontifex *Cap. Clericus. 35. de Jurejurando.* 2. Qui certus est se verba juratoria dixisse, sed negativè dubitat de intentione se obligandi ; aut etiam dubitat, an sciverit vel cogitaverit de obligatione inde consurgente, videtur obligari, si scivit, quid sit jurare, quia possessio est pro Juramento, quod talem obligationem trahit, ita *Suar. n. 4. Sanch. aliique cum Lugo supra.*
- 309 *Dian. P. 9. T. 8. R. 17.* 3. Qui scit se jurasse, & dubitat, an impleverit, adhuc obligatur, uti rectè cum communi *Suar. n. 7*, quia Juramentum est in possessione, & obligationi certæ non fit satis per solutionem dubiam.
- 310 4. Quando dubium est, an materia Juramenti sit licita nec ne, interpretatio ita est facienda, ut si in aliquo sensu possit Juramentum esse de re licita, in illo factum esse credatur, etiam si de intentione jurantis non certò constet, hoc enim postulat reverentia debita Juramento, ne sit vanum aut dicatur factum de re illicita, quod præsumi non debet ; si autem Juramentum nullo sensu possit esse de materia licita, non obligat, uti rectè *Suar. num. 8*, quia non debet impleri

cum periculo peccandi. 5. Quando materia
 Juramenti videtur esse illicita, & dubium solvi
 non potest post adhibitam diligentiam, opus est
 dispensatione saltem Episcopi, uti cum *S. Thoma* &
 aliis docent *Suar. num. 9.* & *Dicast. n. 398*, qui tamen
n. 401. addit, non esse improbable, quòd tale Jura-
 mentum possit non impleri, etiam non petita
 dispensatione, hinc *Sotus* putat *S. Thomam* dixisse
 hoc tantum pro consilio, notatque *Dicast. n. 399.*
 secundum illa sua principia, etiam in aliis dubiis,
 quæ se tenent ex parte jurantis, non esse opus
 dispensatione. 6. Juramentum est interpretandum ³¹¹
 secundum consuetudinem vel sensum communem
 Doctorum, hinc inquit *Dicast. n. 358*, citans plures
 alios, qui promovetur ad Licentiam, & jurat
 non accipere Gradum Doctoratus in alia Acade-
 mia, hoc intelligit virtute illius Licentiæ, illi autem
 integrum est in alia Academia iterum gradum
 Licentiæ & Doctoratus simul accipere, cui senten-
 tiæ etiam favet *Sanch. L. 4. c. 6. n. 5. & 6.* 7. Jura- ³¹²
 mentum ita interpretandum est, ut non fit
 tum alterius incommodo & detrimento, unde
 qui juravit se servaturum secretum, non tenetur
 servare, si id esset graviter noxium aliis vel ipsi,
 si quando juravit, non præscivit nec cogitavit
 fore noxium, ita *Sanch. L. 3. c. 17. n. 25.* *Dicast. n. 362.*
 citans plures, & habet *Busenb. supra. 8.* Juramentum ³¹³
 de servandis, v. g. Statutis, non extenditur ad Statuta
 facienda, sed tantum ad antiqua, *Suar. Sanch. & alii*
 cum *Dicast. n. 365*, & clarè habetur *Cap. Clericus, 35,*
de Jurejur. 9. Promissio etiam jurata, quam ³¹⁴
 observari vel non observari non magnopere
 interest ejus, cui facta est, nunquam ita durè
 est interpretanda, ut etiam cum gravissimis
 incommodis obliget, neque præsumendum,
 quòd

quod mens promittentis vel acceptantis promissionem fuerit, ut in omni eventu subsisteret obligatio, promissiones enim habent multas tacitas conditiones ex Jure vel hominum consuetudine vel prudentum interpretatione, ita *Lesf.* in *Auct.* v. *Juramentum casu 4.*

315 Q. 83. *An verum sit, quod juramentum sequatur naturam actus, cui adjicitur.* R. Universaliter non est verum, ita *Dicast.* d. 3. n. 411. & patet. Quia Juramentum sæpe est validum, licet cadat super actum invalidum, v. g. super promissionem injustè extortam à latrone, uti pluribus explicabitur in p. 2. n. 727. & in q. seq. insinuabitur. Actus de se potest esse revocabilis, uti propositum faciendi aliquid, & tamen Juramentum cadens super illud propositum est irrevocabile &c. Dicendum itaque cum *Lesf.* de *Just.* L. 2. c. 42. n. 32. & *Suar.* L. 2. c. 32. n. 5, quod Juramentum sequatur naturam actus, qui juratur, non quoad obligationem, nec quoad esse firmum vel irritum, sed quoad sensum verborum, quoad rationem liciti vel illiciti; item quoad alias conditiones tacitas seu limitationes, quas contractus ex Jure vel consuetudine contrahentium includit. Videri potest *Illung* T. 4. D. 3. N. 233. & T. 5. num. 64. Quomodo autem explicandum sit illud, *accessorium sequitur principale*, dicetur p. 2. n. 727.

316 Q. 84. *An juramentum illicitum possit obligare.* R. §. I. Juramentum homini factum, licet in se sit illicitum, vel fuerit prohibitum, aut etiam Jure naturali invalidum, potest obligare ex virtute Religionis, si sit de re licita, ita *Mol.* de *Just.* T. 2. d. 510. & T. 6. d. 35. & T. 1. d. 149. & 153. *Suar.* c. 24. à n. 2. *Sanch.* L. 3. c. 9. à n. 22. Ratio est, quia interponitur testimonium divinum

pro futuritione rei, quæ licitè fieri potest, ergo postulat reverentia, ut impleatur.

§. 2. Juramentum de re licita homini factum ³¹² ob malum finem, tum tantùm obligat, quando peractum est crimen, & nulla superest malitia in præstanda materia promissa; non autem obligat, si sic obtinendus esset finis malus, *Sanch. n. 28. Tamb. L. 3. c. 3. §. 5. n. 18*; hinc si jurâsti meretrici dare pretium pro illicita copula, teneris rescindere Juramentum ante patratum crimen, si tamen crimen patrâsti, teneris solvere pretium, quia hæc solutio in se mala non est: aliud est de solutione pretii simoniacè promissi, hæc enim manet in se mala & prohibita.

§. 3. Si jurâsti principaliter ob finem bonum, ³¹³ sed simul impellente fine malo, v. g. jurâsti dare eleemosynam ex charitate, sed impellente simul vanâ gloriâ, omisso impulsivo malo teneris dare eleemosynam, quia Juramentum est de re licita, & potest impleri finè peccato, ita cum aliis *Busenb. referendus num. 399.*

§. 4. Si jurâsti donare aliquid per donationem ³¹⁴ prodigam, probabile est cum *Sot. Suar. & aliis* te teneri tantùm ad illam partem, quæ non est prodiga: etiam probabile est cum *Molin. & Sanch. num. 27.* te teneri ad totum, quia licèt ex modo promittendi sit culpa, tamen non est ratione rei promissæ, & licèt fuerit prodigalitas in prima promissione, non ideo est in executione rei promissæ, quam cohonestant promissio ipsa & juramentum: *Tamb. n. 20.* putat etiam probabile esse, quòd ad nihil tenearis, quia indivisibiliter censeris totum promississe, ad totum autem non teneris, quia exequeris prodigalitem inhonestam. Hæc sententia videtur minùs probabilis,

prima

prima autem probabilior. Vide dicenda p.2.n.795.

320 §. 5. Juramentum, quo amarus & amara jurant se non permisuros tactum ab alia persona, secundum *Sanch.* c.15. num.17. obligat, quia est de relicta, nam honestum est non tangi ab alio: secundum *Fag. Tamb.* §. 3. n.3. *Dian.* P. 9. T. 8. R. 9. non obligat, quia tendit ad firmandam malam amicitiam: sed dicendum est id pendere ab eorum intentione, nam si fiat ad firmandam malam amicitiam, posterior sententia est vera; si ad cavendum, ne cum aliis commisceantur, prior est tenenda.

321 Q.85. *An qui fictè juravit, seu nolens se obligare, re ipsa obligetur.* R. *Busenbaum* relatus n.275. in fine, *Sanch.* c.10. n.8. *Castrop.* T.14. D.1.P.8.N.8, itémque alii apud *Dicast.* d. 2. n. 286. & d. 3. n. 322. negant, quia fictum juramentum non est juramentum; idem cum plurimis aliis tenet *Dicast.* num. 339, quia obligatio, quæ à voluntate pendet, est de essentia, vel saltem proprietas metaphysica Juramenti, uti dixim⁹ n.276. & 279; è contrà *S.Th.* 2.2.q.89.a.7. ad 4. *Valent. Cajet. Sot. Covar. Suar.* L. 2. c. 7. n. 11. aliique apud *Dicast.* n.314. & 338. affirmant, eò quòd putent obligationem sequi ad externam assercionem verborum, neque contrahi per intentionem, sed per deliberatam verborum attestacionem; quod *Vasq.* extendit etiam ad simplicem promissionem factam sine animo se obligandi, quamvis hoc communiùs negetur; saltem (dicunt alii) obligationem Juramenti, quæ oritur ex virtute Religionis, non pendere à voluntate jurantis, uti pendet obligatio promissionis & voti, sed Jure naturali esse annexam ac inseparabilem à Juramento externo, probatque *S. Thomas* verbis *Isidori*, quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientia testis est, ita hæc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit:

unde etiam hæc sententia valde probabilis est :
manet autem certum, quòd fictum juramentum
obligare possit, non tantùm ratione scandali, sed
etiam ex Justitia, ratione damni, quod alter ex tali
dolo pateretur, uti omnes docent cum *Dicast. supra*
& *Sylv. in Res. Cas. p. 1. v. Restitutio, Cas. 1* ; attamen
his sententiis non obstantibus docet absolutè *Illf.*
T. 5. num. 56, fictè jurantem tantùm obligari,
si Juramentum sit dolosum, id est, contra Jus alte-
rius, quia nempe ex Justitia tenebatur seriò jurare ;
hinc dicit fictum juramentum nunquam causare
obligationem ex virtute Religionis, sed solius
Justitiæ, quæ sententia etiam probabilis est.

Q. 86. *An Juramentum obliget, si opponatur* 322
priori juramento. R. §. 1. Unum Juramentum
potest opponi alteri, vel in actu jurandi, vel
in materia jurata: Tum opponitur in actu jurandi,
si v.g. priùs jurasti te nunquam ampliùs juraturũ,
nam si postea iterum jures, te, v.g. daturum elee-
mosynam, hoc Juramentum opponitur primo,
non quoad materiam, priùs enim Juramentum
non fuit circa eleemosynam, sed tantùm
quoad actum jurandi. Tum opponitur in materia
jurata, si illam materiam, quam priùs jurasti facere,
postea jures non facere, vel contra, uti quando
jurasti dare eleemosynam, si postea jures non dare :
hoc notato,

§. 2. Si posterius Juramentum opponatur priori 323
tantùm in actu jurandi, posterius obligat, quia est
de materia licita : Si autem opponatur in materia
jurata, non obligat, quia materia illius est per prius
Juramentum reddita illicita, ita *Sanch. c. 9. num. 26.*
Castrop. d. 2. p. 7. §. 6. Tamb. §. 5. n. 7 ; hinc si jurasti
matrimonium Cajæ, & postea etiam jures Titia, hoc
secundum est irritum ; imò licet non jurasses,

sed tantum promisisses Cajæ, *Sanch.* de matr. L. 1. d. 50. n. 2. adhuc dicit Juramentum illi promissioni oppositum fore irritum, quia materia per obligationem promissionis erat reddita illicita, unde si Cajæ tibi postea remitteret primum Juramentum vel promissionem, non obligareris Titiaë, quia quod initio invalidum est, tractu temporis non convalescit, uti habet communis regula Juris. Si tamen tales posteriores contractus impleantur, sunt validi, quamvis sint illiciti, uti habet communis & vera sententia cum *Sanch. Tamb.* n. 9. & aliis, quia per Juramentum non tollitur potestas faciendi actum, qui alias poterat valide fieri. Vide *Dicast.* d. 3. à num. 199.

- 324 Q. 87. *An Juramentum alteri factum obliget, si hoc, quod jurasti, obstat fini perfectiori.* R. Affirmant Authores communiter, quia in promissione semper spectatur, quod gratius est illi, cui fit promissio, cum autem homini sæpe gratius sit minus bonum, Juramentum de minori bono homini factum obligat, si tamen sit acceptatum, secundum dicenda n. 358. & iterum à num. 532.
- 325 Hæ tamen limitationes addi possent: 1. Si matrimonium liberaliter jurasti, non teneris, si velis ingredi Religionem, uti omnes docent cum *Castrop.* d. 2. p. 6. n. 10; si tamen sacros Ordines tantum velles suscipere, non eses liber, uti notat *Tamb.* §. 3. num. 16, quia promissio tua ex dispositione Juris non habet aliam conditionem, quam hanc, nisi Religionem elegero. 2. Si jurasti alia, quam matrimonium, quæ obstat ingressui in Religionem, v. g. si jurasti te famulaturum toto tempore vitæ, *Tamb.* n. 14. putat te non obligari, quia si conditio illa, nisi elegero Religionem, involvatur in Juramento matrimonii inveniendi,

multo

multò magis involvetur in ceteris promissionibus; sed oppositum videtur verius, nam quòd illa conditio involvatur in promissione matrimonii, non est ex Jure naturæ, sed positivo, quod de aliis promissionibus nihil simile disposuit; & ratio potuit esse, quia matrimonium adfert vinculum minùs dissolubile, uti insinuat *Suar. L.2. c.12. n.17.*

3. Si matrimonium jurasti ex Justitia, v. g. quia ³²⁷ deflorasti virginem, obligaris, nec poteris ingredi Religionem, *Tamb. n.15.* aliique communiter, quia Jura id tantum statuunt de liberali promissione.

4. Si juratus liberaliter promissisti alteri famulatum ³²⁸ vel aliud quid simile, putat *Sanchez*, teste *Tamb. n.16.* te liberari, si velis Ordines sacros suscipere, quia tales promissiones non sunt tanti momenti, ut Ordinibus suscipiendis obstare debeant; sed

& hoc difficulter probari potest, cum de hoc nulla adferatur Constitutio Juris; de Jure naturæ autem talis conditio non est imbibita, nec supponitur fuisse inclusa ex intentione jurantis, nisi hic aliter sciat. Dixi in quæstione, *Juramentum alteri factum*, nam Juramentum de opere honesto sed minùs bono in Dei præcisè honorem & non in utilitatem hominis, non inducit obligationem, si oppositum est melius vel si ei opus melius substituat, quia tum habet se uti votum, quod imbibit conditionem, *nisi quid melius occurrat*, ita communis cum *S. Tb. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 2. Ills. T. 5. n. 59.* & pluribus dicitur n. 355.

Q 88. *An Juramentum obliget, quo quis jurat* ³²⁹ *non revelare artem, v. g. curandi podagram. R.* Tum non obligat, si nec tu nec ille, qui te docuit, satis potest providere necessitati & bono communi, aut si ars illa vobiscum emoreretur, ita *S. Thom. Suar. Fag. cum Burgh. Cent. 1. Cas. 75.*

Ratio est, quia est contra charitatem nolle
artem talem revelare aut ad posteros transmittere;
quamdiu autem tu & ille potestis providere
bono communi, teneris celare, usque ad finem
vitæ, si tibi supervivat alter, ne injustè impedias
lucrum illius, qui te docuit, ita *Tambur. §. 5. n. 65.*
Gob. T. II. n. 55.

330 Q. 89. *An qui juravit non revelare secretum,
si à Judice vocetur in testem, possit dicere veritatem.*
R. Affirmant Juristæ, *Glosf. Panorm. Felin. Jaf.*
aliique, quos refert & sequitur *Frid. Hiltropff*
in process. judic. p. 3. T. 18. n. 34. Rationem dant,
quia Juramentum, si obstat mandato Superioris,
item si sit de non præbendo veritati testimonio,
est contra bonos mores, ergo jurans non poterat
velle se obligare ad tum tacendum, quia celans
ejusmodi veritatem peccaret mortaliter, uti *Jura*
& *Authores* docent apud eundem n. 33.

331 Q. 90. *Si quis alteri nescienti promittat & juret
se daturum aliquid, an obligetur.* R. §. I. Si jurasti
servare promissionem, quâ promittis dare aliquid
alteri, Juramentum obligat stante promissione,
hac autem cessante non obligat, nec cadit imme-
diatè in executionem rei, sed in observantiam
promissionis, unde si promissio non insinuetur ei,
cui facta est, aut si prius revocetur, aut
si non acceptetur, aut si acceptata legitimè tollatur,
cesat obligatio Juramenti, neque qui sic juravit
magis tenetur aperire promissionem, quàm
si non jurasset. Neque ideo Juramentum fuit
frustraneum, nam erat ad inducendam obligatio-
nem absolutam, si contingeret promissionem legi-
timè acceptari. Vide dicenda p. 2. à n. 666.

332 §. 2. Si absolutè jurasti te daturum, Jura-
mentum cadit immediatè in executionem rei,

nec est opus acceptatione, sed teneris rem exequi, ne DEUM falsi testem facias; teneris præterea insinuare promissionem & offerre rem; si tamen alter recuset, es liber, quia inerat conditio, *si alter acceptet*: an autem promissoriè an absolute juratum sit, colligendum est ex verbis, vel rescindendum ex intentione jurantis, ita quoad omnia *Suar. L.2. c.1. n.13. & c.12. n.21. Sanch. de Matr. L.1. d.7. n.24. & 25, in Dec. L.3. c.9. n.10. Less. in Auct. v. Juramentum. Cas. 1. & 3. Item de Just. L.2. c.7. n.52. & 53. Item c.42. n.22. Tambur. §.3. n.13. aliique.*

Q. 91. *Si moroso debitori jurasti rem mutuò acceptã reddere, an tenearis.* R. Negant *Tambur. §.5. à n.35. & Gob. n.559.* dicentes te posse retinere in compensationem debiti, etiam ante mutuacionem contracti, si aliter solutionem obtinere non possis, citantque multos Juristas & Theologos; & ratio potest esse, tum quia mutuum ex voluntate mutuantis transit in dominium mutuatarii, qui non tenetur se iterum illo exuere, tum etiam quia mutuanti vicissim remittit Jus exigendi debitum, ergo æquivalenter reddit illud, quod accepit, atque ita implet promissionem. *Mol. Lugo de Just. d.16. n.117. Sporer T.5. c.5 n.79.* distinguunt & putant, si tantum juraris solvere debitum, te posse retinere ob rationem jam datam; si autem simul juraveris non compensare, te retinere non posse: sed videtur absolute dicendum cum aliis, quod tenearis reddere, sicuti teneris solvere pecuniam latroni cum Juramento promissam, quia per Tò reddere vel solvere, intelligebas (ut suppono) non retinere, sed iterum consignare in ejus potestatem ac dispositionem, hoc autem Juramentum est de re licita, ergo reverentia exigit, ut impleatur.

934 Q. 92. Si Reus ad tempus emissus juraverit se rediturum in carcerem, an ad hoc teneatur.

R. §. I. Si carcer est justus, tenetur, quamvis adesset periculum mortis, ita *Suar. Vasq. Sanch. c. 11. n. 25. Castrop. d. 2. p. 4. n. 13. Tamb. §. 5. n. 29. Gob. num. 511.* aliique passim: è contrà si carcer sit injustus, *Vasq. aliique multi apud Dia. P. 9. T. 8. R. 57. P. 11. T. 2. R. 35.* item apud *Castrop. n. 14. & apud Sanch. n. 26. & 27.* negant teneri, unde & *Bonassp. de Just. d. 4. n. 64.* dicit etiam posse fugere, licet jurarit se non fugiturum, tum quia temerarium est se finè causa objicere morti, tum quia status rerum mutatur, quando enim jurabat, non erat præsens occasio fugiendi, quæ postea est; *Suar. Laym. Lesf. Bonac. Gob. n. 513.* aliique dicunt tum teneri non fugere & teneri redire, si jurarit, quia Juramentum est causa gravissima excusans, ne dicatur temerè exponere vitam, exponit enim in reverentiam Juramenti facti: Limitant *Sanch. num. 34. Castrop. n. 16. Tamb. n. 33.* aliique, si quando juravit, non prævidit mortem vel alia gravia pericula, quæ postea prævidet, quando est occasio fugiendi aut non redeundi: imò *Covar. & alii* absolutè docent peccare, si tum non fugiat vel si redeat in talia pericula: poterit tamen Episcopus relaxare hoc Juramentum, si injustè sit postulatum, uti fatentur omnes; imò si justè fuit postulatum, adhuc putant aliqui posse relaxari, sed probabilius negat cum aliis *Castrop. n. 17,* quia ageretur contra Jus Judicis & custodum.

935 §. 2. Si quis, etiam injustè captus ab infidelibus, jurasset se rediturum vel missurum pretium redemptionis, hoc Juramentum à nemine posset relaxari, sed observandum esset, quia neglectus ejus vergeret in detrimentum Fidei

& in despectum Religionis Christianæ, quæ fœd-
fragos reciperet, ita *Cajet. Suar. Sanch.* & alii
apud *Dian. & Castrop.* num. 18.

Q. 93. Ad quid teneatur, qui juravit nunquam v.g. 336
ludere chartis, vel nunquam bibere vinum. R. Ad hæc
postea respondebitur de voto à num. 452. & 459,
est enim ferme eadem ratio de voto & juramento.

Q. 94. Quomodo obligatio Juramenti dicatur esse 337
personalis. R. Obligatio Religionis contracta
per Juramentum est personalis, quantum est
ex parte jurantis, non tamen quantum est
ex parte illius, cui juratur, ita *Dicast.* d. 3. n. 421.
& 427. *Sanch. L. 3. c. 3. §. 7. n. 1. Gob. n. 648.* &
alii passim. Dixi, obligatio Religionis, quia aliunde
ex Justitia vel speciali Statuto potest adesse obliga-
tio ex parte jurantis, quæ etiam ad hæredes
transeat, unde

§. 1. Si Cajus pro se & suis hæredibus juravit 338
quotannis dare Titio centum, hæredes Caji
non tenentur ex vi religionis, hæc enim obligatio
non contrahitur, nisi à jurante; teneri tamen pote-
runt ex alio titulo, v.g. Justitiæ, si Titius promissi-
onem illam acceptarit, quia tum Titius acquirit
Jus, & Cajus tenetur debito, hæres autem repræ-
sentans personam Caji tenetur ad ejusdem debita
realia.

§. 2. Si Cajus Deo juravit dare eleemosynam 339
pauperibus, hæres Caji ad hoc tenebitur ex Justitia,
non quòd pauperibus sit acquisitum Jus, sed vel
quia Deus veluti altera pars contrahens acceptavit
promissionem illam in utilitatem pauperum, uti
vult *Sanch. n. 5*; vel potiùs ex speciali dispositione
Juris tam civilis quàm canonici, uti refert *Castrop.*
num. 2, quod statuit, ut hæreditas non adeatur,
nisi sub conditione exequendi Juramenta

& vota realia defuncti, quæ non sunt per injuriam extorta,

340 §. 3. Si Cajus juravit latroni dare centum, hæres Caji ad nihil tenetur, quia latro injuste cogens Jus nullum acquisivit, ergo fuit sola obligatio Religionis, quæ ad hæredes jurantis non transit, ita *Sanch. & Castrop. supra. Tamb. num. contra Abbatem.*

341 §. 4. Qui Titio acceptanti juravit, tenetur id præstare hæredibus Titii, quia Titius Jus acquisivit & actionem contra jurantem, hæredes autem veniunt in Jura & actiones ejus, curus sunt hæredes, *Sanch. n. 6. Lay. L. 4. T. 3. 6. 10. n. 5. Castrop. n. 3. Tamb. n. 6. Gob. & alii passim.*

342 §. 5. Si jurans in favorem Titii nolisset se obligare Titio, sed soli Deo, hæredes Titii nullum Jus vel actionem haberent contra jurantem, cum Titius ipse non haberet; Similiter hæredes latronis nullum Jus vel actionem habent contra jurantem, quia nec latro haberet; unde videtur probabile, quod qui sic jurasset, non obligaretur hæredibus Titii vel latronis. *Nec refert, quod hæres ex dispositione Juris censeatur esse eadem persona cum eo, cujus est hæres, nam hoc tantum est, ubi Jus ita disponit, seu in ordine ad Jura & actiones, quæ transire debent ad hæredem, hic autem nullum erat Jus vel actio in Titio aut latrone, quæ ad hæredem posset transire.*

343 §. 6. Si Cajus juravit non repetere debitum à Titio, *Azor L. II. c. 8. q. 5.* putat Cajum posse repetere ab hæredibus Titii, sed melius negat *Sanch. n. 4,* tum quia Titius videtur fuisse absolute liberatus à debito, ergo & hæredes; tum etiam, quia obligatio Juramenti transit ad hæredes ejus,

cui

cui juratur, saltem quoad Jura & actiones justas huic competentes.

§. 7. Qui ratione officii Juramento se obstrinxit 344 ad aliquid, si dimittat officium, absolvitur Juramento, quod officio erat annexum, *Sanch. n. 10*; similiter qui alicui personæ juravit obedientiam propter officium vel dignitatem, quam illa habebat, si persona, cui juravit, amittat dignitatem, non amplius illi tenetur, attamen tenetur ejus successor eandem dignitatem habenti. *Nec obstat*, quòd aliquando Juramentum exigatur à successore, *nam hoc est ad majorem solennitatem vel ad renovandam memoriam, Sanch. à n. 7. Laym. Castrop. Gob. supra.*

§. 8. Juramentum ex neutra parte est ita personale, 345 quin possit fieri & acceptari per Procuratorem, *Sanch. à num. 17. Castrop. p. 12. Dicast. n. 438.* aliique passim.

Q. 95. *Si ad me dicas, adjuro te in virtute Dei, 346 per nomen Dei, per salutem tuam &c, an tenear.* R. Vi adjurationis tuæ ad nihil teneor, quia non habes potestatem me obligandi, neque teneor acceptare illam interpositionem divinæ authoritatis, *ita Tamb. c. 8. §. I. n. 3.*

DUBIUM VI.

Quibus casibus excusetur ab impletione, qui in promisorio juramento obligationem contraxit.

Resp. Tales casus præter ea, quæ ex superioribus 347 colliguntur, à *Tolet. & Cajet.* recensentur isti: I. Si quod bonum erat tempore Juramenti, propter circumstantias, postea fiat illicitum, vel vanum, vel impeditivum majoris boni, vel

22 vel melius sit omitti quàm impleri. *Sanch. L. 3. c. 15.*
 23 II. Si Juramentum mutetur in opus aliud apertè
 24 melius, & Deo gratius: id enim quisque per se
 25 potest, ut habet *Tolet. c. 13.* Excipe tamen semper,
 26 si quid in hominis commodum jurâsset; nec enim
 27 Deus illum vult defraudari. III. Si notabiliter
 28 mutetur status rei; ut si v.g. jurâsset aliquem
 29 punire justâ punitione, is autem supplex veniam
 30 peteret & ageret pœnitentiam, posses ei sinè peri-
 31 culo condonare; quia Juramentum obligabat
 32 servato eodem statu, in quo non pœniteret,
 33 *Laym. L. 4. T. 3. c. 9.* IV. Si res jurata facta fit inutilis
 34 ad intentum, maxime si magis illius destructiva,
 35 ut si v.g. ex correctione impœnitentis filii nota-
 36 retur is magis destruendus quàm emendandus;
 37 aut si turbanda familia; secuturæ rixæ cum
 38 uxore; & sic præstet non corrigere, *Regin. Lib. 18.*
 39 *n. 56. Bonac. T. 2. D. 4. Q. 1. P. 14.* V. Si ita ferant
 40 conditiones illæ, quas in quovis promisorio
 41 Juramento tacitè subintelligi natura & Doctores
 42 docent: tales autem sunt, ut *Lay.* dicit *L. 4. T. 3. c. 9.*
 43 1. Si potero. 2. Salvo Jure Superioris. 3. Nisi res
 44 notabiliter mutetur. 4. Nisi obligatio tollatur
 45 De quo sequens Dubium.

A D D E N D A.

348 Q. 96. *Quandonam præterea sit excusatio à Jura-*
mento propter conditiones in Juramento inclusas.
 R. §. 1. Ob primam conditionem, *si potero*, Officialis,
 qui generaliter juraverit se procuraturū commoda
 sui Principis, & impediturum damna, non censetur
 voluisse Juramentum suum extendere ad omnia,
 non enim ita potest; & quamvis posset, non cense-
 tur intellexisse, nisi ea, quæ ad officium suum
 spectant, ita *Less. in Auct. v. Restitutio. Cas. 15.*

§. 2. Ob secundam conditionem, *salvo Jure* 349
Superioris, nullum Juramentū obligat ad aliquid,
 quod est contra Jus commune, Decreta Concilio-
 rum, Pontificum aut Superiorum, quia autoritas
 Superioris semper censetur excepta circa materiam
 illi subjectam, *Lesf. v. Religiosus. Caf. 5. & 15.*
Suar. L. 2. c. 20. n. 2. Castrop. d. 2. p. 8. à n. 2. Tamb. §. 5. n. 3,
 ubi cum aliis docet, non tantum Ecclesiam, sed
 etiam Principes habere potestatem remittendi
 obligationem talium Juramentorum; possuntque
 præterea, ut ostendit *Castrop. p. 13. n. 2,* materiam
 antecedenter reddere ineptam Juramento, aut
 etiam jurantem reddere incapacē Juramenti, quod
 an factum sit, colligendū est ex dispositione Juris.

§. 3. Si Juramentum sit contra Leges civiles 350
 prohibentes vel jubentes & latas pro communi-
 tate, non obligat, ita *Sanch. L. 3. c. 9. n. 29.* & alii
 communiter: imò etiam si latæ essent in bonum
 privatorum tantum, & agere contra eas de se
 nè veniale quidem peccatum esset, tamen adhuc
 probabile est non obligare, quia contravenire illis
 redundaret in damnum publicum, ita *Castrop. n. 6.*
 contra *Sanch. n. 35. & c. 12. n. 44.* Si autem Leges illæ
 sint tantum permittentes, teneris Juramento; hinc
 obligaris Usurario solvere pretium promissum
 pro mutuo, si jurasti te soluturum, id enim Lex
 permittit, ita *Tamb. n. 42. & 44. Dicast. d. 3. n. 216.*
 citans plurimos, dicensque esse certissimum,
 ex quo infert num. 257, etiam teneri te, si jurasti,
 dare pecuniam latroni, licet injustè extorserit
 Juramentum: Quòd si Leges prohibentes, tantum
 ideo prohiberent, quia præsumitur subesse fraus
 & injuria, si hæc absint, Juramenta non censebun-
 tur esse contra Leges prohibentes, sed obligabunt,
 ita *Tamb. num. 48.*

§. 4.

351 §. 4. Si Lex vel Superior solum actum jurand
prohibeat ; materiam autem relinquat aptam
& jurantem capacem ad jurandum , si jure
facit quidem illicitè, attamen validè, hinc obliga
tur, non aliter, ac si quis jurâset se non juraturum
& nihilominus postea juraret, *Sanch. c. 12. num. 3.*
Tamb. num. 4.

352 §. 5. Tertia conditio est , *nisi res notabiliter*
mutetur , tum autem res notabiliter mutatur
inquit *Gob. T. II. n. 503*, quando tanta fit mutatio
quanta sufficeret ad revocandam promissionem
non juratam , quia Juramentum regulatur
secundùm conditiones & qualitates actûs, cui adji
citur, uti dictum est n. 315. & latè probant *Suar. c. 32.*
Sanch. de Matr. L. 1. d. 52 ; excipe, nisi quis apponat
Juramentum , quo velit includi conditiones
alioqui exclusas, aut excludi solitas includi, ita *Les.*
Addunt *Gom. Sanch. Castrop. Ills. T. 5. n. 74*, si finis
deficeret, vel oppositum fieret utilius ad finem,
deficere obligationem , quia videtur includi
hæc conditio, si ejus executio fit utilis, vel omissio
non fit utilior ad finem intentum.

353 §. 6. Ob quartam conditionem, *nisi obligatio*
tollatur, plurima Juramenta cesant, v.g. Parentum
vel Dominorum de puniendis filiis aut servis; item
puerorum de accusando Condiscipulo ; item
Nobilium de non præveniendò in egressu vel
ingresso, nam vel ab initio non obligant, quia sæpe
deest intentio jurandi, estque tantum comminatio;
sæpe etiam sunt de re inutili , atque etiam inde
facile excusantur, tum quia frequenter fiunt ex ira
vel passione, animoque vindictæ, & ut sic sunt
de re venialiter saltem mala, tum ob alias causas,
quas hic refert *Busenbaum*, ita post alios *Gob. n. 52.*

De cetero si v. g. punitio vel accusatio jurata cederet in Dei obsequium vel commodum tertii, nec similis causa excusaret, omnino obligarent talia Juramenta.

DUBIUM VII.

Quomodo obligatio Juramenti tollatur per irritationem, dispensationem, commutationem & remissionem.

Resp. De hoc ex conditionibus *Dub. VI. in fine* ^{cc 354} positis & potestate Superiorum in suos ac suorum vota, *Leyn. L. 4. T. 3. c. 11. & alii* ^{cc} communiter hæc tradunt.

I. Quod spectat ad irritationem. Irritare & annullare potest Juramentum omnis is Superior, Maritus, aut Dominus, qui & quomodo irritare potest suorum vota. *Sanch. L. 3. c. 19. num. 7. Suar. Azor, Fill. L. 25. c. 9. q. 9. Vid. Caput seq.*

II. Posiunt & iidem irritare Juramenta promissoria facta in gratiam hominis, quotiescunque ipsam promissionem seu contractum infirmare iis concessum est.

III. Quoad dispensationem; quicumque habet potestatem ordinariam vel delegatam, vel privilegium disponendi in votis, potest in iisdem dispensare, etiamsi jurata sint.

IV. Quoad commutationem; eadem est ratio, quæ de dispensatione.

V. Quod attinet ad remissionem, sive relaxationem; Juramentum factum in favorem hominis non potest relaxari, nisi ab eo, cui factum est, aut cui is & promissa materia subjecta est.

VI.

- » VI. Et is quidem potest remittere, et si talis favor
 » ei juratus esset propter DEUM ; v. g. si quis
 » propter Deum jurasset pauperulæ eam ducere,
 » potest ipsa Juramentum illud relaxare, ut habet
 » *Navar. & alii contra Sotum & Sylv.*, quia
 » licet Juramentum principaliter factum sit
 » propter Deum, quia tamen executio est in favore
 » hominis, ab hominis etiam voluntate dependet.
 » VII. An etiam civilis potestas relaxare possit
 » Juramenta suorum subditorum in tempora-
 » libus, quando justa causa subest, v. g. quia metu
 » vel per aliam injuriam extorta sunt, contro-
 » vertitur : Alii negant, alii ajunt, apud *Laym.*
 » Probabile est, quod docet *Sanch. L. 3. c. 12.*
 » cum *Suar.* non posse relaxare directè, sicut
 » potestas Ecclesiastica, quando dispensat, sed
 » tantum indirectè, v. g. ratione materiæ ; vel
 » supplendo vicem ejus, cui juratum est, & qui
 » remittere debebat. Plura ad forum externum
 » spectantia circa Juramentum vid. apud *Laym.*
 » *suprà Cap. 11. Bonac. d. 4. q. 1. p. 17.*

A D D E N D A.

- 355 Q. 97. Quid circa illas deobligationes Juramenti
 sit præterea advertendum. R. Seqq. §. 1. Docent AA.
 gravissimi cum *Moya T. 2. d. 1. q. 3. Illung T. 5. n. 70.*
Sanch. de Matr. L. 8. d. 2. n. 18. Castrop. P. 11. ante n. 1.
Tamb. c. 7. §. 3. n. 11. Gob. n. 508. Belleg. p. 3. Sect. 12. q. 1.
 Juramenta quibus nullum Jus homini acquiritur,
 habere rationem voti, ideóque posse, sicuti vota,
 dispensari vel commutari. Vide dicenda num. 555.
 356 §. 2. Juramenta, quibus vendentes jurant
 non vendere minori, vel ementes non emere
 majori pretio, secundum *Tamb. L. 3. c. 3. §. 5. num. 49.*
 non obligant, quia sunt de re prorsus indifferenti,
 non in honorem Dei vel utilitatem Proximi.

sed propriam tantum : inde infert, licet obligarent, hanc obligationem posse quemque sibi remittere, nam §.2. n.5. docuerat cum *Tancr* : si quis in suum commodum aliquid jurasset, v. g. ire Romam ad accipiendam sibi pecuniam, posse sibi ipsi remittere hoc Juramentum; sed quoad hoc postremum merito contradicunt *Abbas, Suar. c.12. n.24. Illf. n.74*, nam ideo potest remittere alius, in cujus favorem est juratum, quia Juramentum includit conditionem, si alter voluerit, hoc autem non est, si quis in utilitatem suam juraverit, quia diceret, *Testor Deum me hoc facturum, si facere voluero*, quod esset nugatorium, & contra finem Juramenti, quo quis vult stabilire voluntatem suam, ut non liceat pro libitu velle oppositum.

§.3. Docent aliqui, licet votum v. g. Castitatis sit reservatum, non ideo reservatum esse Juramentum de castitate servanda, sed de hac sententia postea feremus judicium num. 555.

§.4. Licet Juramentum sit factum principaliter propter Dei cultum & honorem, si tamen cedat in utilitatem hominis, à quo fit acceptatum, non potest dispensari vel commutari sine hujus consensu, uti præter *Busenb. tenent Tab. Arm. Sayr. Lop. Viryald. Suar. Sanch. Less. Escob. Malder. Dian. Mendo*, quoscitant & sequuntur *Lug. de Just. d. 23. n.94. & Moya q. 2. n. 3. q. 5. n.6*; & postea in simili dicetur de voto à n.532, quæ intellige, si illi tertio per suam acceptationem sit Jus aliquod acquisitum, uti ibi explicabitur : Si tamen talis jurans fuisset impubes, posset ejus Juramentum irritari, uti rectè *Less. L.2. de Just. c.17. n.51*, & colligetur ex dicendis num.488. E. contrà, si homo ille remittat, desinet obligatio, etiam si esset ad causam piam, uti etiam docent præter *Busenb. Sanch. de Matrim. L.1. D.52.*

& hic L. 3. c. 20. n. 7. Tamb. c. 7. §. 2. quod Gobat n. 508 dicit esse practicè tutum : *Nec obstat*, quod opponit *Suar.* L. 2. c. 39. num. 8, nempe hominem non potest cedere Juri, quod acquisivit Deus, ergo tantum poterit reddere pecuniam, postquam ex vi Juramenti acceptaverit, *nam contra est*, quod Jus Dei habeat essentiali dependentiam à voluntate hominis, cui juratum est, non enim volebat se obligare Deo, si homo recusaret vel remitteret, ergo si homo remittat, desinit Jus Dei. Vide p. 2. n. 74.

359 §. 5. Si Juramentum interponatur de non petendo dispensatione vel relaxatione Juramenti, communis est sententia, quod tale Juramentum sit invalidum, quia quando est causa petendi (peti autem non potest sine causa) utilius est melius est peti quam non peti; hinc illud ultimum Juramentum tantum erit confirmatio prioris, *ita Covar. Az. Dian. P. II. T. 2. R. 35. Sanch. hic L. 4. c. 8. n. 1. contradicunt tamen etiam probabiliter Suar. de voto L. 2. c. II. n. 6. Et Castrop. T. 15. D. I. P. 8. §. 5. n. 4.*

C A P U T III.

De voto.

D U B I U M I.

Quid sit votum & quotuplex.

360 **R** *Est.* 1. Est promissio facta Deo, deliberata de bono possibili, & meliore. *D. Th. 2. 2. q. 58. v. Sanch. & Laym. L. 4. T. 4.* Unde patet quod Votum sit actus latræ soli Deo debitus

Qua

Quare dum vovemus quiddam Sanctis, sensus est, ^{cc} voveri ea Deo in honorem simul Sanctorum, ^{cc} sicut templa & altaria ædificam⁹ Deo in eorundē ^{cc} honorem. Porro ex singulis particulis datæ defi- ^{cc} nitionis, multi casus resolvuntur, quos, ut vitetur ^{cc} confusio, & consulatur memoriæ, separatis dubiis ^{cc} proponam.

*Resp. 2. Dividitur Votum, I. In Absolutum, & ^{cc} Conditionatum. Illud est, quod fit finē ulla condi- ^{cc} tione, ut, voveo eleemosynam: hoc autem, quod fit ^{cc} cum conditione, ita ut nisi hac positâ non exurgat ^{cc} obligatio, ut, voveo eleemosynam, si sanitati resti- ^{cc} tuar; vel (quod dicitur pœnale) voveo facere ^{cc} disciplinam, si hoc fecero. II. In Solenne, & simplex: ^{cc} Illud est, quod ut tale acceptatur ab Ecclesia, & ^{cc} sunt hæc duo; votum castitatis, quod majore ^{cc} ribus Ordinibus annexum est; & votum profes- ^{cc} sionis religiosæ. Simplex autem votum est ^{cc} omne aliud, quod talem solennitatem non habet. ^{cc} Ubi sciendum, quod votum solenne reddat ^{cc} personam Jure inhabilem ad contractus vel actus ^{cc} contra votum, ut ad matrimonium vel domi- ^{cc} nium bonorum habendum, prout *vid. infra* L. 4. ^{cc} c. 1. in *Tract. de statu Relig.* Simplex autem ^{cc} tale votum, v.g. castitatis, (excipio, quod in Socie- ^{cc} tate J E S U emittitur post Novitiatum) aut ^{cc} ingrediendæ Religionis, etsi reddat contractum, ^{cc} v.g. Matrimonii illicitum, non tamen invalidum. ^{cc} *Vid. infra* L. VI. de *Matrimon.* III. In Reale & ^{cc} Personale: Illud est, cum pecunia, vel alia res ^{cc} externa pretio æstimabilis promittitur; ut calix, ^{cc} eleemosyna: hoc autem, cum aliqua hominis ^{cc} actio, vel cessatio ab actione, ut votum Jejunii, ^{cc} peregrinationis, abstinentiæ à lusu. His aliqui ^{cc}*

» adjungunt *Mixtum* ex utroque; ut si voveas peregrinationem cum oblatione alicujus rei, v. *Lesf.*
 » *Lib. 2. Cap. 40. Dub. 6.*

A D D E N D A.

361 Q 98. *An propositum firmum sit votum, vel inducat aliquam obligationem.* R. Non est votum, quia in proposito deest promissio & animus se ex vitalis actus obligandi: major difficultas est, an per tale propositum inducatur saltem sub veniali obligatio, de quo tres sunt sententiæ, *prima* absolute affirmat, quia sic proponens videtur se saltem obligare ex virtute constantiæ & fidelitatis; ita aliqui apud *Sanch.* hic L. 4. c. 1. n. 21. *Secunda* absolute negat, quia propositum non est Lex, neque fit ex voluntate se obligandi, constantia autem & fidelitas tum tantum obligant, quando bonum propositum aliunde est obligatorium, ita *Sanch.* supra. *Tamb.* L. 3. c. 11. n. 2. aliique communiter. *Tertia* sic distinguit, si cum causa mutetur, non peccas, quia prudentis est, ubi est causa, etiam immutare mentem; si autem mutetur sine causa, peccas venialiter, quia inordinatum est & contra rectam rationem ita leviter recedere ab inspiratione divina vel ab inchoato bono, deinde saltem est actus otiosus, ita *Suar.* de Relig. T. 2. T. 6. L. 1. c. 2. n. 7. *Castrop.* T. 17. D. 1. P. 2. n. 3. *Lugo* d. 23. n. 1.

362 Q. 99. *Per quid propositum distinguatur à promissione.* R. Per hoc, quod propositum contineat solam intentionem faciendi opus, promissio autem superaddat voluntatem obligandi se alteri, ita *Castrop.* supra: addit *Lugo* in *Resp. Mor.* L. 6. d. 8. n. 6, quod promissio obliget, non ex sola veracitate, quæ jubet verba conformari cum mente, sed etiam ex fidelitate, quæ postulat facta conformari cum verbis; è contrà propositum non inducit oblig-

obligationem ex fidelitate, nam proponens tantum sic dicit: *Jam est in me voluntas orandi Deum cras,* & hunc sola veracitas obligat, ut verba conformet menti, id est, ut jam voluntatem habeat **DEUM** cras orandi; quod si postea voluntas mutetur, facta non conformabuntur cum verbis, neque ipse vi propositi præcisè ad hoc tenebatur, ex quo sequitur, si quis in gravi morbo constitutus dicat: *Quando DEUS mihi restituerit sanitatem,* ego vivam caste, talis non vovet, sed tantum proponit: Item, si Pœnitens Confessario nolenti absolvere sic dicat, *absolve, promitto tibi sedenti hîc loco Dei,* quod hoc peccatum nolim amplius committere, talis pœnitens non videtur vovere, quia ordinariè tantum est animus manifestandi serium propositum illi, à quo Dei vices gerente petitur absolutio. Vide dicenda p. 2. n. 764.

DUBIUM II.

Quæ requiratur voti deliberatio & intentio.

Resp. Cùm voti obligatio sit gravissima, ^{cc 363} requiritur intentio, deliberatio, & libertas ^{cc} perfecta, quâ quis liberè & directè in se ^{cc} voluerit promittere, cum animo se obligandi. ^{cc} Ita Doctores communiter. Lesf. Bonac. d. 4. q. 2. p. 1. ^{cc} Unde resolves,

I. Ætas & usus rationis ad vovendum ea suffi- ^{cc} cit, quæ satis est ad peccatum mortale, perfecto ^{cc} actu humano, & directo in se volitum. Excipe ^{cc} tamen votum solenne Religionis, quod inva- ^{cc} lidum est ante certam ætatem.

II. Non obligat votum factum cum semi- ^{cc} plena animadversione vel deliberatione, v. g. ^{cc} ex repentino animi motu vel consuetudine, ^{cc}

» linguâ mentem præveniente , vel ex calore
 » iracundiæ rationis usum auferente. *Azor, Sanch.*
 » *Trull. Lib. 2. Cap. 2. D. 1. n. 3.* Ubi notat, non esse
 » sufficiens indicium, quod defuerit perfecta ratio
 » vel deliberatio , si voventem facto voto me
 » pœniteat : item motum iræ rarò & vix unquam
 » impedire usum rationis.

» III. Quod si is, qui scit se vovisse, dubitet
 » an cum sufficienti deliberatione & usu rationis
 » ob defectum ætatis, si quidem vovit ante septennium,
 » votum non obligat, nisi constet de sufficienti
 » rationis usu ; quia Jus in tali non præsumitur
 » & possessio stat pro libertate. Si verò post septennium
 » vovit, obligat ; quia possessio est pro voto
 » cum præsumatur usus rationis, nisi constet oppositum.
 » Si denique dubitet , utrum ante septennium
 » post septennium voverit, teneri voto vult *Sanch.*
 » & *Palaut* : negat *Diana*.

» IV. Vota facta in ebrietate , etiam antea
 » prævisa, & sic volita in causa, non sunt valida
 » cum non sint volita in seipsis & directe in
 » bonum autem non consurgat nisi ex integre
 » causa : quamvis ad peccatum factis sit voluntas
 » rium indirectè & in causa. *Laym. L. 4. T. 4. c. 1. n. 1.*

» V. Vota facta in metu, non incusso ad hoc ipsius
 » ut votum extorqueretur, valida sunt ; quia facta
 » simpliciter voluntaria & deliberata : facta autem
 » in metu iniuste incusso ad ipsum votum extor
 » quendum, invalida sunt ; *ex communi* ; non quia
 » non sint voluntaria, sed quia vel Jus ea irritum
 » vel DEUS non acceptat, ne det vim injuriam
 » coactioni ; idque, sive metus sit gravis, sive levis
 » dummodo quis formaliter ex solo tali metu
 » voveat. *Suar. de Voto Lib. 1. Cap. 8. Sanch. Fill. T. 1.*
 » *Cap. 1.*

VI. Quoad vota emissa ex errore, si error fuerit circa substantiam materiæ promissæ, vel circa conditionem substantialem, vel circa finem siue rationem formalem ac motivum vovendi, votum nullum est: ut v. g. 1. *Circa substantiam*; si quis voveret certum aliquem suum calicem, quem putat argenteum, cum sit aureus, vel se ingressurum certum Monasterium, putans esse Ordinis S. Benedicti, cum sit Carthusianorum. 2. *Circa conditionem substantialem*; si quis, v. g. voveret se ingressurum Monasterium, ubi putaret religiosam disciplinam & essentialia Religionis servari accuratè, & tamen non ita esset; vel si voveret peregrinationem ad limina Apostolorum, putans tantum distare centum milliaribus, cum tamen distarent trecentis. 3. *Circa causam finalem*, si quis v. g. voveret aliquid in gratiarum actionem pro sanitate Parenti reddita, & is re ipsa non fuisset ægrotus, vel esset mortuus. Et ratio nullitatis talium votorum est, quia hic deficit liber consensus, qui non fertur in incognitum; & nihil est tam contrarium consensui, quam error. *Fill. T. 26. c. 1.*

VII. Vota, quæ eduntur post Novitiatum in quocunque approbato Ordine, instar matrimonii carnalis, non sunt irrita ob ullum errorem, nisi solum substantialem circa substantiam.

VIII. Si error circa conditionem substantialem sit de re parvi momenti, non redditur votum irritum; ut si iter peregrinationis, quam quis vovit, sit paulò longius quam putabatur, quia parum reputatur pro nihilo. Item si error sit tantum circa causam impulsivam, valet votum, quia illa est tantum causa secundaria, quâ sepositâ actus est sufficienter voluntarius

» secundum substantiam. Neque talis error in ceteris
 » contractibus actum vitiat: v. g. vovit aliquis
 » peregrinationem Romam, studio colendi Deum,
 » & simul etiam habuit causam secundariam
 » impulsivam, ut inviseret fratrem, quem putavit
 » esse Romæ; quem etsi intelligat deinde istum
 » non esse, non ideo desinit obligari voto. Ex
 » ex his patet, quomodo intelligendum sit, quomodo
 » dici solet, vota non obligare ultra intentionem
 » voventis. *Sanch. Lib. 4. Cap. 2. Less. Lib. 2. Cap. 40. d. 2.*
 » IX. Ad votum non sufficit nudum propositum
 » licet firmissimum, quia qui tantum proposuit
 » non tenetur sub peccato præstare; qui autem
 » promisit, obligatur sub peccato, & nisi præstet,
 » agit contra fidem Deo datam. *Bonac. Tom. 1.*
 » *d. 4. q. 2. p. 1. Laym. l. c.*
 » X. Ad votum aliquando sufficit promissio
 » implicita, ut patet in susceptione Ordinum
 » sacrorum: ubi licet non dicatur, *voveo*, vel
 » *promitto castitatem*, votum tamen hoc fit impli-
 » citè, hoc ipso, quod sciens Ecclesiam annexis
 » iis Ordinibus istud votum, eos suscipis. An verò
 » si quis planè id ignoraret, adhuc censeretur
 » vovere ex implicita intentione, dubium est.
 » Aliqui ajunt, aliqui probabilius negant,
 » dicuntque talem teneri ad castitatem, non
 » ex voto, sed ex Ecclesiæ Præcepto. *Sanch. de Matr.*
 » *L. 2. d. 27. num. 11. Bonac. q. 2. p. 1. & communiter.*
 » XI. Si quis haberet intentionem promit-
 » tendi quidem, sed tamen se non obligandi,
 » nullum esset votum, secundum *Navar. Sylv.*
 » *Sanch. n. 27. Less. Dub. 1. n. 6. Bon. & alios contra Cap.*
 » quia talis non vult vovere, cum opponat
 » conditionem contra substantiam actus. Unde
 » *Lugo d. 23. de Just. Sect. 1. & alii contendunt*
 » talem

talem non posse dici promittere. Verùm videtur esse quæstio de nomine. Si verò haberet animum vovendi, & se obligandi, non tamen implendi, tunc etiam graviter peccaret, & votum esset validum. *Sanch. Fill. Bonac. p. 1. n. 14. Laym. & alii.*

A D D E N D A.

Q. 100. *An voveat, qui sic dicit, ô Domine! 364*
redde mihi sanitatem, & vivam castè. R. Pendet ab intentione dicentis, quæ consulenda est: Quantum autem verba sonant, videtur esse votum, ita *Cajet. Nav. Sanch. L. 4. c. 1. n. 35. Gob. T. II. à n. 14.* ratio est, quia ad votum non requiritur, ut dicat expressè, promitto, voveo, me obligo &c, sed satis est, quòd hoc dicat implicite vel æquivalenter, jam verò hæ locutiones conditionatæ, *faciam hoc, si des illud*, cui videtur æquivalere locutio istius hominis, quando fiunt alteri, & junguntur cum intentione impetrandi ab eo hoc, quod petitur, induunt rationem pacti, adeoque inducunt obligationem reciprocam volentis impetrare, uti si quis dicat, *si me docueris artem, dabo centum aureos*, patetque hoc ex Jure, in quo hæ locutiones, *do ut facias, facio ut des*, &c, sunt contractus innominati, ergo in dubio, an utens illis verbis habuerit intentionem se obligandi, præsumendū est habuisse, quia dixit verba, quæ de se pactum significant.

Q. 101. *An ad obligationem contrahendam requi- 365*
ratur, ut vovens sciat, quid sit vovere. R. Requiritur rectè tamen notat *Tamb. L. 3. c. 12. §. 1. n. 5*, si scias naturam voti esse, quòd adducat obligationem, vel si hoc nescias, si tamen scias, quid sit vovere, & voveas juxta modum ordinarium, quo alii vovent, te obligari, quia implicite habes intentionem te obligandi, hoc ipso quòd habeas intentionem vovendi,

neque ad valorem voti requiritur plus, quam virtualis intentio. Ex his resolvuntur sequentes casus,

366 Berta novem annos nata, ut artem, quam discerebat, posset perfectè capere, vovit omni Sabbatho audire Missam, tamen nihil cogitavit de Deo vel Sanctis, quibus promitteret, nec scivit distinctionem inter proponere & vovere, & quantum meminuit, non cogitavit de obligatione sub peccato meminit tamen, quòd primo Sabbatho voluerit Missam audire, putans se peccaturam etiam graviter, si non audiret; rogata, cur, dicit, ita mihi inciderebat: *Quæritur*, an Berta censenda sit vovisse & teneri voto. Pro parte negativa est, quòd non videatur scivisse, quid esset vovere, nec agnovisse obligationem voti: Pro affirmativa est, quòd primo Sabbatho putarit se peccare graviter, si non audiret Missam, ergo agnovit obligationem non aliunde ortam quàm ex suo voto, ergo præsumitur, cum voveret, apprehendisse saltem implicitè obligationem; deinde cum per auditionem Missæ vellet obtinere perfectam cognitionem artis, utique à Deo seu per gratiam Dei, ergo saltem obscure id promisit Deo. & Omnibus consideratis videtur hoc votum esse saltem dubium, & consequenter non obligare, secundùm dicenda n. 382 nam licet apprehenderit se peccaturam, id frequenter evenit rudibus, etiam si fecerint nudum propositum ad honorem Dei, & tunc jubemus eos deponere conscientiam erroneam, ac judicare, se non obligari sub peccato.

367 Titius absoluto anno probationis accedit ad altare vota professurus coram Prælato, quæ etiam ex Scripto recitavit, sed ita turbatus, ut nullam formalem deliberationem vel advertentiã habuerit.

imò putat se voluntariè distractum fuisse: *quæritur*,
 an ea vota sint valida. R. Affirmativè cum *Tambur.*
Gob. n. 173. Illsung T. 5. n. 87, quia adfuit deliberatio
 virtualis, nam ex formali deliberatione præterita
 secuta est externa emissio professionis, tanquam
 effectus deliberationis formalis, quo actu externo
 posito priùs resultat obligatio voti, fundata
 in priori voluntate virtualiter manente, quæ
 si virtualiter non maneret, v. g. si talis profitens,
 quando profiteretur, esset inops mentis, professio
 esset invalida, nec oriretur obligatio, nisi fortè,
 inquit *Suarez*, quando fuisti compos mentis,
 prævidisses te eo tempore fore impotem, & tamen
 voluisses obligari positâ prolatione verborum
 veluti conditione, licèt poneretur cum impotentia
 mentis, probabile enim videtur te tum obligandû:
 unde resolvitur hic casus,

Cajus sciens se solere in ebrietate multa vovere, ^{368.}
 nihilominus se inebriat: *Quæritur*, an teneatur
 ad talia vota. R. Si ante ebrietatem consensit
 in eam obligationem, posito quòd in ebrietate
 promitteret, tenetur; si autem non consensit,
 non tenetur, quia tum nequidem adest
 virtualis intentio seu voluntas vovendi, ita
 cum aliis *Gobat supra, Illsung num. 86. Si dicas*,
 prævidens se in ebrietate occisurum est homicida,
 si se inebriet & in ebrietate occidat, quamvis antè
 non consenserit in illud homicidium. R. Dispari-
 tatem esse, quòd bonum, quale est votum, fit
 ex integra causa, malum autem, quale est homi-
 cidium, fit ex quolibet defectu, hinc qui vult
 actum malum, quem per se comitatur alius actus
 malus, vult utrumque; qui autem vult promissi-
 onem verbalem tantùm, non ideo vult votum,
 quia

quia non ideo vult obligationem, neque per hoc
habet intentionem votendi.

369 Q. 102. *Quomodo peccet, qui vovet fictè
absque deliberatione.* R. §. 1. Qui fictè vove
in professione Religionis vel susceptione maio
rum Ordinum, peccat graviter, quia in re gravi
illudit Religioni vel Ecclesiæ, nisi fortè gravis metu
causam det æquivocandi: extra hos casus, verba
liter tantùm vovere aut vovere finè animo se obli
gandi, est peccatum, quia est inordinatum, quò
verba non convenient menti; est tamen veniale
tantùm, quia non irrogatur gravis injuria Deo
coram quo nulla datur fictio vel deceptio.
vovere autem finè animo exequendi, est grave
vel leve, prout materia est gravis vel levis.

370 §. 2. Si materia sit levis, *Valent. & Sanch.* putant
nullum fore peccatum vovere finè deliberatione,
eò quòd ad rem parvam non requiratur matura
deliberatio, *Castrop. T. 15. D. 1. P. 4. n. 5.* meliùs dicit
esse peccatum, quia cum votum inducat obligatio
nem Religionis, inordinatum est & indecens
finè prudentia & discretionem velle illam subire;
est tamen semper veniale tantùm, licèt materia
sit gravis, quia nihil abest nisi prudentia, ex cujus
defectu non est mortale. *Si dicas cum Suar:* expo
nit se periculo peccandi mortaliter, id est, vovendi
graviter illicita: R. Qui semiplenè apprehendit
votum, etiam semiplenè apprehendit periculum
vovendi graviter illicita, qui autem ex semi-plena
advertentia se exponit periculo peccandi, non pec
cat mortaliter, ergo. Deinde ubi tantùm est semi
plena libertas, re ipsa non vovetur, uti dicitur
num. 380, ergo nec est periculum vovendi illicita.
Videri potest *Illsung Tract. 5. num. 77.*

Q. 103.

Q. 103. Quid præterea notandum sit circa errorē 371
in fine voti. R. Seqq. §. 1. Finis voti est triplex,

1. communis omnibus votis, est divinus cultus & honor, qui si deficiat, votum est irritum. 2. Specialis, qui est intrinsecus materiæ promissæ, & si hic deficiat, mutatur objectum promissum, & consequenter cessat promissio. 3. Est extrinsecus, qui per votum intenditur obtineri, ideoque si per votum obtineri non possit, votum cessat.

§. 2. Si essent duo extrinseci fines voti, 372
 quorum unus obtineri posset, alter non posset, si ita vovisti divisibiliter, ut etiam deficiente alterutro vovisses, teneris voto; si neuter fuit seorsim sufficiens ad te movendum, quolibet deficiente non obligat votum; occasio autem voti vel causa impulsiva dicitur, quod te ad celerius & libentius vovendum excitavit.

§. 3. Si misericordiâ motus erga alium, quem 373
 videbas in lacero habitu, vovisti ei dare eleemosynam, si pauper non est, non teneris, quia finis intrinsecus eleemosynæ est sublevatio alienæ miseriæ, quæ hic non erat.

§. 4. Titius vovit Cajo pauperi dare eleemo- 374
 synam, & Cajus paulò post ditescit per inventum thesaurum, Sempronius putans Cajum adhuc esse pauperem etiam vovet Cajo dare eleemosynam: postea iterum subito depauperatur Cajus: In hoc casu Titius tenetur voto, quia tempore voti causa finalis subsistebat, quamvis autem per tempus cessarit, postea reviviscit, ergo & redit voti obligatio: Sempronius non tenetur, quia tempore voti causa finalis non subsistebat, nec fiebat votum pro sequenti tempore.

§. 5. Adolescens ob periculum seductionis vovet 375
 per integrum annum non ingredi domum A,
 quia

quia putavit in ea esse procacem puellam, sed error fuit, nam puella talis prius eò veni post mensem, hic Adolescens tenetur votum ad vitandam domum illam, quia executio votum complectebatur successionem temporis per integrum annum, ergo obligat pro ea parte, pro qua verificatur causa finalis ipsius, quæ est præsentis procacis puellæ in ea domo. *Confirmatur*: Qui voverat per totum annum emanere, ita ut velle emanere nunc ob causam nunc præsentem ob futuram autem causam vellet emanere sequenti tempore, ergo cum sequenti tempore causa subsistat, etiam subsistit votum. Vide dicendum à num. 406.

376 §. 6. Sponsa putat se teneri Sponso revelando tactus illicitos cum alio habitos, quia autem ipsa valde pudet, vover Religiosum Statum ingredere ne id revelare cogatur: *Dico* votum esse nullum quia est error circa finem & motivum: Si tamen ex devotione & affectu vovisset Religionem, erronea illa persuasio obligationis hoc tantum effecisset, ut citius & libentius voveret, votum valere.

377 Q. 104. *Qualis debeat esse circumstantia cujus ignorantia vel error possit invalidare votum*
 R. §. I. Debet esse magni momenti; quando autem & qualis illa fit, iudicio prudentum relinquuntur. *Mol. & Gob. T. 9. n. 55.* dant hanc regulam, si ignorantia sit talis circumstantia, quæ homines similis conditionis solet à vovendo retrahere, censendum est hunc voventem non teneri voto, quia censendum est non voluisse se aliter obligare, quàm soleant alii suæ ætatis, sexûs, conditionis; si verò non potest constare, quid homines similes in tali casu soleant facere, tunc quoties vovens potest ex aliquo suo actu aut ex fine voti verosimiliter conjicere

dum promisit, ita fuisse actu constitutum, ut promissurus non fuisset, si circumstantiæ illæ cognitæ fuissent, liberandus est obligatione: hinc

§. 2. Cajus lustrans Carthusiam recreatur ³⁷⁸
 silentio & modestiâ Religiosorum, ideóque vovet ingredi, putat tamen illos, sicut alios, vesci carnibus: *Dico*, non obligari voto, quia est error circa circumstantiam magni momenti. Similiter Titius vovet huic pauperi dare eleemosynam, quem postea rescit esse improbum, hinc vellet non dare: *Dico*, teneri dare, quia circumstantia improbitatis ab eo ignorata censeri debet parvi momenti, cum improbo æquè ac probò fieri possit eleemosyna. *Nec obstat*, quòd non vovisset, si scivisset esse improbum, nam nihilominus vovit nesciens esse improbum; imò quamvis dixisset, *non voverem, si scirem esse improbum*, tamen si absolute vovit, tenetur; è contrà si dixisset: *Voveo, si sit probus, non voveo, si sit improbus*, non teneretur, quia votum ipsum fuisset conditionatum, nec substitisset non subsistente conditione. *Illf. T. 5. 37, n. 84. §. 3. Cajet. Sot. Vasq. Sanch. Baldell. & Ovid. 1. 2. Controv. 3. p. 7. n. 93.* docent votum non esse irritum, quamvis circumstantia etiam magni momenti fuerit ignorata, si rei promissæ erat intrinseca, quia habuit animum vovendi omne id, quod rei promissæ erat intrinsecum; hinc *inferunt* voventem omni die Veneris jejunare, etiam teneri, si Natalis Domini in diem Veneris incidat, uti dicitur iterum num. 438.

Q. 105. *An plena libertas requiratur ad omne votum.* ³⁸⁰

R. Affirmativè, qualis nempe requiritur ad peccandum mortaliter; & hoc insinuat *Glosa* in Cap. *Mulier*, 32. q. 2. dicens, quòd libertas sufficiens, ut diabolo devincti simus, sufficiat etiam,
 ut

ut Deo obstringamur ; atque ita etiam docent
omnes communiter cum *Az. Suar. Sanch. Lej.*
Castrop. Trull. Tamb. Busenb. Ills. num. 77. Ratio est
quia hinc obligatio gravis vel levis desumitur
à gravitate vel levitate materiæ secundum inten-
tionem voventis, ergo necesse fuit ad omne votum
requiri plenam libertatem, alioquin aliquis posset
ex semi-plena libertate sibi imponere obligatio-
nem gravem, quod foret nimis onerosum : atque
idem est de Juramento, uti iidem Authores notant.
Vide dicenda num. 429.

381 Q. 106. *Quid dicendum sit in variis dubiis
circa vota.* R. Prius statuendæ sunt aliquæ regulae
quæ etiam applicari possunt in materia juramenti,
& communiter receptæ sunt apud Authores : 1.
In dubio melior est conditio possidentis : Et valet
non tantum in materia Justitiæ, sed etiam alia-
rum virtutum, uti ostensum est Lib. I. à num. 49.
hinc si libertas possideat contra votum, votum
non ligat; e contra si votum possideret contra liber-
tatem, foret obligatio. 2. *Obligationes gratuita
sunt potius restringenda, quam amplianda :* Laym.
L. 4. T. 5. c. 6. n. 14. *Suar. L. 4. c. 5. n. 13, quia præsumitur
actus ita confectus, ut sit minus, quam fieri potest,
onerosus, Menoch. L. 6. Præsumpt. 9 :* Et nempe
*præsumitur sibi velle onus & obligationem imponere
nisi manifestè constet, Suar. Bonac. Castrop. T. 3. D.
P. 2. N. 13.* 3. *Dubitans an plus an minus, tenetur
tantum ad minus, Sanch. Bonac. aliique cum Ovied.
I. 2. T. 5. Controv. 4. n. 64. Gob. T. II. n. 89. 393. quia
in obscuris, quod minus est, sequimur, ff. de reg. Juris
& libertas possidet contra majus.* 4. Si non ita dicitur
postquam statuisti aliquid facere, dubites, an vove-
ris nec ne, judicabis te non vovisse, quia non tam
facile & citò obliviscimur magnæ promissionis
quali

qualis est votum, *Sanch. Gob. n. 387. 5.* Si verba, quæ usurpâsti, ex se non significant votum, promissionem vel pactum, in dubio præsumete non vovisse, quia *facti quæ sunt, non præsumuntur, Menoch. Præsumpt. 14. Sanch. Gob. 6.* Si verba, quæ usurpâsti, ex se significant votum, promissionem aut pactum, in dubio præsumete vovisse, *Sanch. Gob. Ovied. n. 67.* Ratio est, quia verba sunt de se sufficientia signa animi, & *nemo censetur dicere id, quod non habet in mente. L. Labeo ff. de suppell. legata. 7.* Præsumptio habetur pro veritate, quamdiu non eliditur aliâ majore vel equali, *Peckius & Gob. n. 384,* definitur enim præsumptio ab *Alciato & Simanka* apud *Menoch. L. 1. q. 4. probabilis conjectura ex certo signo proveniens, quæ alio non adducto pro veritate habetur: quod si rescitur veritas, præsumptio cedit veritati,* argumento *L. Continuus 137. ff. de verb. obl. Et L. ult. ff. Quod metûs causâ: Tuschus v. Præsumptio Conclus. 112.* Ex his solvi possunt pleraque dubia circa vota, uti jam patebit.

§. 1. In dubio, an voveris, esse obligationem 382 implendi, docent *Ang. Navar. Vasq. Turri.* aliique multi apud *Ovied. num. 61,* quia putant in dubio partem tutiorem esse sequendam, sed principium illud universaliter intellectum non tenet, uti constat ex dictis *L. 1. à n. 478,* hinc obligationem tum implendi votum negant *Suar. Henriq. Sanch. Bonac. Laym. Gran.* aliique plurimi, quos referunt & sequuntur *J. Sanch. in Sel. D. 43. n. 1. Gob. n. 373,* vocans probabilissimam, *Ovied. num. 62.* addens cum *Laym. Sanch. Castrop. & aliis id verum esse,* etiamsi quis magis propendeat in partem affirmantem votum. *Nec obstat, quod videatur esse dubium facti: nam rectè probat Teril. in Reg. Mor. 9. 55. à num. 32.* re ipsa etiam esse dubium Juris,

Q

quia

quia est de Lege, quam sibi quisque imponit
vovendo, à quo voto præsupposito oriri debet
omnis obligatio, de tali autem Lege dubitatur,
libertas est in possessione, ergo. Idem est,
cum aliis notat *Tamb. L. 1. c. 3. §. 7. v. Votum*, si dubi-
tetur, an fuerit promissio vel propositum: idem dicitur
ipse in dubio, an votum se extendat vel non exten-
dat ad certam materiam, quia libertas videtur
manere in possessione contra istam extensionem.

383 §. 2. Qui ex motivo probabili opinatur se vovisse
& non habet motivum probabile, quòd non vove-
rit, tenetur secundum communem, uti habet *Sand.*
de Matr. L. 2. D. 41. n. 34. Et hic *L. 1. c. 10. n. 36.* qui
tunc potius est possessio pro voto, nec proprium
est dubium, aut saltem non sufficiens pariter
pro utraque parte.

384 §. 3. Si voveris, sed dubites, an te volueris obli-
gare vel Deum invocare, putat *Tamb.* probabile est
te non obligari, quia videris dubitare de substantia
voti, consequenter votum non videtur adhuc esse
in possessione; sed dicendum est cum *Dian. P.*
T. 3. R. 10. Gob. n. 384. 388. & aliis communiter
te obligari, quia certus es de actu voti, præsum-
tur autem pro validitate actus, donec de invalidi-
tate constiterit, *Menoch. Tusch. Conclus. 620.*

385 §. 4. Si quis dixerit: *ô Mater Dei! nolo ullam*
unquam ducere uxorem, sed volo te pro Sponsa habere
& fieri Religiosus: & dubitet, an vovere voluerit
nec ne, si postea ita fuit dispositus, ut non putasset
se peccaturum, si uxorem duxisset, *Gob. n. 395.* dicitur
inde sufficienter colligi, quòd non habuerit
animum vovendi.

386 §. 5. Si dubites, an sciveris, quòd votum afferat
obligationem gravem, probabile putat *Gob. n. 389.*
te non obligari, quia substantia voti necdum
videtur

videtur possidere; sed oppositum videtur dicendū, maximè si habitualiter id sciveris, quia omnis vovens satis cognoscit exercitè, quòd se obliget Deo, cui advertenter vovet, ergo si res sit gravis, etiam sufficienter advertit obligationem gravem.

§. 6. Si dubites, an quando vovisti, habueris 387
plenum usum rationis, *Gob. n. 390.* dicit te non obligari: Alii distinguunt, & si quidem voveris ante septennium, dicunt cum *S. Thom. Suar. Ovied. n. 69. Busenbaum* aliisque communiter, præsumendum, non adfuisse plenum usum, quia communiter tum non adest: è contrà si vovisti post septennium, dicunt cum *Sanch. & Dian. P. 4. T. 3. R. 10.* præsumi fuisse plenum: *Gobat* suprà adhuc putat in his partibus Septentrionalibus id præsumi non debere, quia seriùs assequimur plenum usum rationis, hinc addit, si puer Germanus dubitet, an ante nonum annum expletum emisserit votum, se judicaturum non obligari, nisi ex singulari indole vel institutione aliud colligeretur; *Sanch.* dicit, si dubites, an septennium fuerit expletum, te teneri, tum quia rarò fiunt vota ante septennium, tum quia est certum, & excusatio dubia; oppositum tamen putant non improbabile *Castrop. & Ovied. num. 70.*

388

§. 7. In dubio, an passio ita obscuraverit mentem, ut non adfuerit nisi semi-plena advertentia, standum est pro valore voti, nisi tales conjecturæ occurrant in contrarium, ut prudenter credas te non satis considerasse necessaria ad obligationem contrahendam, ita *Suar. Sanch. Gob. num. 170. Ovied. n. 172.* Similiter in dubio, an voveris in ebrietate vel phrenesi, *Sanch.* putat præsumendum, quòd extra, quia rarò in ejusmodi statu fiunt vota, sed *Castrop. & Ov. n. 71.* rectè dicunt graves rationes requiri, ut quis dubitet de voto emisso in tali statu.

Q2

quæ

quæ si adsint, dicunt standum esse pro libertate contra votum ; si autem dubitetur, an ebrietas fuerit semi-plena, *Sanch.* putat præsumi posse fuisse plenam, quia communiter est talis, quod verum est de illo tantum, qui se communiter plene inebriat, non autem de alio ; si tamen fuerit etiam in hoc saltem tanta ebrietas, ut non relinquere plenam libertatem, non teneret votum, secundum dicta n. 380. Et idem est, si dubitet, an fuerit semi-dormiens.

389 §. 8. Si vovisti sub conditionibus, & dubitaveris an eas intellexeris copulativè an disjunctivè, v. g. vovisti jejunare, si pater tuus absens convalesceret & domum rediret, nec potes scire, an utramque conditionem simul intenderis, an tantum alterutram, non teneris, nisi utraque impleatur, quia nec verba nec materia rem declarat, in dubio autem favendum est voventi, *Sanch. c. 22. n. 20. Tamb. num. 9.*

390 §. 9. Si scias te vovisse Jejunium pro die Martis & dubites, an habueris intentionem supplendi aliâ die, si istâ negligeres, *Laym. & Gob. num. 380.* rectè dicunt te non teneri supplere aliâ die, quod in dubiis, quod minimum est, eligi potest.

391 §. 10. Certus se vovisse Religionem, sed dubitans an Religionem in genere, an hanc vel illam particularem, eligere potest, quam volet, *Sanch. Gob. n. 381. Quid. n. 64.* Similiter certus se vovisse castitatem, sed dubitans, an perpetuam an temporalem, quia nescit, quibus verbis sit usus, censeri potest intellexisse temporalem ; nisi dixisset *voveo castitatem*, tum enim præsumi debere absolutam & perpetuam, quia talem communiter intelligunt homines tali modo voventes *Gobat num. 382.*

§. II. Sciens se vovisse castitatem & Religionem, 392
 sed dubitans, an castitatem dependenter à Reli-
 gione, non tenetur ad castitatem, si non admittatur
 ad Religionem, quia in dubio eligere potest,
 quod minus est, *Sanch. Laym. Gob. num. 304. 394.*
 contra *Navar.*

§. 12. Certus se vovisse Religionem, sed dubius, 393
 an voverit perseverantiam in illa, præsumere debet
 se etiam hanc vovisse, uti rectè *Gob. num. 383.*
 contra *Bonac. & Dian. apud Ovied. num. 65,* quia
 per Religionem communiter intelligunt omnes
 Statum Religiosum, qui includit professionem seu
 emissionem votorum: notat tamen rectè *Laym.*
L. 4. T. 5. c. 6. n. 12, si in Novitiatu experiretur
 sibi non conducere eum Ordinem, posse exire, quia
 censetur voluisse non exire, nisi ex justa causa.
 Vide dicenda Lib. IV. à num. 182.

§. 13. Qui primùm invalidè vovit, sed postmodum 394
 renovavit votum, attamen dubitat, an renovaverit
 dependenter à prima emissionem, an è contrà voverit
 de novo & independenter à priore voto, præsu-
 mere potest esse factum dependenter à priore voto,
 adeoque non obligari, quia libertas possidet, ita
Sanch. Dian. Gob. num. 394: Si tamen sint vota Reli-
 gionis, contra quæ per integrum quinquennium
 non sit protestatus, *Trid. Sess. 25. c. 19. de Regul. vult*
præsumi supervenisse novam ratificationem,
 ideoque obligandum ad illa observanda.

§. 14. Quando cessavit causa, ob quam emisisti 395
 votum, & dubitas, an fuerit finalis an impulsiva,
 aliqui putant præsumi posse, quòd fuerit finalis,
 adeoque nunc cessare Votum; sed meritò contra-
 dicunt *Sanch. & Gob. num. 393,* quia Votum est
 in possessione; uti & tum, si Voto superveniant
 tales difficultates, ut dubites, an volueris
 illa-

illarum absentiam sub conditione fuisse inclusam nec ne, tum enim etiam possidet Votum contra excusationem dubiam.

396 §. 15. Si dubites, an executio Voti sit possibilis nec ne, teneris tentare, nisi tibi inde impenderet valde grave incommodum, nam uti Leges humane non obligant cum valde gravibus incommodis, ita multò minùs Vota, quæ sunt Leges privatae, quas sibi homines imponunt.

397 §. 16. Si dubites, an votum tuum sit de re bona an mala, *Sanch. Sor. Bonac. Tamb. Castrop. D. 3. P. 12. n. 2.* absolutè docent non obligare; & videtur certum cum *Gob. num. 392.* non obligare ad executionem, si nec Superior nec vir doctus interrogari, nec actio differri possit, quia nemo tenetur se exponere periculo peccandi; *Suar. tamen Fill. aliique cum Dian. P. 4. T. 3. R. 13. & Ovied. num. 73.* fatentur quidem non teneri actu exequi, attamen votum valere, donec à Superiore dispensetur vel declaretur esse invalidum, certus enim est se vovisse, & incertus, an DEUS acceptaverit, ergo tenetur inquirere.

398 §. 17. Si voveris, & dubites, an expleveris, teneris, uti omnes norant, quia Votum possidet, & obligationi certæ non satisfit per solutionem dubiam. Vide dicta de Juramento à n. 307.

D U B I U M III.

Quæ requiratur materia voti.

399 **R** *Esp.* Ea debet esse possibilis; (cùm impossibile nec efficaciter possit intendi, nec ad illud sit obligatio) & non solum bona, sed etiam melior quàm oppositum, sive ejus omisio; quippe finis intrinsecus voti est, hono-

honorare per hoc Deum ; id autem non potest fieri , nisi offeratur illi aliquid gratum ; gratum autem esse non possit, ut quis obligetur ad relinquendum id, quod est melius. *Sanch. Lib. 4. Moral. Cap. 7. Laym. Navar. & alii. Unde resolves.*

I. Invalidum est votum nunquam peccandi venialiter , cùm id moraliter & ordinariè sit impossibile. Aliqui tamen volunt, sic voventem teneri isto voto ad vitanda mortalia, & venialia graviora, de quo *Scholastici, Navar. c. 12. num. 65. Suar. L. 2. Cap. 3. Sanch. de Matrim. L. 9. d. 35.*

II. Invalidum est votum de re vana, vel inutili, vel indifferente , nisi ex circumstantiis, aut fine fiat bona, quia Deo displicet stulta promissio, & hinc eam non acceptat, ac peccat venialiter talia vovens ; ut v. g. si quis decidens ex equo, voveat non ampliùs equum ascendere. *Nav. c. 12. Sanch. 4. Mor. Cap. 7.*

III. Invalidum est vovere mala : & qui vovet mortale, peccat mortaliter, qui autem veniale, eum venialiter tantùm peccare dicit *Sa, Sylv. & c. V. Juramentum* : licet mortaliter peccare velit *Cajetan. V. Votum & Leß. Lib. 2. Cap. 40. num. 39,* quod videtur probabilius.

IV. Invalidum est votum, cui adjungitur finis, vel alia circumstantia mala, tenens se ex parte rei votæ; ut v. g. vovet quis eleemosynam ad obtinendam vanam gloriam , aut impetrandam per eam victoriam injustam, felicem successum furti, adulterii &c, aut in gratiarum actionem pro successu talis peccati : quia datio eleemosynæ in talem finem, est actio blasphema, quasi Deus peccata promoveat ; ideòque non potest esse

- 23 materia voti. *Cajet. Navar. c. 12. Sanch. c. 6.*
 23 *Laym. L. 4. T. 4. c. 2. n. 6. Fill. T. 26. n. 48.*
 23 V. Validum autem est, etsi ei adjungatur finis
 23 vel alia circumstantia mala, tenens se tantum
 23 ex parte voventis; ut v. g. si quis ex vana gloria
 23 aut ex ira erga importunum mendicum, voveat
 23 ei dare eleemosynam: quia tunc res ista bona est
 23 quam vovet, licet ipse voveat malè,
 23 cum peccato. *Ibidem.*
 23 VI. Validum item est Votum factum ex affectu
 23 erga rem bonam, ut bona est, etsi conjunctum
 23 cum causa mala: ut si quis voveret eleemosynam
 23 si ex duello evaserit salvus; si non capiatur
 23 in furto; si filius sibi nascatur ex adulterio, quod
 23 parat, &c. licet enim duellum, furtum, adulterium
 23 velle, malum sit, tamen his positis non læduntur
 23 non infamari, prolem gigni, mala non sunt, sed
 23 Dei dona: & Votum non cadit super ista mala
 23 sed super hæc bona, considerata (ut ponitur
 23 quatenus in se bona sunt. *Navar. Laym. l. c.*
 23 VII. Invalidum est, & veniale peccatum
 23 vovere bonum, quod est impeditivum boni
 23 majoris, ut præsertim sunt vota contra consilium
 23 Evangelica; ut v. g. manere in sæculo, ducere
 23 uxorem, ire ad militiam, facere mercaturam
 23 *Navar. n. 29. Suar. Fill. n. 58. Sanch. & alii.*
 23 VIII. Si tamen aliquod bonum per se, & absolute
 23 tunc minus, fieret per accidens majus bonum
 23 tunc talia vovere valet, ut v. g. si quis videret
 23 susceptionem Ordinum sibi damnosam. *v. Bon. p. 1.*
 23 IX. Matrimonium ordinariè invalidè voveatur,
 23 quia ordinariè melior est cælibatus. Dixi ordinariè
 23 riè: quia validè vovetur, I. Si quis ad hoc obligetur,
 23 ut quia finè injuria aut gravi infamationis
 23 sponsæ vel liberorum ex ea conceptorum,
 23 à sponsa

à sponsalibus non potest recedere. 2. Si id Reip. ^{cc}
 valde utile futurū existimetur, ut, quia v.g. ex eo ^{cc}
 speratur pax inter Principes, conversio hæreti- ^{cc}
 corum, Regni tranquillitas. 3. Si quis ob fragili- ^{cc}
 tatem, & inveteratam consuetudinem peccandi ^{cc}
 adeo fit pronus ad lapsum, ut prudentes judicent ^{cc}
 consultum ei esse, ut nubat; in quo tamen ultimo ^{cc}
Laym. & alii dissentiant. v. Bonac. l.c. Fill. num. 61. cc
Nayar. Suar. l.c. Laym. num. 12.

A D D E N D A.

Q. 107. *An votum de re partim possibili 400*
partim impossibili, partim apta partim inepta,
fit validum. R. Si expressè nolueris obligari
 ad partem, nisi obligareris ad totum, ad nihil obli-
 garis, uti patet: si autem non constet de hac expresa
 voluntate, attendenda est materia promissa, nam
 si hæc sit divisibilis, & materia possibilis vel apta
 spectato communi usu vovendi non pendeat
 à materia impossibili vel inepta, votum obligabit
 quoad partem possibilem vel aptam; si autem
 partes inter se copulari soleant, non obligabit:
 item, si inter partes una est principalis, altera
 tantum accessoria, si principalis etiam sola sit
 possibilis vel apta, votum obligat; si sola accessoria
 sit possibilis vel apta, votum non obligat, v.g. vovisti
 pauperibus dare centum, & non potes nisi viginti,
 teneris ad hos viginti, quia est pars tibi possibilis,
 & ex communi usu divisibilis; è contrà vovisti
 confiteri, & consequenter etiam dolere de peccatis,
 si confiteri non possis, etiam non teneris dolorem
 de peccatis elicere: item, vovisti jejunare in pane
 & aqua, si potes jejunare, sed non sine pane & vino,
 ieneris; vovisti ire Romam nudipes, potes Romam
 ire, sed non nudipes, hinc ire teneris; è contrà
 Q5 vovisti

vovisti certo die jejunare , si eo die non pot
 jejunare, etiam non teneris abstinere à carnibus &
 Ita *Suar.* L. 2. c. 2. *Sanch.* L. 4. c. 10. n. 7. *Laym.* L.
 T. 4. c. 2. n. 3. *Castrop.* P. 8. §. 1. n. 10. *Tamb.* L. 3. c. 15.
Illsung T. 5. n. 90. *Gob.* à n. 76.

401 Q. 108. *An votum nunquam peccandi*
de materia apta. R. §. I. Votum nunquam peccandi
 mortaliter, item votum non peccandi venialiter
 deliberatè, item non peccandi certo genere venia-
 lium, v. g. mendacio, est validum: notat tamen res
Suar. c. 3. n. 3. facile dispensandum esse in talibus
 votis, eò quòd communiter plus periculi habeant
 quàm utilitatis, unde multò cautiùs emitti debent.

402 §. 2. Circa Votum nunquam amplius peccandi
 in genere, nec mortaliter nec venialiter, tres sunt
 sententiæ, 1. dicit talem voventem obligari
 ad vitanda mortalia & venialia deliberata, tum
 quia hæc pars est ab altera separabilis & moraliter
 observari potest , tum etiam quia tale votum est
 virtualiter triplex , quorum uno vovisset vitare
 mortalia, altero venialia deliberata, tertio venialia
 etiam indeliberata, de mortalibus autem & venia-
 libus deliberatis obligaret , neque prima voti
 debent vitari per posterius, quia *utile per inutile*
vitari non debet, uti habet regula Juris, & *Interpre-*
tatio facienda est pro valore actûs, ut tantum valeat
quantum potest, uti habet altera regula Juris, ita
Suar. num. 16. defendens hanc sententiam velut
 omnino probabilem. 2. quam *Suar.* dicit esse
 etiam probabilem & practicè tutam , tenet
 talem ad nihil obligari ex voto, tum quia materia
 illius est collectio mortalium & venialium cavendi-
 dorum , quod est impossibile ; tum etiam
 quia alioquin etiam obligaretur ad fugam
 certorum venialium minus deliberatorum ,

quæ adhibitâ speciali attentione vitari possent, nam etiam illa materia est moraliter possibilis observatu, ita *Sanch. c. 5. n. 10. 3.* melius distinguit, nam si habuerit expressam voluntatem non obligandi se ad fugam mortalium, nisi simul obligaretur ad fugam omnium venialium, Votum est irritum, uti patet, quia vovit rem moraliter impossibilem; si autem voluerit se divisibiliter obligare, & quantum obligari potest, tenebitur ad fugam mortalium, hæc enim est materia possibilis, ita *Castrop. num. 8.*

Q. 109. *Quid ergo dicendum sit de voto vitandi* 403
omnia etiam venialia. R. Suar. supra docet velut probabile, quod Votum hoc obliget ad vitanda, non tantum venialia deliberata, sed etiam absolute ad vitandam partem illam quorumcunque venialium, quam vovens sibi secundum prudens arbitrium determinaverit, sicut qui vovit jejunare per integrum mensem, & non potest nisi per medium, tenetur sibi secundum prudens arbitrium determinare priorem vel posteriorem partem, aut eligere dies interpolatos: è contra *Sanch. Busenb. & alii* absolute id negant ob rationem antè datam; si tamen voverit vitare omnia venialia, quantum in se erit, putat *Sanch. n. 13. & Lesf. de Just. L. 2. c. 40. n. 31.* vi voti teneri ad cavenda omnia, saltem adhibendo specialem curam majorem, nam propositum de his omnibus vitandis & de diligentia tali adhibenda est validum, ergo etiam votum: sed *Castrop. n. 9. & 12.* utrumque negat, quia omnia vitari non possunt, ergo omnia ex vi voti non comprehenduntur, ergo votum ad omnia & singula nunquam potest esse determinatum, ergo etiam ex vi voti non potest exigi, ut hæc præ illis mihi determinem vitare, & sic solvi-

solvitur argumentum *Suar*: nam disparitas est
quòd votum jejunii ex vi sua comprehendit
& determinatum sit ad omnes & singulos dies
illius mensis, & consequenter vi illius exigitur
ut hos mihi determinem observandos præ illis
si observare non possim omnes. Ad rationem
Sanch. disparitas est, quòd votum, & non propo-
situm, inducat obligationem, quæ semper debet
de re humano modo cognoscibili, hoc autem
votum esset de re humano modo incognoscibili
quia nemo unquam poterit scire, an debitam dili-
gentiam adhibuerit, præsertim in peccatis, quæ
minùs advertenter fiunt. *Si dicas*, Præceptum natu-
rale obligat ad omnia venialia etiam indeliberata
vitanda, ergo etiam potest obligare votum
R. N. conseq: ad obligationem Præcepti naturalis
sufficit Potentia physica implendi, habet autem
homo potentiam physicam cavendi omnia venialia
lia, è contrà obligatio voti, cum sit libera
à vovente ipso, respicit potentiam ejus moralem
non enim voluit se obligare ad aliquid morale
impossibile; homo autem non habet potentiam
moralem ad cavenda collectivè omnia venialia
Vide dicta Lib. I. à num. 780.

404 Q. II. *Ad quid teneatur, qui vovit confiteri
omnia venialia.* R. Tenetur confiteri ea, quæ fecerit
& memoriæ occurrunt: quòd si aliqua præter
post Confessionem occurrant, expectare potest
sequentem Confessionem, licet communicare
velit, nam votum debet censei factum de illis
quæ ante Confessionem memoriæ occurrerent
ita *Sanch. c. 5. n. 20.*

405 Q. III. *Quid præterea notandum sit circa materiam
voto aptam vel meliorem.* R. Seqq. §.
An materia sit voto apta vel inepta, judicandum est

non ex tempore, in quo, sed pro quo fit votum, sic in naufragio voves Confessionem, quamvis pro tempore, in quo es, materia fit impossibilis, est tamen possibilis pro tempore, pro quo voves, nempe cum evaseris, hinc ligat votum, ita *Tambur. L. 3. c. 15. §. 5. num. 5.*

§. 2. Quando materia, dum voves, non est apta ⁴⁰⁶ pro eo tempore, pro quo voves, licet postea fiat apta, votum non fit validum, nam quod initio fuit invalidum, tractu temporis non convalescit, v. g. si ex fine malo vel indifferente vovisti non adire certam domum, quamvis postea fieret lupanar, non tenereris eam vitare ex voto, quod se ad hoc motivum non extendebat, *Tamb. à num. 7.* Aliud est in casu, quem posuimus *num. 375,* ibi enim erat idem finis & idem motivum intra tempus, quod comprehendebatur à voto.

§. 3. Quando materia antè, cum fieret votum, ⁴⁰⁷ apta, per tempus fit inepta, votum per hoc tempus suspenditur; sic si vovisti non adire istam domum ob certam puellam, quæ ibi est, & tibi facit periculum, si ea absit, votum suspenditur, potesque domum ingredi; si ea redeat, votum redit; si ea moriatur, votum omnino cesat. Quod si puella alia etiam periculosior eò veniret aut rediret, non tenereris vi voti vitare, nam ad hanc non extendebat se tuum votum initio, ergo nec postea, *Tamb. supra.*

§. 4. Ut aliquid dicatur esse impeditivum ⁴⁰⁸ majoris boni, ideoque votum fit invalidum, non est satis, quod sit impeditivum majoris boni cujuscunque, sic enim vix ulla vota valerent, cum semper dari possit aliquid melius impossibile cum illo, quod vovemus, sed debet esse impeditivum majoris boni, quod vovens habeat tunc, cum vovet; item secundum *Gob. num. 70.*

Votum

Votum debet esse de re meliori, quàm sit res illi cui privativè & directè opponitur res voto promissa, hinc valet votum perpetuò servari in hospitali, quamvis te impediatur à Religione, quòd sic servire melius est, quàm non servire; è contra votum nubendi, per se loquendo, non valet, quòd impedit cœlibatum, quem habes, & qui deest melior est quàm connubium, etiamsi voveris connubium cum paupere puella, inquit *Tamb.* num. 4. & 6; de isto tamen voto non nubendi videri potest etiam *Gob.* T. 10. n. 42. & 406. *Idem* T. 11. à n. 270. Addit *Tamb.* §. 1. n. 5. contra *Sanch.* n. 24. Votum prius factum valere, quamvis postea voveas aliquid melius impossibile cum prioris poteris tamen, si voles, illud prius votum commutare in posterius.

409 §. 5. *Valent. Sanch. & alii cum Rayn.* putant ad valorem voti sufficere, si res votiva in se absolutè melior, quamvis non sit melior etiam respectivè ad voventem, prout est particularis persona, sed meritò contradicunt alii cum *Gob.* n. 7. & cum *Moya* T. 2. q. 1. n. 18, cum enim vovens hanc suam actionem vel omissionem devoveat, hæc non acceptatur à Deo, si hinc & nunc non sit Deo gratior quàm oppositum: deinde ad intentionem voventis parum attinet, quòd res aliis sit melior, si non sit talis, cum voto suo tendat in utilitatem suam, & hæc ipsa est majus beneplacitum Dei, cujus voluntas est nostra singulorum sanctificatio.

410 §. 6. Si quis sic voveat, *hodie vel jejunabo me inebriabo*, totum votum est irritum, quòd ut valeret, deberet voventi esse libertas ad eligendum utrumlibet, malum autem nemo potest eligere, *Sanch.* c. 10. num. 17. *Castrop.* p. 8. n. 1. *Gob.* num. 79. Si tamen intentio voventis est

conco
si a
se in
cum
fueri
cio
disju
præf
cum
eligi
§.
ero C
nullu
meli
gion
pote
com
miti
ad al
riun
nor
ingr
nici,
Burg
quia
non
ram
valio
meli
dein
facer
neut
Tam
S. F
prio
conco

conditionata tantum, ita ut voveret jejunare, si ante prandium non haberet voluntatem se inebriandi, votum valeret, ita iidem Authores cum *Tamb. c. 15. §. 5. n. 9.* In dubio autem, an intentio fuerit disjunctiva an conditionata, quamvis suspicio esset pro conditionata, censeretur debet fuisse disjunctiva, tum quia verba erant disjunctiva, praesumi autem debet, quod mens concordaverit cum verbis; tum etiam, quia in dubiis minimum eligi potest.

§. 7. Si quis sic voveat, *non ero Religiosus, vel 411*
ero Carthusianus; item, *voveo esse Carthusianus vel nullus Religiosus*, votum probabiliter valet, quia melius est esse conditionate obligatum ad Religionem, quam nullo modo, *Laym. Sanch. Gob. n. 36.* potest tamen votum illud ab ipso vovente commutari in absolutum de Religione alia etiam mitiore, quia melius est esse absolute obligatum ad aliquem Ordinem, v.g. *Canonicorum Regularium*, quam conditionate ad Ordinem *Carthusianorum* vel ad nullum: Consequenter qui vovet ingredi, v.g. *Ordinem S. Francisci & non S. Dominici*, quamvis secundum *Castrop. §. 5. num. 16. & Burgh. Centur. 3. Cas. 13.* videatur invalide vovere, quia pars materiae, quam voveret, scilicet non ingredi *Ordinem S. Dominici*, est inepta voto, tamen secundum *Sanch. c. 8. n. 47.* aliosque plures valide voveret, quia *Votum illud directe est de bono meliore, quamvis indirecte aliud bonum excludat*; deinde quia melius est hoc unum ex obligatione facere, quam liberum esse ad utrumque, quorum neutrum forte faceret: Has sententias ut conciliet *Tamb. sic ait §. 4. n. 7.* si voveas ingredi Religionem *S. Francisci & non S. Dominici*, quia iudicas priorem esse tibi aptissimum, posteriorem autem non

non esse aptum, Votum valet ; si autem finè
 causa temerè tibi tollas libertatem ad Ordine
 S. Dominici, Votum non valet ; & eodem mo
 loquere de aliis, v. g. si voveas non orare
 flexis genibus, non dare eleemosynam, nisi semp
 fit major quàm unius aurei, quàmvis *Castrop.* di
 ejusmodi Vota esse invalida , quia habent
 adjunctum, *non orabo stans, non dabo eleemosyna
 medi aurei*, quæ sunt materia inepta Voto, tam
 si adsit honesta causa hæc adjungendi, ma
 riæ istæ non erunt Voto ineptæ.

412 §. 8. Quàmvis aliquis voveat Religionem
 ut lautè vivat, tamen materia est de meliori,
 Votum valet , quia lautus victus non est fin
 principalis, sed tantùm causa impulsiva.

413 §. 9. Probabile est, quòd Votum Carthusia
 nunquam, nè in infirmitate quidem & pericu
 mortis, comedendi carnes, sit de meliori bon
 spectatis circumstantiis Statùs & Regulæ, adeoq
 obliget, *Tambur. c. 16. §. I. n. 1.* Vide *Busenba*
 referendum num. 769.

414 §. 10. Si finis Voti sit res omnino indifferens,
 si voveas jejunium, ut parcas sumptibus ; eleem
 synam, ut non videaris avarus, vota sunt invalida
 quia Votum non acceptatur à Deo, nisi res vove
 tur, prout honesta est, *Suar. L. 4 n. 5. Sanch. c. 7. n. 1.*
Castrop. §. 3. num. 6. Illsung T. 5. n. 93 : è com
 quàmvis materia & finis secundùm se sit indiff
 rens, si tamen imbibat aliquid honestum, v
 agnitionem divinæ bonitatis donantis re
 optatam, Votum valet, uti si voveas jejunium
 ut obtineas scientiam, honorem, valetudine
 à Deo, quia honestum est intendere talem finem
 consequi per donationem divinam, *Laym. L. 4. T. 1.*
c. 2. n. 10. Castrop. suprà, Gob. num. 60.

§. 11. Ut res indifferens sit materia Voti 415
 ratione boni finis, debet esse apta ad bonitatem
 talis finis, hinc non valent hæc Vota, ob reve-
 rentiam non præscindendi ungues die festo,
 nunquam spuendi in templo, non comedendi
 capita animalium ad honorem S. Joannis decapi-
 tati, non nendi die Sabbathi ad honorem
 B. Virginis &c, quia hæc materiæ sunt vanæ &
 inutiles ad istos fines. *Gob. n. 61.* Valerent tamen
 Vota, si hæc ob aliquam circumstantiam pertine-
 rent ad aliquam virtutem, uti si multum delecta-
 reris cibo è capitibus animalium, & voveres
 abstinere ex motivo temperantiæ; si affectu nendi
 retardareris ab oratione, & voveres non nere,
Tambur. c. 15. §. 2. num. 9. Gob. n. 64, qui num. 63.
 ad dignoscendum, sitne Votum irritum nec ne
 ratione finis extrinseci, dat hanc regulam:
Omnis ille & solus finis extrinsecus irritat votum,
pro quo sine obtinendo irreverenter & ineptè oramus
expressè Deum, quoties enim vovendo volumus obti-
 nere aliquid, toties illud à Deo petimus saltè impli-
 citè, non auderemus autem à Deo petere indecen-
 tia, vel non conducentia neque ad ipsius honorem
 neque ad salutem nostram vel Proximi, unde
 votum jejunii, ut obtineas divitias, præcisè in divi-
 tiis sistendo & non referendo ad bonum usum,
 est irritum, *Suar. Sanch. Gob. num. 65.*

§. 12. Votum bibendi mediocriter vel ludendi 416
 honestè, si fiat absolutè, & importet obligationem
 absolutam ad potum vel lusum, est de re prorsus
 indifferente, vel saltem non est de meliori, quia
 sæpe melius est ab his abstinere, hinc non valet:
 Si tamen esset conditionatum, & sic diceret,
Quandocunque bibam, faciam mediocriter; quando-
cunque ludam, honestè ludam, est de meliori bono,

R

&c

& valet, quia supposito, quòd bibam vel ludam
semper melius est ista facere mediocriter &
honestè.

417 §. 13. **Votum non vovendi**, si sit absolutè
excludens omnem libertatem vovendi, est irritum
quia impedit majus bonum, nam absolutè melius
est vovere quàm non vovere; si autem voveas
non vovere temerè, vel inconsulto Confessario aut
viro prudente, **Votum valet**, quia tantùm excludit
hoc, quod malum est, nempe temeritatem &
imprudèntiam, nec opponitur voto secundùm se.
Quòd si tamen postea memor **Voti** antecedentis
voveas temerè aut nemine consulto, peccas quidem
contra antecedens **Votum**, attamen non moraliter,
nam suppono non esse temeritatem vel
imprudèntiam gravem; posterius tamen **Votum**
est validum: Si autem postea voveres immemor
antecedentis **Voti**, dubitatur, an posterius **Votum**
valeat, & videtur distinguendum, nam si antea
cum priori **Voto** habuisti expressam voluntatem
non obligandi te unquam in posterum, si forte
voveres immemor illius prioris **Voti**, posterius
Votum erit invalidum, quia prior voluntas
non obligandi se videtur adhuc moraliter manere,
ideòque Deus non acceptabit posterius **votum**,
si autem non habuisses talem expressam voluntatem,
postremum **Votum** esset validum, quia
haberet omnia ad valorem requisita, ita quoad
omnes partes *Suar. L. 2. c. II. n. 5. Sanch. c. 8. à n. 14.*
Castrop §. 5. n. 3. & alii.

418 §. 14. **Votum non petendi dispensationem**,
si sit absolutum, est invalidum, quia dispensatio
sæpe est necessaria vel melior voventi; sed **votum**
non petendi dispensationem sine causa, est validum,
Sanch. num. 21. Castrop. num. 4. Tamb. §. 4. n. 8.

Si autem non constet de intentione, censendum est fuisse de non petendo sine causa, tum quia nemo præsumitur malè voluisse vovere, tum etiam quia quando certus est actus, in dubio standum est pro ejus valore.

§. 15. Votum non admittendi Prælaturam vel dignitatem, si fiat ex humilitate vel ad vitanda pericula, valet, quia majus bonum est rejicere onus, in se quidem bonum & perfectum, at tamen majori perfectioni subjecti oppositum vel periculosum, quàm admittere, *Tamb. n. 5, quod Gob. n. 71.* dicit esse certum, quia Ecclesia approbavit votum, quod in Societate JESU fit de non admittendis dignitatibus; idem putat *Suar. de Voto non suscipiendi sacros Ordines*, sed, per se loquendo, meritò contradicit *Tambur. n. 10*, quia, per se loquendo, afferunt majus bonum nec tantum periculum.

§. 16. Votum Religiosi, impuberis, uxoris, servi, de materia per se quidem bona & honesta, sed illis legitimè quoad substantiam interdicta, est irritum, quia Votum non debet adversari Præcepto, nam melius est observare Præceptum, quàm transgredi; si autem materia tantum quoad modum interdicta sit, v. g. si Superior prohibuerit, ne subditus absque suo consensu jejunaret, Votum subditi de jejunando sub conditione impetratæ licentiæ valet, quia jejunium cum licentia non prohibebatur, hinc qui sic vovisset, teneretur petere licentiam, alioquin irrisoriè vovisset. *Si dicas*, saltem ille, cui materia quoad substantiam est interdicta, poterit vovere sub conditione impetratæ dispensationis, sicuti duo prohibiti contrahere matrimonium, possunt sibi illud promittere sub conditione impetratæ dispensationis. *R.* Disparitatem esse, quòd promissio humana, qualis est illa matrimonii,

spectet tantum materiam promissario utilem & in se honestam, è contrà Votum spectat materiam meliorem & Deo gratiorem, Deo autem, per loquendo, gratius est Præceptum servari, quam ab eo per dispensationem eximi.

- 421 §. 17. Probabile est, quòd votum factum in gratiarum actionem pro re mala, v.g. pro obrecta injusta victoria, vel filio ex fornicatione, sit validum, quia non agis gratias pro victoria ex ea parte, quâ est injusta vel à te processit, sed quatenus processit à Deo, qui meritò potuisset impedire, ita *Suar. L. 2. c. 5. n. 19. Castrop. P. 8. §. 3. n. 4.* contra *Sanch. Lesf. & Lay.* Similiter secundum *Gal.* n. 67. valet votum, si dicas, *voveo me fore Religiosum, si in duello proximo occidero potius Adversarium, quam ille me.*

Materiam absolutè levem non substanti gravi obligationi, dicam *Lib. 5. num. 233.*

- 422 Q. 112. *Quomodo peccet, qui vovet illicita, vel indifferentia, vel ob malum finem; aut qui talia vota exequitur. R. §. I.* Si solus finis voventis sit venialiter malus, præter peccatum, quod est desiderium illius finis mali, etiam committitur veniale contra Religionem, quia irreligiosum est ad Deum offensam abuti voto, quod per se ad cultum Dei ordinatur: est autem veniale tantum, quia solummodo est defectus in modo vovendi ex fine extrinseco, qui non redundat in materiam voti nec obligationem minuit, adeoque culpam venialem excedere non potest.

- 423 §. 2. Si res promissa sit mortaliter turpis, vovetur promittatur propter finem mortaliter turpem, esto exterius tantum finem animo promittendi vel explendi fiat, præter malitiam pravi desiderii est mortale contra Religionem, quia promittitur offer

offert rem illam Deo, vel ergo ut gratam, & est gravis blasphemia ac illusio Dei, cum sciat esse ipsi ingratissimam; vel offert ut ingratam, & sic æquivalenter minatur Deo, aut vult affligere; hæc autem omnia sunt gravia.

§. 3. Si res promissa vel finis sit tantum venialiter turpis, aliqui putant esse tantum peccatum veniale ob levitatem materiæ, alii dicunt adhuc esse mortale, ob rationem jam datam; quia tamen verbum (*voveo*) in re vel fine turpi passim non significat votum, sed ordinariè Juramentum, uti cum quis dicit, *voveo me vindicaturum*, intelligit, *juro*, tunc si materia sit levis, secundum dicta n. 265. peccatum erit leve.

§. 4. Votum rei indifferentis vel ob finem indifferentem est tantum veniale, quia nec actus Deo est contumeliosus, nec materia positivè ingrata; putat quidem *Beja* P. I. Caf. 66. hoc esse peccatum blasphemix, adeoque grave, eò quòd æquivalenter dicat Deum delectari rebus vanis & inutilibus, sed *contra est*, quòd non sit illa mens voventis, sed tantum imprudentia circa electionem materiæ.

§. 5. Executio votorum supradictorum eandem malitiam continet, quam emissio, quia executio ex obligatione voti, est facti voti approbatio.

DUBIUM IV.

Quæ & quanta sit obligatio voti.

Resp. Tanta est, quantam tum quantitas materiæ permittit, tum intentio voventis, quâ se vel multum, vel parum, vel absolutè, vel cum certa conditione, restrictione temporis,

R 3

quali-

- 22 qualitatis obligare vult, designat : ita ut, etsi obli
 22 gatio Voti fit Juris naturalis , vis tamen eju
 22 pendeat à voluntate & facto hominis, tanquam
 22 præviâ conditione, ut tantum vel tantum obli
 22 get. *Ita communiter. V. Laym. L. 4. T. 4. Cap. 3. Bon. P.*
 22 *Unde resolves,*
 22 I. In materia levi nemo obligatur sub mortali
 22 quia materia id non permittit. *Nayar. c. 12. n. 40*
 22 *Sanch. L. 4. c. 12. Laym. l. c. V. G. Vovisti rec*
 22 *tare quotidie Salve Regina ; omittendo seme*
 22 *iterumque, non peccas mortaliter, quia materia*
 22 *est parva. Sanch. Laym. loc. cit. Azor Lib. 21. c. 18*
 22 *Imò etsi toto anno omittas, esse tantum veniale*
 22 *eò quòd materiæ istæ parvæ non coalescant*
 22 *in unam, probabiliter docet Dian. P. 3. T. 5. R. 24*
 22 *ex Soto, Arag. & Tannero 2. 2. D. 4. Dub. 3*
 22 *contra Valent. & alios.*
 22 II. In materia gravi, etsi quis possit se obligare
 22 tantum leviter , communiter tamen censetur
 22 se voluisse obligare graviter, nisi aliunde constet.
 22 Unde violans tale Votum , peccat graviter
 22 ex genere suo. *v. ibidem.*
 22 III. Qui postquam gravi Voto se obstrinxit
 22 serio deinde dolet, quòd fecerit , non peccat
 22 graviter , modò retineat animum implendi
 22 *v. Sa V. Votum.*
 22 IV. Qui violat Votum de re jam antè præcepta
 22 v. g. qui post Votum castitatis fornicatur, debet
 22 in Confessione addere, quòd Votum id habeat,
 22 aut quòd Ordines acceperit , si Confessarius
 22 nesciat, quia duplex tunc est malitia peccati.
 22 *Suar. c. 6. Less. L. 2. c. 40. num. 47. Sanch. c. 5*
 22 *Fill. T. 26. n. 57.*
 22 V. Alieno Voto nemo obligatur ex vi illius
 22 voti , unde si qui Canones videntur indicare
 filium

filium à patre Religioni devotum, teneri eam
profiteri, intelligendi sunt, si filius votum patris
semel ratificaverit. *Suar. c. 9. Sanch. Laym. num. 7.*

VI. Cùm hæres teneatur solvere Vota realia
defuncti, non tenetur vi voti, sed ex Justitia: uti
tenetur alia illius debita, legata &c. solvere. *Ibid.*

VII. Eodem modo si Communitas aliquid
vovit, in quod Posterius non consenserunt,
non tenentur id servare vi voti, sed interdum
ratione pacti, Statuti, vel longæ consuetudinis,
v. Laym. num. 6.

VIII. Cùm quis vovet factum alterius,
sensus est, se curaturum id eo modo, quo licite
potest, ut v. g. rogando, persuadendo, vel etiam
præcipiendo, si sit Superior, vel etiam aliquando
paciscendo, & suppeditando sumptus. Sic Parens,
qui filium devoverit Religioni, ad nihil aliud
tenetur, quàm ut conetur eam filio persuadere:
Si quis Missas vel peregrinationem alterius
curandam, quando stipendium ac sumptus ei
persolvit, non tenetur alium substituere novis
sumptibus, si prior non præstet, ad quod se obli-
gavit. *Sanch. Laym. num. 7.*

IX. Vota personalia non implentur nisi
per voventem; unde qui vovit peregrinationem
Romam v. g., non satisfacit, si conducat alium:
neque ad id tenetur, si ipse non possit. *Ibid. n. 8. & 9.*

X. Vota realia solvenda sunt ex proprio; unde
qui nequit ex suo, non tenetur ab alio mendicare.
Quòd si possit ex suo, & tamen alius, sive rogatus,
sive sponte pro ipso velit solvere, id valet, quia
tunc, quod alter dat, fit ipsius; non autem actio
alterius personæ potest fieri alterius, *v. ibid. n. 8.*

XI. Vota conditionalia non obligant cessante
conditione, etiam si ipse vovens causa fuerit,

- » ut conditio non poneretur : dummodo in
 » non impediverit per dolum, vim aut malitiam
 » ut v.g. vovisti peregrinationem, si eam Petrus
 » approbet ; deinde submittis, qui persuadeat
 » ut non approbet : illo igitur non approbante
 » non teneris. Imò etsi malitiosè per fraudem
 » dolum, &c. impediveris, adhuc probabile est
 » voto non teneri, ut habet *Laym. c. 6. ex Suar. & aliis*
 » Interim, *Layman* rectè hic advertendum monet
 » ad intentionem voventis ; ut v.g. si filius vovit
 » se ingresurum Religionem, nisi pater contra
 » dixerit, videtur ejus intentio fuisse, nisi contra
 » dixerit ex se, suâ sponte, sibi relictus, &c.
 » XII. Qui vovit rem certam & determinatam
 » v.g. hunc calicem : si ea res pereat, non tenetur
 » ad alium ; cum id non soleat intendi : Si autem
 » eam rem vendiderit, probabilius videtur esse
 » teneri dare pecuniam, quam accepit, quia
 » qui vovet rem, censetur promittere omnem ejus
 » utilitatem.
 » XIII. Qui vovit aliquid faciendum certo tem-
 » pore, ut jejunare hoc vel isto die ; illo transacto,
 » siue cum culpa, siue sine culpa ejus, ad nihil tenetur
 » tur : & neque, si præviderit impedimentum
 » eo tempore superventurum, tenebatur præve-
 » nire, cum hæc non soleat intentio voventis esse.
 » *Suar. Navar. v. Bonac. P. 5.*
 » XIV. Qui vovit aliquid sine certo tempore,
 » v.g. peregrinationem, tantum tenetur implere,
 » cum commodè primitum potest, quia sic morose
 » liter quisque censetur intelligere suam promissio-
 » nem, ut habitâ commoditate, non nimis diu
 » differat ; quamvis minor causa sufficiat ad differ-
 » rendum quàm ad omittendum. *Fill. c. 4. q. 10*
 » *Suar. Laym. Cap. 3. Bonac. & alii.*

XV. Qui vovit aliquid finè certo loco, v. g. ingredi Religionem S. Benedicti, satisfacit intrando quodcunque Monasterium illius Ordinis, in quo servantur substantialia Regulæ. Neque tenetur pro admisione peragrarè provinciam, sed satis est adire loca aliquot non nimis disita. Et satisfecit voto, si postquam ingressus est, remittatur, aut egrediatur (saltem cum justa causa, qualis est, v. g. gravis ac diuturna tristitia & anxietas, sive ex natura ipsa, sive aliunde nata, *Escob. ex Sanch. L. 4. c. 16. n. 100.*) ante professionem, *v. Trul. L. 2. c. 2. d. 20. n. 7. & 8.*

XVI. Qui vovit aliquid finè certa qualitate, v. g. Religionem in genere, potest ingredi quamcunque, etiam laxiorem; modò servantur essentialia, & sit approbata. Similiter, si quis vovit triticum & c., non tenetur dare optimum, quod habet, sed satis est (loquendo de obligatione præcisè) ut det, quod non sit planè ineptum.

XVII. Qui vovit aliquid finè certa quantitate, v. g. elemosynam, pecuniam, frumentum & c., satisfacit dando quantum voluerit, modò non tam parum, ut videatur potius irridere suum votum, quàm implere. Ratio horum omnium peritur ex intentione voventis, quàm nemo censetur se obligare, nisi ad id, quod commodè potest, & communiter est decens. *Suar. Sanch. L. 4. c. 15.*

XVIII. In dubio de mente voventis, debet fieri interpretatio secundùm verborum, quibus usus est, proprietatem, vel potius communem & usitatam acceptionem. *Fill. T. 26. c. 2. Laym. c. 3.*

XIX. Qui vovit, si ludat chartis, dare 10. imperiales, tenetur secundùm *Sanch.* dare toties decem, quoties ludit; quia pœna est actui accessoria.

R. 5

Vide-

» Videtur tamen negare *Layman Cap. 5. num.*

» *Vid. Trull. l. c. Dub. 5. num. 25. Dian. P. 5. T. 9. R. 10.*

A D D E N D A.

418 Q. 113. *Quæ sint regula generales, & quomodo ex illis discernenda sit obligatio voti.* R. Regulae sunt hæc: I. Votum obligat secundum intentionem voventis, & non ultra, quia votum est veluti privata Lex, quam quis sibi imponit, Lex autem non obligat ultra intentionem Legislatoris. Quando non constat de intentione voventis spectanda est materia promissa, & juxta illius naturam censendum est Votum obligare, quod quilibet censetur eam obligationem subire veluti quæ materiæ promissæ est accommodata. Si post discussam voventis intentionem & materiam inspectam, adhuc dubium sit, qualis sit obligatio voti, attendendum est ad verba promissionis, quæ sumenda sunt secundum communem usum, & juxta illa verba est interpretanda obligatio voti, quia quisque censetur facere velle, quod verbis indicat, uti supra est dictum. 4. Si supra dictis omnibus consideratis adhuc dubia est obligatio voti, votum est interpretandum in favorem voventis, uti num. 381. dictum est, quia obligatio non est imponenda, nisi de ipsa clarè constet, cum libertas sit in possessione contra illam. Illa materia est gravis respectu voti, de qua potest dari Præceptum sub mortali obligans, votum enim obligat instar Præcepti, quod vovens sibi ipse imponit; non est autem consideranda materia nudè secundum se, sed etiam videndum, an non ex circumstantiis notabiliter conducat ad cultum divinum vel ad utilitatem voventis. 6. Qui vota talia, quæ etiam præcipi solent, v. g. Jejunium Missam, censetur ad tale opus se obligare

qual

quale à Fidelibus præstari debet ex Præcepto. 7.
 Qui se obligat ad finem, obligat se ad media ordi-
 naria, non tamen ad extra-ordinaria. 8.
 Si Voto non sit additum tempus implendi, obligat
 quàm primùm fieri potest commodè, quia
In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur,
præsenti die debetur, Reg. 14. ff. de Reg. Juris, ubi
 quando dicitur, *præsenti die debetur,* intelligitur,
si commodè fieri possit, quando autem obligationi
 nullus est præfixus finis, uti si dixeris, *voveo deinceps*
castitatem, voveo jejunare diebus Veneris &c, censentur
 Vota perpetua, *Illsung* T. 5. n. 109. Has regulas
 tradunt Authores communiter cum *Castrop.* hic d. 1.
 p. 12. *Tamb.* c. 12. §. 5. num. 5. *Gob.* T. 11. à num. 82.
 Ex his resolvi possunt innumeri casus, v. g.

§. I. Obligatio Voti potest esse levis, licet mate-
 ria sit gravis, ita *Suar. Sanch. Castrop. Tambur.* 429
 aliique communis cum *Illsung* n. 101. contra *Sot.*
Vasq. & alios. Ratio est, quia Lex non obligat
 ultra mentem voventis: deinde vovere materiam
 gravem cum intentione se leviter obligandi,
 vel est possibile vel impossibile; si possibile,
 tum fiet, quando vovens id expressè intendet;
 si impossibile, ergo non erit verum votum, ergo
 nec gravis obligatio. *Si dicas,* obligationem Voti
 esse ex Lege divina vel naturali, quæ obligat
 promittentem, ut sit fidelis, Lex autem divina vel
 naturalis in materia gravi semper obligat graviter,
 & Legem divinam vel naturalem in gravi materia
 obligare graviter, si non sit dependens, & non fundetur
 in voluntate hominis eam gravem obligationem
 impediens; si autem ita dependeat vel fundetur
 in voluntate hominis, non obligat, nisi secundùm
 hanc voluntatem. *Si instes,* qui in materia gravi
 jurat, non potest se obligare leviter, ergo nec
 qui

qui vovet. R. Disparitatem esse, quòd omne Jura-
mentum vocet Deum in testem, cujus authoritas
non suscipit magis & minus, ideòque ejus obligatio
ex voluntate jurantis limitari non potest.

Si urgeas, in materia levi non potest esse obligatio
gravis, ergo nec in materia gravi obligatio levis.

R. Disparitatem esse, tum quòd Deus non acceptat
materiam levem ad obligationem gravem, quia
non conducirerit ad salutem, sed ad periculum

animæ; tum quia materia levis non est capax obli-
gationis gravis, materia autem gravis est capax

obligationis magnæ, ergo etiam parvæ: nota-
tamen rectè *Gob. & Lugo D. 22. n. 41. & in Resp. Mo-*

L. 6. Dub. 8. Vota Religionis & majoribus Ordinibus
annexa, cum involvant stabilitatem, esse irrita

vel non acceptari, si tantum intenderetur obligatio
levis: Similiter notant *Lugo & Gobat* num. 1.

Votum cum intentione se non obligandi sub pe-
ccato, sed tantum sub imperfectione, re ipsa non facit

votum, sed tantum propositum.

430 §. 2. Qui vovit curare legi Missam, deditque
stipendium Sacerdoti, si hic negligat, idque refectum
qui voverat, hic ad nihil ultra tenetur, quia
non intendit nisi curare Missam, prout communi-
titer fit, nempe dando stipendium ei, quod
prudenter judicabat lecturum, neque enim
se obligavit ad certum eventum secuturum.

431 §. 3. Qui vovit castitatem, peccat in eundo
Matrimonium, quamvis mutuo consensu
vellent esse casti, quia intentio voventis præsumit
tur fuisse abstinere à statu, vi cujus obligari potest
ad copulam carnalem, *Beja P. 2. Cas. 8.*

432 §. 4. Qui vovit orare Rosarium, satisfacit
alternatim orando cum alio, quia hic modus
orandi est ordinarius in Ecclesia, *Az. Bonac. Tam.*
Illsu.

Illung num. 108. contra *Castrop*; item satisfacit, licet per notabile tempus interrumpat unam decadem ab altera, quia nihilominus sufficienter uniuntur per intentionem orandi totum, *Trull. & Dian. P. 9. T. 8. R. 6.*

§. 5. Qui vovit quotidie audire *Misam*, satisfacit 433 die festo audiens unicam, *Suar. L. 4. c. 7. num. 15. Castrop. P. 12. n. 6. Tamb. c. 15. §. 6. n. 4*; etiam satisfacit, si audiêrit, licet immemor voti. Sed, quid si voluisset per illam *Misam* non satisfacere voto? *R.* Probabile est non satisfacisse, uti ex *Suar. & Laym.* docet *Busenb.* relatus *L. 1. n. 693*, quia ab ipsius voluntate pendebat debitum, ergo etiam ut maneret debitor; nihilominus etiam probabile est cum *Sanch. L. 1. c. 13. num. 18. Bonart. de Horis L. 2. c. 18. num. 11. Castrop. T. 3. D. 1. P. 17. n. 14. Dian. P. 3. T. 6. R. 77. P. 10. T. 15. R. 4. Gob. in Exp. T. 5. num. 206.* satisfacisse, quia licet debitum, ut existat, pendeat ab ipsius voluntate, non tamen ita pendet, ut permanere possit, si ponatur solutio sive materia Voti, tum enim huic satisfactum est, nisi fortè fieret novum Votum.

§. 6. Qui vovit alere pauperem, non satisfacit, 434 si alat Patrem suum egentem, quia censetur voluisse aliquid, ad quod non tenebatur ex Jure naturæ; item censetur voluisse facere eleemosynam, quod autem dat Parenti, est de Jure naturæ debitum & ex Justitia, quia Parens habet Jus ad alimenta à Filio, ita *Molina*, satisfaceret tamen, si Cognatum pauperem aleret, quia hunc alere non tenetur.

§. 7. Qui vovit peregrinari Romam, & tum 435 cogitavit peregrinari pedes, satisfacit, si peregrinetur eques, quia peregrinatio equestris est vera peregrinatio, & cogitatio peregrinationis pedestris non facit obligationem, nisi de ea etiam facta

facta fit promissio, ita cum aliis *Sanch. c. II. n. 3*
Tamb. n. 3; si curiositatis vel aliorum negotiorum
 causâ etiam conductus mercede iret Romanum
 dummodo simul adsit voluntas invisendi loca
 secundum intentionem priorem, satisfaciens
Castrop. num. 9. Tambur. Illsung n. 108. contra Sanch.

436 §. 8. Qui vovit peregrinari equitando, & postea
 equitandi occasionem non habet, non tenetur
 peregrinari pedibus, quia non vovit peregrina-
 tionem, nisi sub tali modo, qui difficultatem non
 biliter minuebat.

437 §. 9. Probabile est eum, qui vovit virginitatem
 non ideo teneri ad perpetuam castitatem, sed
 tantum ad servandam carnis integritatem, quam
 vox illa (*virginitas*) propriè significat, nisi constet
 aliam fuisse mentem voventis, aut ignorasset
 hanc significationem vocis, *Burgh. Cent. I. Cal. 5.*
 contra *Castrop. n. 7*; sed de hoc iterum dicetur n. 36
 potestque videri *Illsung num. 108*

438 §. 10. Qui vovit omnibus anni diebus jejuna-
 re non obligatur Dominicis, nisi aliunde de hac
 intentione constet, quia non est censendum
 voluisse se obligare contra receptam Ecclesie
 consuetudinem, *Sanch. Bonac. Castrop. num. 11*
Tamb. n. 11. Ills. supra, & alii; imò *Suar. L. 3. c. 6. n. 21*
 & *Sanch. L. 2. c. 37. n. 16.* dicunt Votum jejunandi
 ordinariè diebus Dominicis esse irritum,
 validum tamen est pro quibusdam Dominicis.
 Quòd si voveris omni anno jejuna-
 re certo die, si hic in Dominicam incidat, potes jejuna-
 re in Dominica, aut si velis, transferre in Sabbathum,
 accommodando te mori Ecclesie, nisi Sabbathum
 haberet aliud jejunium, *Sanch. à n. 17. putant tamen*
Boss. & Dian. P. 9. T. 8. R. 6. & P. 10. T. 16. R. 50. si quis
 vovisset per totum annum abstinere à carnibus,

etiam

etiam teneri in Dominicis, quia hoc non est contra morem Ecclesiæ, cum fiat in Quadragesima. Quod si vovit jejunare omni die Veneris, tenetur etiam illo anno, quo Nativitas Christi in diem Veneris incidit, uti dictum est n. 379, quia Ecclesia illos solos eo die eximit, qui nec Voto nec Regulari observantiâ sunt adstricti ad jejunandum, ita *Suar. Sanch. Bonac. Castrop. num. 12. Beja. Cas. 6.* dicens esse certum, quamvis oppositum teneant *Azor, Molin. Tambur. & alii cum Illfung*, nisi istum diem expressè voluisset includi voto. Vide dicenda p. 2. à num. 1319 Si tamen istâ die non jejunaret, probabilius est contra *Med.* non fore duplex peccatum, quia obligatio Præcepti per consuetudinem generalem Ecclesiæ sublata est, & Ecclesia tantum declaravit, se non velle tollere obligationem Voti vel Religionis: denique si tali die comedat carnes, toties peccat, quoties comedit, quia Votum hoc obligat pro singulis diei horis, non aliter ac Præceptum Ecclesiæ, *Suar. L. 4. c. 7. n. 9. & 12. Castrop. num. 15. contra Sanch. L. 4. c. 11. num. 42. Laym. L. 4. T. 4. c. 3. n. 3. Tamb. n. 12,* qui probabiliter negant, in illa sententia, quod sumptâ unâ refectione possit sumi multiplex, quia abstinentia à carnibus videtur tantum indirectè voveri, in quantum est quid accessorium ad jejunium, ergo si non sit obligatio jejunii, nec erit abstinentiæ: è contra Præceptum Ecclesiæ videtur æquè directè tendere ad abstinentiam à carnibus; unde si directè vovisses non comedere aliquo die carnes, fatentur omnes communiter cum *Diana P. 10. T. 14. R. 32. contra Pasq.* toties peccari, quoties caro comederetur, quia tale Votum esset negativum, planè simile Præcepto, quo Ecclesia prohibet carnes.

439 §. II. Si quis in juventute voverit certis diebus
 jejunare, probabile censent *Sanch. Fagund. Dian*
Tambur. L. 4. c. 5. §. 7. n. 9, si ad sexaginta anno
 pervenerit, non amplius teneri, quia Vota Jejunii
 non censentur emitti, nisi ad modum Jejunii
 Ecclesiastici, quod secundum probabilem senten-
 tiam sexagenarios non ligat: idem dicit *Tambur.*
 quamvis Votum Castitatis perpetuæ, quod
 ad mortem usque erat observandum, fuisse
 commutatum in perpetuum jejunium. *Nec referuntur*
 quod res subrogata dicatur sapere naturam ejus
 cui subrogatur, *nam Tamb. L. 3. c. 16. §. 4. n. 35.*
Illfung num. 146. dicunt hanc regulam Juris tantum
 tenere in favorabilibus; in contrarium tamen
 occurrit, quod ille, qui ante annum 21. vovit jeju-
 nare, teneatur, licet Præceptum Ecclesiæ tum
 non obliget, ergo Votum etiam poterit obligare
 post annum 60, licet fortè tum non obliget
 Præceptum Ecclesiæ; est tamen adhuc aliqua dispa-
 ritas, nam qui vovet ante annum 21., sufficienter
 cognoscit ætatem tum suam, & illam astringit
 ad Votum; hoc non est de ætate sexagenaria, de qua
 vovens non cogitavit, uti suppono, alioquin illam
 inclusisset aut exclusisset à Voto. Vide dicenda post
 à num. 1317.

440 §. 12. Si è tribus calicibus, quorum unus
 vovisti dare Ecclesiæ, fures rapiant duos, *Molin. de*
Sanch. c. 13. n. 19. putant te non teneri dare totum ter-
 tium, sed posse dividere cum Ecclesia, cum enim
 nullum determinaveris, videtur æquum, ut Ecclesia
 ferat partem damni; sed *Castrop. n. 26. Illfung n. 109.*
 cum *Bonac.* probabilius dicunt te teneri totum ter-
 tium dare, quia singuli toti sunt promissum
 sub disjunctione, nempe hic vel ille, ergo si reliqui
 quorum nullus dari possit, hic ultimus dari debet
 addi

addit tamen *Castrop.* num.29. satisfieri, si detur ejus pretium : quòd si tamen voluisses dare unum, quia habebas tam multos, ut posses carere uno, non videtur fuisse intentio dandi pro hoc casu, quo raperentur duo, hinc cessaret votum.

§. 13. Si scias te vovisse calicem, sed nescias 441
cui è duabus Ecclesiis, *Sanch.* num.8. putat te posse dare, cui voles, quia tota obligatio dandi est à te; sed *Castrop.* n.27. probabiliùs dicit te teneri dividere pretium pro qualitate dubii; unà si scires te aliquid debere, & nescires an Titio an Cajo, tenereris inter illos dividere: Ratio autem est, quia aliter te exponis periculo nulla ex parte implendi votum, fortè enim dabis illi, cui nihil vovisti; si verò divides, certum est te saltem ex parte implere Votum.

§. 14. Quando Votum non est impletum 442
tempore designato, si tempus ideo designatum est, ne nimium differretur executio, adhuc teneris post illud tempus, quia duplex erat obligatio, una ad rem faciendam, altera ad faciendam in tempore, & hac non impletâ manet illa principalior implenda: è contrà si intendisti ita affigere tempori, ut cum illo finiretur obligatio, elapso tempore non ampliùs teneris, quia obligatio diutiùs esse non potest, quàm illud, cui voluisti esse alligatam; hinc si vovisti omni die dare elemosynam, ut sic nulla dies elabatur sine bono opere, si unâ die omisisti, non teneris alterâ supplere; si autem vovisses dare ex pietate vel misericordia, tenereris postea supplere, ita *Tamb.* L.3.c.16. §.2.n.8.

§. 15. Si voveris jejunare pridie S. Francisci, 443
ipso autem Festo ingredi Ordinem, & pridie non jejunaveris, non teneris supplere, quia affixeras diei, nisi fortè voluisses jejunare, quia erat dies ante ingressum in Ordinem:

S

Si

Si autem isto Festo non sis ingressus Ordinem, postea teneris ingredi, quia hæc devotio respiciens Festum erat finis munitis principalis, & à principali qui semper manet, separabilis, *Tamb. num. 9.*

444 §. 16. Si voveris te facturum aliquid septimanæ sequente, licet postea prævideas fore impedimentum non teneris prævenire, quia necdum est tempus quo obligaris; potes tamen prævenire nisi illi septimanæ affixeris, quia quod eousque rejeceris, non fuit ad augendum sed imminuendum Votum: è contra si vovisti jejunare hac septimanæ in qua jam sis, ac prævides in fine fore impedimentum, teneris prævenire, quia jam es in tempore obligationis, ita *Bonac. Suar. L. 4. c. 10. num. Sanch. c. 11. n. 5. Laym. c. 3. n. 5. Tambur. c. 12. §. 3. n. 2. &*

445 §. 17. Qui vovit integro anno jejunare, in decursu per unam septimanam omittit, si intererat debet integro anno sine interruptione jejunare, tenetur iterum incipere annum; si autem expressam eam voluntatem non habuit, sed tantum voluit tot dies jejunare, quot sunt in anno, satisfacit postea supplendo: denique si voluntas expressa non ferebatur in annum tempus, sed tantum in multa jejunia, & per accidens annum tempus sumpsit; aut si voluit, quia erat specialis causa in tali anno, v.g. quia erat annus Jubilæi, illo elapso non tenebitur quidem supplere omisos dies.

446 §. 18. Causæ differendi Votum sufficientes sunt hæc singulæ; melior executio Voti; declinandus gravis molestia vel offensa aliorum; si te sentias necdum satis idoneum ad perferendum id, quod vovisti; si v.g. Carthusiam ingressurus velis prioris scientiæ multum utili studere, cui studere non licebit in Ordine &c, de quibus videri potest *Castrop. P. 13. num. 5. Gobat T. 11. n. 87.* putat etiam sufficientes

utilitatem publicam; item gravem necessitatem corporalem vel spiritualem, v. g. fororis. Quousque autem Votum differri possit absque mortali, difficile est definire, & universaliter dici potest, quod vota, quæ durant usque ad mortem, uti est Votum Religionis, minori tempore sint differenda, quàm alia vota, quæ in tempore finiuntur, uti sunt Vota eleemosynæ vel peregrinationis: Ratio est, quia hæc postrema Vota dilatione non minuuntur, sed quocunque tempore præstentur, integre præstantur: è contrà priora Vota dilatione minuuntur, quia cum vi Voti, v. g. Religionis obligeris Deo servire usque ad mortem, quantum differis Votum, tantum derrahis de tempore serviendi, & consequenter de Voto: putat quidem *Tambur. n. 10*, si sis quindecim annorum, non fore mortale, si differas ingressum in Religionem ad tres vel quatuor annos, attamen secluso periculo deficiendi à Voto; addit fortassis fore mortale, si differas ad octo vel novem annos, tum enim notabile tempus respectivè ad securam tuam vitam subtrahis servitio divino; si autem sis quadraginta annorum, dicit dilationem sex mensium fore notabilem & peccatum mortale; ubi autem Votum nullum tempus determinat, nec dilatio imminuit de fine Voti, nec incommodum adfert, nec habet adjunctum periculum omittendi, dicit cum *S. Antonin. apud Sanch. c. 14. n. 21.* probabiliter fore veniale tantum, quantumcunque diu differas, sed *Castrop. num. 7.* probabiliter dicit universaliter tum fore mortale, si sine causa differas Votum Religionis ad sex menses; reliqua autem, licet dilatione non minuantur, ad duos tresve annos, in eo enim est gravis deordinatio, uti si rem alteri debitam tamdiu sine causa differas dare;

non erit autem nè veniale quidem, si adsit rationabilis causa differendi; hinc rectè dicit *Diana P. 3. T. 4. R. 100*, si vovisti singulis mensibus confiteri, te ex causa posse per duos vel tres dies ultra mensem differre; imò si intra octo dies post mensem sequeretur solenne festum, & agrè bis intra octo dies confitereris, postes eousque differre; & idem est de anticipando, ex simili causa.

447 §. 19. Violatio Voti non est contra Justitiam, sed fidelitatem tantùm seu Religionem, hinc si vovisti dare pauperibus 100. aureos, quos Cajus tibi debet, si Cajo bonâ vel malâ fide remittas quinquaginta, non teneris pauperibus hos quinquaginta compensare, ita *Suar. Tamb. c. 16. §. 2. n. 11.* An autem violatio voti possit esse contra virtutem illam, ad quam spectat materia voti, vide *L. 1. num. 628. & 629.*

448 §. 20. Si materia totalis alicujus Voti fit in se parva, & tota omittatur, *Cajet. Arm. Tabien. Navar. Tolet.* dicunt peccari mortaliter, quia totum votum negligitur, quod videtur esse grave contra Religionem. sed *Ledesm. Sanch.* aliique communiter cum *Dian. P. 5. T. 5. R. 36.* rectè contradicunt, notantque Confessionem mortalium, Communionem, auditionem Missæ, jejunium unius diei, si voveantur, esse materiam gravem, quia præcipiuntur sub mortali: item materia gravis est lectio vel procuratio Missæ legendæ, quia continet maximum Dei cultum: Similiter qui vovit dare mille aureos pauperibus, si detrahat 50, peccat graviter, licet 50. respectu trium millium sint parva pars, quia secundùm se & in ordine ad finem, qui est sublevatio pauperum, sunt pars notabilis: è contrâ si detraheret tres tantùm aureos, non esset mortale: item

si voveris orare Rosarium, & omittas duas decades, non est mortale, licet duæ decades respectu Rosarii sint pars notabilis, scilicet tertia: imò Rosarium ipsum censetur quid exiguum in ordine ad cultum Beatæ Virginis vel Dei, *Tamb. L. I. c. I. §. 3. n. 21. Spor. T. I. c. 5. n. 30. §. 4.* Si dicas, esse mortale omittere Rosarium pro pœnitentia injunctum in Confessione peccati mortalis; hoc dato, disparitas est, quia ibi jungitur velut aliquid pœnosum, & si est notabiliter pœnosum, uti communiter censetur esse, est materia gravis; è contrà per votum fit tantùm veluti cultus Dei, qui non videtur esse notabilis in recitatione Rosarii: per Rosarium autem communiter intelligitur, non integrum Psalterium, sed pars ejus tertia, *Illsung n. 108.*

§. 21. Si quis diversis Votis voverit pro eadem die 449 multas materias leves, quæ simul sumptæ faciant gravem, *Sanch. & Bonac.* dicunt fore mortale, si omittantur, etiamsi materiæ illæ essent diversæ rationis, v.g. partim orationes, partim elemosynæ, quia omnes videntur uniri in hoc, quòd ratione Voti substant eidem virtuti Religionis, ergo constituunt unam materiam gravem, non aliter ac si unico Voto essent promissæ, uti (inquiunt) si quis homini promississet diversis vicibus plures leves summas, quæ simul sumptæ conficerent magnam, peccaret mortaliter negligendo omnes: Hæc sententia non videtur universaliter sustineri posse, alioquin mortaliter peccaret Beneficiatus, qui die festo parum omitteret de Horis, parum de Missa, parum de aliis Orationibus Voto promissis, ita tamen ut omnia simul sumpta essent materia gravis, quia hæc omnia substant eidem virtuti Religionis; hoc autem nemo dicet: item, si ejusmodi materiæ leves

per hoc unirentur in ordine ad constituendam unam gravem, quia substant eidem virtuti Religionis, ergo similiter plures materiae graves eidem virtuti substantes etiam unientur in ordine ad constituendam unam tantum materiam graviolem, ergo Beneficiatus non peccabit nisi unico peccato, si eodem Festo omittat Misfam & Horas, quod iterum nemo dicit: Argumentum autem illud, quod adducit Sanchez de pluribus promissionibus levibus pecunie eidem homini factis, est dispar, quia hae promissiones uniantur ex fine immediato, qui est utilitas istius hominis, qui promissiones acceptat, ita autem non uniantur materiae parvorum votorum, quae ex diversis occasionibus vel finibus promittuntur, hinc *Suar. Rhod. Herinx aliique cum Castrop. T. 1. D. 2. P. 9. num. II.* negant tales materias uniri, etiam si essent ejusdem rationis, ideoque dicunt omittendo omnes, peccari tantum venialiter, quod *Diana R. 55.* dicit esse probabile, ratio est, quia mens votantis nunquam fuit se obligare graviter, sed fecit singula Vota separatim ab aliis, ergo violatio unius non potest augere violationem alterius: Huic sententiae non acquiescit *Ovied. 1. 2. T. 6. Controv. 3. num. 137.* sed sic distinguit, si vota facta sint ex diversis motivis, v. g. unum ad honorem Passionis Christi, alterum ad honorem B. Virginis, tertium pro Defunctis &c, quamvis materiae sint ejusdem rationis, v. g. quamvis omnes sint precationes, dicit obligationes non continuari nec materias uniri, ideoque fore tantum plura venialia, si omnes illae materiae eodem die omittantur, quia ubi sunt distincti fines, ibi debent censerī distincta Vota & ad invicem impertinentia: è contra si facta sint ex eodem motivo, etiam si materiae sint

diversae

diversæ rationis, dicit censendum esse, quod tota materia per modum unius promittatur, & vovens voluerit se indivisibiliter ad omnia obligare, v.g. si quis in periculo naufragii prius vovisset quotidie orare Rosarium, postea in eodem periculo voveret quotidie dare Pauperi medium Imperialem, putat has materias coalescere, quia ultimum votum erat quasi ratificatio & augmentum prioris, adeoque ultimum videbatur tendere in utrumque objectum per modum unius, unde si unâ die omitteret ex utraque materia tam multum, ut inde resultaret materia gravis, putat fore mortale: addit num. 139, si quis pro eodem die voveat Missam audire, orare Rosarium, dare elemosynam &c, licet fecerit ex affectu erga eundem cultum divinum, non ideo materias illas uniri, neque ex levibus partibus omissis conflare unam gravem, quia motivum illud generale & mediatum Religionis non est sufficiens ad eiusmodi obligationes uniendas; quod verum putat cum *Castrop*, etiamsi materiæ illæ diversæ unico actu essent promissæ, quia talis actus esset propter materias diversæ rationis virtualiter multiplex, nam per materias diversæ rationis intelligit illas, quæ quamvis fortè pertineant ad eandem virtutem, tamen diversis Legibus præcipi solent, uti Missa & Horæ Canonice: Hæc *Oviedi* sententia spectatâ ratione videtur probabilior, nihilominus ante omnia inquirendum est in intentionem voventis, & in dubio de illa standum est pro minima obligatione, secundum dicta n. 381.

§. 22. Si quis materiam parvam quotidie ex voto 450
explendam omittat multis diebus consequenter,
aliqui apud *Dia. P. 3. T. 5. R. 24.* absolutè dicunt mate-
rias illas non uniri, nec unquam peccari mortaliter,

§ 4.

quantum-

quantumcunque sæpe omittantur : Alii absolute dicunt uniri, & peccari mortaliter, quando tam sæpe omittitur, ut simul esset materia gravis : *Argum. Gran. Vasq. Sanch. & alii* communiter probabiliter distinguunt, & dicunt, si Votum erat affixum diei, materias non uniri, sed obligationem transire cum die; si autem non erat affixum, materias uniri, & obligationem supplendi transire ad sequentes dies, ideóque posse tandem perveniri ad materiam gravem ; in dubio autem, an Votum ita fuerit affixum diei nec ne, *Sot. Ledesm. Suar. Laym. Castrop. Tann. & alii* cum *Dia. P. 5, T. 5. R. 52.* dant hanc regulam, ut si vota sint personalia, id est, de actione tantum præstanda à vovente, v. g. de orationibus, præsumatur obligatio desinere cum die ; si autem Vota sint realia, id est, de aliqua re alia præstanda, v. g. de elemosyna, præsumatur obligatio non desinere cum die, adeóque fore mortale, si tot diebus omittatur, ut fiat materia gravis : Ratio est, quia utraque Vota communiter fiunt cum tali intentione, ergo in dubio præsumuntur sic facta, quia ex communiter contingentibus est prudens præsumptio : rectè tamen notant *Castrop. T. 15. D. 1. P. 14. N. 5. & Herinx de pecc. D. 7. n. 53.* etiam in votis realibus quandoque præsumi posse, quòd obligatio desinat cum die, si nempe in singulis diebus reperitur motivum, ob quod facere voluisti omni die, v. g. quia per talem elemosynam voluisti à Deo obtinere opem ad speciale negotium tali die tractandum, hinc *Gobat T. II. num. 85.* rectè dicitur recurrendum esse ad intentionem voventis, an nempe voluerit alio die compensare, si uno negligeret ; in dubio autem dicit præsumendū esse quòd noluerit obligationes unius diei copulari cum obligatione alterius, ideóque semper peccari tantum

tantum venialiter, quia obligationes gratuita
sunt potius restringendae quam ampliandae, uti
dictum est num 381.

§. 23. Nemo tenetur manifestare se aliquid 451
vovisse, ut sic facilius obtineat media vel licentiam
implendi suum Votum, nisi saltem tacite ad hoc
se obligaverit, quia haec revelatio non est
inter media ordinaria, ad quae solum procuranda
se obligavit, ita *Navar. Suar. Sanch. Laym. L. 4. T. 4.*
c. 7. n. 7. Tambur. L. 3. c. 12. §. 5. num. 7. contra *Sotum,*
Arnil. Az. Lesf. Eum autem, qui dolet se aliquid
vovisse, non ideo peccare mortaliter, habet *Busenb;*
peccare tamen venialiter putant *Castrop. & Tamb.*
§. 2, quia ponit aliquid retardans executionem; sed
melius negat *Suar. de Voto L. 5. c. 7.* quia uti potuit
non vovere, ita optare potest non vovisse,
maxime si minus caute, vel tale aliquid voverit,
propter quod sit ipsi periculum gravius vel saepius
peccandi.

Q. II4. Ad quid teneatur, qui vovit nunquam 452
amplius ludere, v.g. chartis. R. cum *Gob. T. II. à n. 524.*

§. 1. Si vovisti absolute non ludere, nil cogitando,
an de lusu tantum immoderato & periculoso
intelligeres, an etiam de moderato, non teneris
abstinere à lusu moderato, quia votum in dubio
explicari debet in favorem voventis, uti dictum est
n. 381, & docent cum aliis *Bonac. de Juram. q. 1. p. 16.*
n. 4. *Tamb. c. 3. §. 5. n. 57. Dian. P. 7. T. 9. R. 56.*

§. 2. Si vovisti, intelligendo lusum etiam 453
moderatum, teneris abstinere etiam ab hoc, quia
perfectius est hoc privari propter mortificationem,
S. Th. 2. 2. q. 168. art. 2. in O. Sanch. Bonac. Castrop. T. 14.
D. 2. P. 7. §. 1. n. 3. Tambur. num. 58.

§. 3. Ex fine, ob quem vovisti, colligi potest, 454
an comprehenderis lusum etiam moderatum;

item an voveris non ludere etiam pro alio, nam
 1. Si intendisti vitare jacturam tuæ pecuniæ,
 exclusisti solum lusum immoderatum, & quidem
 eum, quo ludes pro te, nam ludendo moderatè
 aut pro alio, non incurris istud malum, hinc licebit
 ludere moderatè vel pro alio; imò & per alium
 traditâ ei pecuniâ & aspiciendo, nisi aliter conste-
 de mente tua, ita *Bonac. num. 5. Sanch. L. 3. c. 18. n. 7.*
Dian. R. 57. Castrop. num. 5. Gob. n. 526. Ratio est, quia
 licet hic inveniatur finis, ob quem vovisti, tamen
 res propriè non comprehenditur sub materia
 promissa, verè enim & propriè non ludit, pro quo
 alius ludit. 2. Si voluisti redimere jacturam tempo-
 ris, comprehendisti ludum etiam moderatum,
 itémque lusum pro alio, quia verè ludes
 cum jactura temporis; poteris tamen per alium
 ludere, licet aspiciendo perdas tempus, *Castrop.*
Tamb. à n. 59. 3. Si eo fine vovisti, ut vitares rixas,
 blasphemias, juramenta, hæc si nascantur, uti com-
 munitè nascuntur ex lusu, si fiat nomine proprio,
 aut ex jactura propriæ pecuniæ, non autem peri-
 culum habeas, si ludas nomine alieno vel per alium,
 licebit tibi ludere nomine alieno vel per alium;
 imò & ludere licebit per alium, licet hæc incom-
 moda timeantur, quia re ipsa non ludis, uti antea
 dictum est; item licebit tibi facere sponsiones
 de hoc vel illo lucraturo, quia hoc non est propriè
 ludere, *Bonac. supra, Sanch. num. 8. Dian. R. 58.*
 Addit *Gob. supra,* si vovisti non ludere ad vitandas
 rixas, non fore mortale ludere cum hominibus
 notoriè pacificis: hinc 4. Universaliter loquendo,
 ex consideratione finis, propter quem vovisti,
 potissimùm metienda est gravis vel levis
 transgressio Voti, si v. g. vovisti non ludere,
 ne pecuniæ jacturam faceres, non peccas graviter,

si notabilem summam non exponas periculo
jacturæ, neque si pro alio ludens multum perdas:
Si autem ideo vovisti, ne tempus perderes,
si non consumis tempus notabile, v.g. plus quàm
duas horas, non erit mortale, & ita de aliis; *Fagund.*
Castrop. Sanch. num. 7. Tamb. num. 60.

§. 4. Si vovisti non ludere, donec Pater tuus 455
domum rediret, qui tamen in via moritur, putant
Bonac. n. 6. & Sanch. n. 15. te nunquam posse ludere,
quia nunquam redit Pater, sed *Tambur. num. 64.*
rectius dicit ex mente voventis tantum esse obliga-
tionem abstinendi ad tale tempus, quo Pater
commodè potuisset rediisse.

§. 5. Si vovisti non ludere, nisi volente Cajo, 456
si Cajus moriatur, non amplius obligaris abstinere;
si autem fiat furiosus, adhuc obligaris, quia
voluntas absolutè cesfat per mortem, non autem
per furorem, ergo secutâ morte non amplius atten-
ditur, sed secuto furore adhuc expectari potest,
Sanch. num. 14.

§. 6. Si in vindictam vel signum malæ voluntatis 457
vovisti non ludere cum certo homine, Votum
non debet servari, ne sit fomentum iniquitatis:
item si vovisti non ludere cum certo homine,
in certa domo, certo genere ludi, quia credebas
hominem illum esse fortunatum, te in illa domo
vel ludo specialiter esse infortunatum, etiam
non debet servari, quia hoc est superstitiosum, ergo
nequit esse materia Voti, *Navar. Sot. Sanch. num. 9.*
Bonac. P. 4. n. 2. Castrop. num. 7.

§. 7. Mulier, quæ vovit non ludere, ut sic testetur 458
dolorem de morte Mariti, non tenetur abstinere,
quia hoc Votum est vanum vel de re indifferente,
Tambur. c. 15. §. 4. n. 3. Gob. num. 527. Si tamen
vovisset in gratiam Affinium, teneretur, quia
Votum

Votum in gratiam hominis factum obligat licet sit de re indifferente, si homo, in cuius gratiam voverit, promissionem acceptaverit.

459 Q. 115. *Ad quid teneatur, qui vovit non bibere vinum.* R. §. 1. Teneatur efficaciter non desiderare bibere, nam qui promittit non bibere, primario promittit non velle bibere, quia voluntas bibere esset voluntas violandi votum: non peccat tamen, si morosa cogitatione detineret in delectatione potus, quia per votum non bibere tantum excluduntur actus directe tendentes in transgressionem Voti; nec peccaret, si inefficaciter desideraret sub conditione Voti absentis.

460 §. 2. Quamvis voverit non bibere vinum ut sic vitaret ebrietatem, tamen non tenetur abstinere à cerevisia vel aliis potibus inebriantibus, est communis cum *Sanch. L. 4. c. 11. n. 44.* & aliis contra *Cajetan.* & *Baldell.* Ratio est, quia non sunt vinum, hic autem in re odiosa non debet fieri extensio ad illa, quæ non comprehenduntur verbis; imò etiam probabile est non tenetur abstinere ab eo liquore, qui aliquo nomine vitæ afficitur, sed ita à natura vini discessit, ut non sit materia apta Consecrationi, quale est vinum adustum, *Gob. in Quin. T. 5. c. 4. n. 11.*

461 §. 3. Potest in Missa sumere utramque abtentionem, *Azor L. II. c. 20*; aut si sit Laicus, abtentionem post Communionem, *Pasq. in Praxi Jeju. Decis. 235*; & in utroque assentitur *Gobat num. 10*, quia hæc non veniunt nomine potus vini quem quis censetur sibi velle interdiceret.

462 §. 4. Si non possit servare votum, nisi parum vini sumat, tenetur parum sumere, quia qui tenetur ad finem, tenetur ad medium facile & ordinarium *Pasq. Decis. 242. Dian. P. 3. T. 5. R. 61.*

§. 5. Quando vovit eo fine, ut non inebriaretur, ⁴⁶³
 si bibat vitrum, materia est levis, imò si bibat
 multum, non peccat mortaliter, dummodo certus
 sit hic & nunc abesse ebrietatis periculum: si autem
 vovit, quia per potum dilapidabat sua, tunc
 tantum peccat mortaliter, quando bibendo dila-
 pidat notabilem quantitatem pecuniæ; unde
 si de alieno bibat, non peccat, *Sanch. num. 3. & 6.*
Gob. num. 13. & 15.

§. 6. Si voverit unicè ob mortificationem gulæ, ⁴⁶⁴
 si ex eo nullam percipiat voluptatem, licitè bibet,
 quia Votum habet se uti Lex privata pro hoc
 homine lata, ergo cessante pro hoc causâ adæquatâ
 cessat Votum, *Sanch. Gob. n. 14.* Si autem vovisset ex
 motivo temperantiæ, etiam si voluptatè perciperet,
 tamen ut materia esset gravis, deberet tam multum
 bibere, quantum pro potu unius prandii ordinariè
 sufficit homini temperatè vino utenti, v.g. dimi-
 dium mensuræ, cujus proinde tertia vel quarta pars
 esset materia tantum levis, *Sanch. Cap. 12. num. 21.*
Castrop. T. 15. D. 1. P. 12. n. 21. Dian. P. 5. T. 5. R. 37.
Spor. T. 1. c. 5. n. 30. §. 4.

§. 7. Qui vovit se totâ die non gustaturum vinum, ⁴⁶⁵
 si sæpius per diem bibat, primâ tantum vice peccat,
 ita *Az. supra, Gob. n. 17.* Ratio est, quia talem intendit
 abstinentiam, quâ dicere possit, hodie non gustavi
 vinum, vino autem semel potò, non potest hoc dici,
 uti secundum *Sanch. c. II. num. 45. Pasq. Decis. 230,*
 qui hodie vovit jejunare in pane & aqua, intendit
 tale jejunium, quo dicere possit, hodie præter panem
 & aquam nihil à me sumptum est, unde si sæpius
 vinum poterit aut alium cibum edat, solâ primâ vice
 peccat; si tamen vovisset se hodie bibiturum
 solam aquam, toties peccaret, quoties alium
 liquorem biberet.

§. 8.

466 §. 8. Si voverit non bibere vinum, ob ma-
quæ causat vinum, non cogitando de hoc vel illo
quamdiu vinum ei causare potest aliquod malum
tenetur abstinere, quia manet finis Voti.

467 Q. 116. *Quomodo obligatio Voti conditionalis
sit explicanda.* R. §. 1. Si conditio tota non sit pende-
ab arbitrio voventis, peccat contra Votum,
ante impeditam conditionem reddit se impotentem
ad explendum Votum, quia vovens tum nolo
obligationem Voti subesse soli arbitrio suo, sed
etiam conditioni ab alio pendenti: è contra
si tota conditio pendeat ab arbitrio voventis
potest ante illam impeditam reddere se impotentem
ad Votum, quia tum & materia Voti & conditio
planè subdita est ejus voluntati, v.g. qui vovit Reli-
gionem, si sanitatem recuperet, peccat ineundo
matrimonium, quamdiu spes est recuperandæ sani-
tatis; si autem vovit sub conditione, si adhuc sermo
se inebriet, potest inire Matrimonium, antequam
se inebriet, ita cum aliis *Castrop. P. 17. num. 6. & 7.*
Gob. T. II. n. 34.

468 §. 2. Quando impletio conditionis non est
præcepta, qui impedit eam finè dolo, non peccat
contra Votum, v.g. vovisti Religionem, si es
doctus, si negligas doctrinam, non eo fine, ne debeas
fieri Religiosus, sed quia piger es & laborem fugis,
vel aliis te occupas, non agis contra Votum, *Sanch.*
Castrop. Illsung T. 5. num. 114. Laym. dicens
esse certum: Si autem impletio conditionis sit
præcepta, uti quando quis vovit Religionem,
si toto anno non peccaret contra castitatem,
si eâ intentione peccet, ut ab obligatione liberetur,
illudic Deo, & peccat contra Votum; probabile
tamen est etiam tum liberari ab obligatione Voti,
ita Laym, Castrop, num, 12. Gob. n. 35. Illsung n. 116.

con

contra Navar. Az. Sanch. & alios. Ratio est, quia tum reipsa non impletur conditio, ergo Votum nunquam acquirit obligationem absolutam, quam tamen vovens intendebat; estque per accidens, quòd reportet commodum suæ malitiæ. Nec obstat, quòd dicatur L. In executione §. ult. ff. de verb. oblig: *Quicumque sub conditione obligatus, curaverit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur*: Et Reg. 66. Juris in 6. *Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quò minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset*, nam Textus illi loquuntur de promissione acceptata, quæ causet obligationem Justitiæ, ideòque fiat injuria, si conditio ex malitia impediatur, consequenter sic impediens tenebitur reparare damna secuta; è contrà Votum soli Deo factum causat tantum obligationem Religionis, Religio autem non obligat ad reparanda damna secuta, nec prius obligat, quàm Votum fuerit absolutum & conditio impleta.

§. 3. Si conditio pendeat à consensu alieno, 469
v. g. vovisti Religionem, si Pater tuus consentiat, potes rogare Patrem, attamen sinè vi aut dolo, ut non consentiat, *Suar. Laym. Gob. Illf. Castrop. n. 8.* contra *Sanchez*, qui c. 23. n. 45. pro contraria sententia malè citat certum omnium assensum: Ratio est, quia nè implicitè quidem vovit non ita rogare, uti suppono, & utens Jure suo non censetur facere fraudem: Si autem Pater moriatur, mors habetur pro consensu, adeòque filius tenebitur, *Laym. Sanch. c. 8. n. 47. Tambur. c. 15. §. 6. n. 10*, addens cum *Illfung* num. 112. Votum sub conditione, si Pater consentiat, obligare eo non contradicente, quamvis positivè non det consensum; nec videtur requiri, ut Votum Patri fuerit propositum, ut

ut vult *Sanchez*, re ipsa enim censeri potest consentire, ut filius Religionem ingrediatur, quamvis de ejus Voto nihil sciat: Item Votum obligat, licet Pater primò contradixerit, dummodo postea consentiat, quia intentio fuit vitare offensam vel turbationem Patris, quæ tunc vitatur, ita *Sanchez* & alii contra *Castrop.* & *Illsung*; si autem prius consenserit & postea consensum retractet, *Laym.* & *Sanch.* putant adhuc teneri, quia conditio per antecedentem consensum est impleta, sed *Illsung* & *Tamb.* num. 9. probabilius negant, quia conditio non est impleta secundum mentem voventis, qui uti suppono, voluit evitare offensam aut molestiam Patris.

- 470 §. 4. Si quis, quia habet Patrem & sororem indigentes, voveat anno sequente ingredi Religionem, si Pater interea moriatur & soror in ea Matrimonium, si hi supervivant & subsideant, aut aliunde illis provideatur, *Laym.* & *Sanch.* c. 23. n. 27. dicunt teneri Voto, quia mentis voventis fuit ingredi, si levaretur indigentia patris & sororis, quæ nunc levata est: oppositum etiam probabiliter tenent *Castrop.* *Tamb.* & *Illsung* n. 11. quia obligatio voti non debet extendi ultra sensum verborum, verba autem voventis non dicebantur, si indigentia illorum quomodocunque levaretur, sed, si levaretur per mortem Patris & per matrimonium sororis; & quamvis Jus positivum apud *Castrop.* n. 5. disponat, ut in aliis contractibus fit satis, si conditio appositæ per aliud quodcumque medium impleatur, tamen sic non disponit in materia Votorum, ergo cum hæc materia sit onerosa, dispositio Juris non debet ad eam extendi.

Q. II7. *Quid dicendum sit de Voto pœnali. R. §. I. 471*

Notandum cum *Ills. T. 5. n. 117.* Votum pœnale posse fieri tribus modis: 1. Ut non voveatur evitatio culpæ, sed sola pœna, si intervenerit culpa, v.g. *voveo Jejunium, si me inebriavero.* 2. Collectivè promittendo evitacionem culpæ & solutionem pœnæ post admisam culpam, uti, *Voveo non inebriare me, & si me inebriavero, voveo Jejunium.* 3. Disjunctivè promittendo utrumque, vel evitacionem culpæ, vel solutionem pœnæ, uti, *voveo vel me non inebriare, vel si me inebriavero, jejunare.* In primo casu, materia Voti non est culpa, sed sola pœna, hinc si se inebriet, non tenetur in Confessione facere mentionem Voti. In secundo, materia Voti est culpa & pœna, hinc dum confitetur inebriationem, tenetur addere esse contra Votum. In tertio, culpa non est determinatè materia Voti, hinc confitens inebriationem non tenetur meminisse Voti, dummodo postea jejunet; si tamen se inebrians noluisset postea jejunare, contraxisset simul malitiam contra Religionem, deberetque in Confessione addere se peccasse per ebrietatem cum animo non solvendi pœnam, ideo sibi ex Voto impositam.

§. 2. Si Cajus vovit non inebriare se sub pœna 472
Jejunii, si se inebriet sinè ulla culpa, non obligatur ad pœnam, uti habet communis cum *Gob. T. 11. n. 31;* & universaliter, quando quis excusatur à Voto, etiam excusatur à pœna, *Tamb. L. 3. c. 12. §. 7. n. 4.* Si se inebriet cum levi culpa, etiam non tenetur, quia gravis pœna non censetur volita pro levi culpa, *Tambur. n. 5.* Si se inebriet cum gravi culpa, sed planè immemor voti, etiam non tenetur, quia non peccat contra votum, quod tum non cognoscit, *Sanch. L. 4. c. 22. n. 18. Dian. P. 3. T. 6. R. 41.*

T

§. 3

473 §. 3. Si se inebriaverit cum culpa gravi & memor Voti, sed immemor pœnæ, *Dian. supra Castrop. T. 15. D. 1. P. 18. n. 3. Illsung n. 120.* docet non teneri ad pœnam, quia censetur ideo sibi imposuisse pœnam, ut deterreretur à culpa, sed si de pœna non cogitaverit, non poterat per pœnam deterreri à culpa, ergo nec mens ejus fuit tum obligari ad pœnam: Oppositum tenent alii cum *Laym. L. 4. T. 4. c. 5. n. 3.* nam per pœnam, quam persolvit deterrebitur à relapsu in posterum; limitat *Sanch. n. 19. & Gob. n. 32.* nisi pœna esset gravissima, v. g. Religionis, castitatis, peregrinationis transmarinæ, quia non videtur se voluisse ad tantas graves pœnas obligare, nisi gravissimè peccaret contra Votum, id est, nisi illud transgredere-
 memor tantæ pœnæ sibi impositæ. Vide dicta *L. 1. à num. 767.*

474 §. 4. Si dubium sit, an voverit pœnam solvere toties, quoties transgredere-
 tur, an autem tantum semel post primam transgressionem, aliqui dicunt teneri toties quoties: *Sa v. Votum. num. 26.* dicunt teneri tantum primâ vice, quod admittit *Laym.* si tantum voverit solvere pœnam, non autem si etiam voverit vitare culpam, & hoc probabiliter putat *Castrop.* sed *Tambur. num. 2. Spor. T. 3. c. 2. n. 5.* *Sanch. num. 21. Dian. P. 7. T. 9. R. 60. Illsung num. 120. Castrop. n. 6.* sic distinguunt, si pœna est ordinaria quæ iterari consuevit, uti est Jejunium, tenetur toties quoties; si fit gravissima, & quæ iterari non consuevit, tenetur tantum primâ vice, quod sic communiter voverit homines & sibi pœnam imponunt, ex communiter autem contingentibus est prudens præsumptio. Addit *Sanch. supra* in dubio an pœna sit exorbitans an mediocris obligari toties quoties, cum enim tale Votum
 commu-

communiter & ex natura sua obliget *toties quoties*, videtur esse in possessione.

§. 5. Si scias, quod tibi pœnam imposueris, & 475 nescias quam, *Tambur.* dicit probabile esse, quod non tenearis ad ullam, sed probabilius est oppositum, quia habes certitudinẽ, quod tenearis ad aliquam, ergo teneris determinare tibi aliquam, qualem prudenter præsumes te in istis circumstantiis imponere voluisse.

§. 6. Si nescias, an sub pœna emiseris Votum, 476 non teneris ad ullam pœnam, quia nemo tenetur pœnam solvere aut sibi imponere, si certa non sit obligatio, cum libertas possideat, *Tambur.* num. 3.

§. 7. Probabile est eum, qui petit absolutionem à Voto vitandi culpam sub pœna, non teneri dicere de pœna, quia Votum de culpa & pœna sunt quasi unum Votum, cum Votum pœnæ sit ad confirmandam voluntatem in evitacione culpæ; causa autem, quæ sufficit ad tollendam obligationem primam, etiam sufficit ad secundam, ita *Sanch. Laym. Castrop.* num. 4. *Tamb* §. 5. n. 5. *Ills.* n. 119, qui cum *Sanch. Laym. Castrop.* num. 5. rectè addit, si quis absolvatur à Voto vitandi culpam, simul absolvi à Voto solvendi pœnam, quia sublato principali tollitur accessorium in principali fundatum.

Q. 118. *An Votum per alium impleri possit vel 477 debeat.* R. Multa huc spectantia habentur à n. 337, ubi dictum est, quomodo obligatio Juramentum dicatur esse personalis, similis enim est ratio de Voto: *Busenb.* relatus n. 427. etiam aliqua resolvit, sed adhuc addenda quædam.

§. 1. Votum personale non potest impleri per alium, reale potest, dummodo fiat ex re propria votentis, ita tenent omnes: hinc

si Cajus voverat aliquem mittere Lauretum cum hoc Votum sit reale, transit ad hæredes ejus obligatio, *Lesf. in Auct. v. Testamentum. Cas. 14.* ubi addit cum communi tale Votum testatoris ad obligationem hæredis non posse à Confessari commutari, quia hæres ipse non tenetur ex Voto suo, sed ex quasi contractu, uti docet idem *Lesf. de Just. L. 2. c. 40. num. 66*; uti si promissum Titio Votum ejus solvere, non possum te liberare non enim potest Votum commutari, nisi volente & petente auctore voti, cum requiratur acceptatio ejus circa novam materiam: Posset tamen commutari Nuncius Apostolicus, si magnus sumptus requireretur, & hæres esset tenuis; item in hoc casu posset peregrinatio cum munere offerendo præscripta à testatore, eadem operâ obiri ab aliquo qui illuc peregrinaretur, *Lesf. in Auct. supra.*

478 §. 2. Si Cajus Religionem ingressurus valedicens Parocho voveat se Ecclesiæ, in qua baptizatus est, daturum calicem, sub finem autem Novitiatus instituat Monasterium pro hæredibus si Cajus postea profiteatur, Monasterium ad hæredes tenetur, quia professione extinguuntur omnia vota personalia & realia, hæres autem non tenetur solvere Vota tempore aditæ hæreditatis extinctæ. Si Cajus noluisset suum votum professione extinguere, putat *Bonac.* Monasterium teneri, quia Votum non poterat commutari sine voluntate profitemis, sed *Castrop.* dicit adhuc fore extinctum, quia Professio ex se est perfectissima solutio omnium votorum antecedentium, neque voluntas profitemis potest hanc solutionem impedire: Si tamen Cajus promississet Ecclesiæ, & Parochus nomine Ecclesiæ promissionem acceptasset, Monasterium tenetur, hæc enim promissio acceptata deducit

novum

novum Jus Ecclesiæ, quod Professione non extinguitur: Quòd si Cajus mortuus fuisset ante professionem, Monasteriũ etiam teneretur, quia non esset hæres per professionem, sed per mortem Caji, mors autem non extinguit Vota realia. Plura videri possunt apud *Castrop.* T. 15. D. 1. P. 15. & 16.

Q. 119. *Quo ordine veniant solvenda debita, vota,* 479
legata. R. §. 1. Debita Justitiæ prius solvenda sunt, quàm Vota realia, tum quia Deus non acceptat Vota cum præjudicio Juris à tertio quæsitæ; tum quia Vota solvenda sunt ex bonis defuncti, res autem alienum est potius alterius, quàm defuncti; tum denique quia debita Justitiæ extrahuntur ex toto cumulo hæreditatis, non autem vota.

§. 2. Vota solvenda sunt ante legata, quia Vota obligant defunctum, non autem legata, ergo censendum est, quòd sit major obligatio illorum quàm horum.

D U B I U M V.

Quot modis tollatur obligatio Voti.

R. Dupliciter tolli potest, 1. Nullius auctoritate interveniente: idque vel materiæ commutatione; ut si materia antè honesta fiat turpis, indifferens, vel impeditiva majoris boni, ratione novæ circumstantiæ vel prohibitionis; vel si fiat impossibilis, absolutè aut moraliter; vel desitione conditionis, à qua pendeat. 2. Interventu auctoritatis humanæ: idque tripliciter: irritatione, commutatione, vel dispensatione: de quibus sequentibus Dubiis. Est communis. *Sanch. L. 4. c. 24. Lesf. Lib. 2. Cap. 40. Dub. 11. Suar. Fil. T. 26. c. 8. Unde resolves,*

T 3

I. Et si

- I. Et si tuâ culpâ materia facta sit impossibilis
 inutilis, &c. tamen postquam jam talis facta est
 cessat obligatio, & sufficit pœnitere de culpa.
- II. Si concurrat obligatio duorum Votorum
 impossibilem, implendum est id, quod est
 præstantius, & Deo gratius; alterum cessat.
 Quod si verò sit æquale, aut nescias, utrum sit
 melius, implendum est, quod priùs vovisti, &
 ruit posterius: Si & hoc nescis, libera est electio.
Vide Trull. L. 2. c. 2. D. 9.
- III. Si materia Voti fiat impossibilis quoad
 partem tantum, tunc si commodè talis materia
 dividi non potest, aut non solet, ad nihil teneris.
 v. g. vovisti ædificare templum, si totum
 non potes, non teneris ad partem:
- IV. Si verò dividi commodè potest, & solet,
 manet obligatio ad illam partem, quam potes.
 v. g. I. Qui non potest jejunare totâ hebdomadâ
 potest autem aliquot diebus, ad hoc tenetur.
 Qui Matrimonium contraxit, & consummavit
 post Votum Castitatis, tenetur non petere debita
 cum eatenus Votum adhuc sit possibile.
 (reddere enim debet.) *v. Bonac. D. 4. q. 2. P. 7. §. 1.*
- V. Quod si Votum dividi quidem possit, sed
 unum in eo sit principale, reliqua verò accessoria
 tantum, non per se seorsim intenta, sed dependen-
 ter à priori, tanquam illius appendices &
 modi, tunc si principale fiat impossibile, ruit
 etiam obligatio accessorii, non autem contra:
 v. g. vovisti peregrinationem Romam in cilicio,
 & ibi certi aliquid offerre; si peregrinatio
 impossibilis fiat, non teneris cilicium ferre, &
 oblationem mittere, *v. Sanch. c. 10. Bonac. P. 4. §. 4.*
Trull. c. 1. D. 10. num. 5.

ADDENDA

A D D E N D A.

Q. 120. *An Votum Castitatis aut Religionis obliget, 481*
si ille, qui vovit, sit ita proclivis in luxuriam, ut ipsi
salubrius videatur inire Matrimonium. R. Non obli-
gare putant Ledesm. Bonac. & alii apud Moyam T. 2.
 D. 1. Q. 1, qui num. 20. vocat sententiam illam
 valde probabilem; idque tenent plures,
 etiamsi illa fragilitas supervenisset post emissum
 Votum; rationem dant, quia Votum debet esse,
 & jam non esset de bono meliori. Non audeo
 sententiam illam dicere absolutè probabilem,
 hinc tenenda est opposita cum *Sanch. Castrop. Moya*
 & aliis, quia absolutè majus bonum est Status
 Castitatis & Religionis, potèstque, qui vovit,
 aliis mediis reprimere luxuriam, & Voto suo
 se implicitè obligavit ad illa alia media adhibenda,
 ergo tenetur Voto usque dum allegatâ hac causâ
 dispenseretur. *Confirmatur*: quia aliàs, qui etiam
 per culpam contraxisset proclivitatem ad luxu-
 riam, hoc ipso liberaretur à voto, quod nemo dicet,
 quia daret multis illicitum luxuriandi, ut tandem
 votum excuterent.

D U B I U M VI.

De Voti Irritatione.

A R T I C U L U S I.

An & quomodo tollatur obligatio Voti
per directam irritationem.

Resp. Cùm non debeat violari cujusquam ^{cc 482}
 dominium, ac quilibet Dominus possit uti ^{cc}
 suâ libertate; hinc si potestati domi- ^{cc}
 nativæ alterius sit subjecta alicujus voluntas, ^{cc}

» potest is subditi istius omnia vota, qualiacunque
 » sint, ad suum libitum, sine ulla causa, valide irri-
 » tare directè, hoc est, potest velle & pronunciare,
 » ut illa Vota nulla sint, ita ut nullo etiam casu obli-
 » gatio postea reviviscat (et si peccent, si absque causa
 » irritent, ut docet *Lesf. Lib. 2. Cap. 40. num. 69. No-*
 » *Suar. Fill.*) Porro hoc Jus provenit ex Jure po-
 » tivo, quo datur alicui legitima potestas domine-
 » tiva in voluntatem alterius. *Ita communiter DD.*
 » *Vid. Sanch. L. 4. c. 24. num. 30. & 31. Unde resolvit*
 » I. Quivis Pater, & in ejus defectu, Avus paternus
 » Tutor, imò etiam mater, non tantum si tutrix sit
 » sed etiam in priorum defectu, & secundum
 » quosdam, reliquis deficientibus, etiam Magister
 » vel herus, ut *Suar. Lesf. num. 82. contra Sanchez*
 » potest directè irritare vota liberorum impube-
 » rum; ut colligitur ex *c. Mulier 32. q. 2. cap. 1. & 2. n.*
 » *q. 1. Et Cap. Si quis. de Regular. Impubertas autem*
 » (secundum Jura) finitur in masculis anno decimo
 » quarto completo, in feminis duodecimo com-
 » plecto, à die nativitatis computando, ut *Sanch. l.*
 » *v. Laym. T. 4. c. 7. n. 10. Bonac. D. 4. q. 2. P. 7. §. 2.*
 » II. Vota Religiosorum (non tamen Novitiorum)
 » etiam sub Prædecessoribus emissa, irritare
 » possunt directè præter Papam, Abbates,
 » Guardiani, Priores & Rectores, ac probabiliter
 » etiam Abbatisæ, ut habet *Suar. L. 6. de Vota*
 » *c. 7. n. 19. Regin. L. 18. n. 342. Fill. Bonac. num. 26. Exce-*
 » pitur tamen Votum transeundi ad Religionem
 » strictiorem, v. *Binsfeld 1. P. Enchirid. c. 9. Lesf. n. 79*
 » *Sanch. c. 14. n. 30. Bonac. l. c.*
 » III. Item potest, secundum *Sanch. Lib. 9. de Mat.*
 » *Disp. 39.* Maritus respectu votorum uxoris
 » licet probabilius id alii limitent ad ea Vota, qua
 » mariti Juri præjudicant. *Laym. L. 4. T. 4. c. 7. n. 11*
 » *Fill. Tract. 26. c. 8. q. 8. Lesf. num. 89.*

IV. Qui semel Votum irritavit, si postea nolit, non ideo revalidatur, *vid. Sa V. Irritatio Voti.*

V. Nullus supradictorum potest directè irritare vota emissa ante subjectionem, v.g. ante Matrimonium; facta verò intra tempus subjectionis, de re implenda post tempus subjectionis, v.g. in pubertate, vel post obitum mariti, possunt irritare. *Bonac. l.c.*

VI. Votum, de quo dubium est, utrùm emiseris tempore libertatis, an subjectionis, non posse irritare Superiorem, docet *Salas T. 2. q. 21.* Et *Caram. L. 3. c. 1. d. 1.* Sed contrarium tenet *Suar. Sanch. Bonac. & alii cum Bardi D. 6. c. 1. §. 28.*

VII. Facta tempore subjectionis, possunt adhuc irritari post illud; v.g. quando filius jam est pubes. Quod verum est, et si in pubertate ea ratificasset, putans ex errore esse firma: secus tamen, si infirma esse novisset, & independenter à prioribus ratificasset, v. *Leß. Lib. 2. c. 40. Dub. 14. n. 83.*

VIII. Supradicti possunt revocare, ac directè irritare vota, et si semel ea ratificaverint, quia non privarunt se dominio & potestate suâ. v. *Suar. de Voto. L. 6. c. 6.* Quòd si tamen id sine causa fiat, erit (secundùm quosdam) peccatum mortale, licet probabilis id neget *Suar. c. 4. & Laym. h.c.*

IX. Prælatus potest irritare votum subditi à Prædecessore æquali vel inferiore confirmatū, non tamen à superiore. *Vide de his Bonac. l.c. §. 2. Laym. c. 7.*

A D D E N D A.

Q. 121. *Per quid irritatio differat à dispensatione Voti.* R. Irritatio est ablatio obligationis facta nomine proprio per potestatem dominativam in personam voyentem, aut in rem, de qua fit votū:

T 5

è contrà

è contrà dispensatio est ablatio obligationis facta nomine alieno, scilicet Dei, qui potestatem Jurisdictionis dat quibusdam in Ecclesia ad tollendam, ubi causa est, voti obligatione, *Sanch. L. 4. c. 24. n. 14.*

484 Q. 122. *An Papa vel alii Pralati Ecclesia possint directè irritare Vota Christianorum.* R. Aliqui affirmant, quia Vota subditorum semper imbibunt hanc conditionem: *Si Superior consenserit, seu non contradixerit*, Papa autem est Superior Christianorum & Episcopus Diocesanoꝝ: Oppositum tenent *S. Thomas* aliique communiter cum *Sanch. num. 17. & Castrop. D. 2. P. 2. n. 2.*, quia non constat illis à Christo datam esse potestatem dominativam, neque hæc necessaria fuit ad Ecclesiæ gubernationem, satis enim erat, quòd haberent Jurisdictionem, & possent vota dispensare vel commutare, aut eorum executionem impedire per potestatem præceptivam, aut saltem valorem Votorum impedire, antequam fierent; unde illa conditio, *si Papa consenserit*, tantum significat, si non sustulerit obligationem, dispensando, prohibendo executionem, antecederet impediendo: Potest tamen Papa directè irritare Vota, quæ Religiosi post vota sua substantialia emittunt, quia vi Voti Obedientiæ acquiritur Papæ potestas dominativa in voluntatem eorum.

485 Q. 123. *An Superior possit propria Vota irritare.* R. Nec potest irritare, nec alteri committere, ut irritet, ita *Sanch. num. 60. Castrop. n. 5.* Ratio est, quia nemo potest votum emittere sub conditione sui consensûs, hæc enim conditio destruit obligationem voti, quæ stricta esse debet, potestas autem irritandi fundatur in eo, quòd votum includat conditionem, si Superior consenserit. *Nec obstat*, quòd quis dispensare possit secum, secundum dicta

Lib. 1.

Lib. I. num. 799 : *Quia* potestas dispensandi nititur Jurisdictione, quam Deus concessit Superioribus etiam respectu sui, non quidem coactivam vel contentiosam, sed tantum voluntariam & gratuitam; neque requiritur distinctio personæ dispensantis & dispensatæ, nam dispensatio non est actus judicialis, sed tantum Jurisdictionis voluntariæ, in qua aliquis potest sustinere plures personas, uti habet communis cum *Covarr. Suar. Bonac. Sal. Sanch. Fill. T. 21. n. 441. Laym. L. 1. T. 4. c. 22. n. 31. Tambur. L. 3. c. 16. §. 4. n. 6. Addit Illsung T. 1. D. 2. n. 49.* saltem sufficere distinctionem, quæ est inter dispensatum & Principalem dispensantem, qui est alius Superior vel Ecclesia vel DEUS conferens ei Jurisdictionem.

Q. 124. *Quid præterea sit addendum ad melius* 486
intelligendam naturam irritationis. R. Seqq.

§. 1. Vota merè interna irritari possunt, quia ad irritationem plus non requiritur, quàm negatio consensûs illius, cujus dominio subjacet voluntas voventis, *Illsung T. 5. n. 129.*

§. 2. Licet requiratur, ut commutans vel 487
dispensans Vota, hæc cognoscat speciatim, non tamen est necesse, ut irritans ita cognoscat, sed potest in genere tollere omnia per solum suum disensum, *Tamb. §. 3. n. 1.* Neque etiam requiritur, ut qui vovit, id resciat aut consentiat, sed votum irritari potest ipso invito, *Castrop. Tambur. num. 13. Illsung num. 140.*

§. 3. Vota ab impubere emissa tam realia 488
quàm personalia potest Pater semper irritare: Tutor tantum ad annos pubertatis: Curator tantum ad annum majoratûs sive 25. completum pupilli necdum emancipati, nam tantum ad illud tempus substituuntur loco Patris, *Sanch. Lesf. Laym.*

Laym. Castrop. Tambur. Illsung T. 5. n. 123. 124. Ratio est quia talia vota involvunt consensum Patris & postea eorum, qui à Jure sunt loco Patris, idque non tantum propter dominium, quod Pater habet in voluntatem filii, sed etiam propter immaturitatem ætatis & judicii in impubere. *Mare* (secundum *Sanchez*) potest quantum Tutor secundum *Sa, Sayr. Tambur. L. 5. c. 3. §. 1. num. 14* quantum Curator, ipsa enim etiam absente Curatore subintrat in ejus locum: *Tancr.* putat etiam Socerum respectu Generi sui posse irritare Vota, si hic careat Patre, Matre, Tutore, Curatore, sed rectè dissentit *Tambur.* Similiter probabile putat *Sanch.* Maritum succedere loco Patris vel Curatoris, si Uxor his careat, sed etiam rectè contradicit *Illsung* n. 127, quia potestatem talem neque ex Jure naturæ vel positivo, neque ex contractu habent, hinc etiam vota filii puberis tantum illa potest irritare Pater, quæ gubernationi domesticæ & administrationi præjudicant, *Illsung* num. 124. Ex jam dictis solvuntur hi duo casus:

- 489 *Cajus* 13. annos natus petit à Patre licentiam vivendi Jejunium pro singulis Sabbathis; audiens *Titius* ejus frater annos 15. natus etiam petit, & præterea, ut vivere possit dare Pauperi portionem suam; Pater omnia permittit, hinc vovent; sed Pater non multò post jubet utrumque filium die Sabbathi secum cenare & consumere cibum appositum, dicens se irritare Vota facta. In hoc casu *Lesf. de Just. L. 2. c. 40. n. 75. Suar. de Voto L. 6. c. 8. n. 7.* negant Votum *Caj* potuisse irritari à Patre, quia fundamentum potestatis in Patre respectu impuberis est levitas in vovendo & imbecille judicium, ergo his cesantibus cesat potestas irritandi Vota, atqui hic nulla est in vovendo vel levitas vel imbecil-

imbecillitas iudicii, quia prudens Parentis approbatio ea vel tollit vel saltem supplet ; è contrà plures cum *Sanch. c.27.n.18. & 21. Laym. L. 4. T.4. c.7.n.17. Castrop. D.2.P.3. §.2.n.5.* probabiliùs dicunt Votum Caji esse validè irritatum , adeoque Cajum debuisse cœnare, quia licèt Pater approbet, hæc tamen approbatio non tollit, quin impuberes in vovendo sint leves & imbecillis iudicii, ergo ratio, cur talia Vota sint irritabilia, reipsa manet, quod pluribus probant *Sanch. & Castrop.* Quod Titium attinet, hic duo vota emisit, unum personale abstinendi à portione sua , alterum reale donandi portionem Pauperi : primum Pater irritare non potuit, quia Titius est pubes, pater autem non potest irritare Vota personalia puberis: secundum irritare potuit, cùm sit reale, præjudicans gubernationi domûs ; itaque Titius non potuit cœnare cum patre, attamen non debuit portionem, à qua abstinebat, dare pauperi.

Sempronius pupillus completo anno 13. vovet 490 se omni Sabbatho mensam excepturum duos pauperes , eisque ministraturum ; Tutorum unus audiens hoc, postquam Sempronius jam pubes est, utrumque prohibet : In hoc casu dicendum est Sempronio jam pubere cessasse officium Tutoris, & in officium Curatoris transiisse , cujus est administrare bona pupilli usque ad annum 25. completum : itaque cùm votum adhibendi pauperes ad mensam sit reale, Curator validè irritat : quoad votum personale ministrandi mensæ, si Curator fortè permisisset pauperes mensæ adhiberi, major est difficultas, an irritare potuerit, negat cum aliis *Suar. c.6.num.24*, quia Sempronius quoad suam personam nunquam fuit subditus Curatori, non ante pubertatem, quia tunc non

non datur Curator, sed Tutor ; nec post pubertatem, quia tunc Pupillus quoad suam personam est sui Juris, & Curatori competit tantum administratio bonorum : è contrà *Sanch. c. 30. num. 15. Laym. num. 11. Lesf. n. 83. Castrop. §. 3. n. 6.* probabiliter dicunt Curatorem posse irritare Vota Minorum ante pubertatem emissa, nec confirmata post pubertatem, quia Curator succedit Patri in gubernatione filii, ideòque indirectè & secundariò etiam gaudet potestate gubernandi personam pupilli. Pater autem validè irritasset tale Votum, ergo & Curator.

491 §. 4. Pater potest respectu filii spurii idem, quod respectu legitimi, nam licet non ex Legge, attamen ex Jure naturæ etiam in illum habet patriam potestatem; putatque *Tamb. contra Castrop.* id esse verum, licet spurius habeat Tutorem.

492 §. 5. Hoc ordine venit potestas irritandi vota, Pater, Tutor, Curator, Avus ex parte Patris, (non ex parte Matris) Mater. Avus tamen paternus nil potest vivente Matre, *Suar. Sanch. Castrop. Tambur. supra.*

493 §. 6. Quamvis probabile sit cum *Soto, Sanch. Tamb.* quòd Maritus vota Uxoris directè irritare possit, eò quòd voluntas ejus videatur esse plene subjecta dominio viri, secundum *Apost. ad Ephes. v. 22. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Dominus, quia vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesie &c:* nihilominus videtur probabilius cum *S. Antonin. Navar. Az. Valent. Suar. Lesf. Bonac. Laym. Castrop. Illsung num. 126.* id tantum intelligi de illis votis, quæ præjudicant usui Matrimonii, educationi proles, vel administrationi familiæ; ex qua causa potest etiam uxor irritare vota Mariti. Ratio est, quia subjectio uxoris fundatur tantum in

in contractu Matrimonii, ergo tantum datur in ordine ad finem Matrimonii, ex quo Uxor etiam acquisivit simile Jus ad eosdem fines obligandi Maritum, adeoque etiam irritandi ejus vota, in quantum huic fini præjudicant.

§.7. Vota emissa ex licentia Superioris subordinati possunt irritari à Superiore altiori, non contra, quia subditus & Superior subordinatus tenetur se semper conformare voluntati Superioris altioris, *Suar. Sanch. Castrop. Illsung num. 130.*

§.8. Vota emissa à Religioso tempore subjectionis non possunt irritari ab eo Superiore, à cujus subjectione Religiosus jam est liber, quia desit potestas in Superiore, quæ fundabatur in Jure super voluntatem voventis; & idem est de Votis Religiosi facti Episcopi, aut in alio Ordine professi, aut è Monasterio ejecti, quamdiu non redeunt ad priorem subjectionem, *Tamb. L. 3. c. 16. §. 2. n. 34. Illsung n. 134.* Similiter vota facta in sæculo vel Novitiatu non possunt irritari à Superiore, quia voventis tum non erat subjectus, nec sunt facta sub conditione beneplaciti Superioris, qui tamen posset suspendere, quantum gubernationi præjudicant: putant tamen *Tamb. §. 3. n. 41. & Ills. n. 136.* Vota facta ante Religionem ab impubere vel pupillo posse à Superiore irritari, uti irritari potuissent à Patre, Tutore vel Curatore; & consentit *Sanch. de Matrimonio Lib. 9. Diss. 41.* idem asserens de Marito respectu Voti ab Uxore impubere emissi.

§. 9. Votum emissum tempore subjectionis, sed implendum postea tempore libertatis potest irritari ab habente dominium in ipsam voluntatem, hic enim directè potest annullare actum, ex quo oriri deberet obligatio; è contra irritari non potest ab

ab habente dominium in rem tantum promissam, nam non habet dominium in actum, ergo actus manet validus pro tempore libertatis; hinc Curator non potest irritare vota puberis post Minoratum implenda; nec Maritus vota uxoris implenda in viduitate vel divortio; nec Dominus vota servi implenda post servitutem; possunt tamen hæc vota suspendi quoad executionem, in quantum præjudicant, *Illsung* num 135.

497 §. 10. Vota emissa cum licentia Superioris possunt irritari ab eodem Superiore, nisi forte renunciarit Juri, quod habebat in rem promissam aut promissione ab altero acceptatâ se obligaverit non revocare, tum enim res esset facta Juris alterius, *Sanch. n. 11. Castrop. §. 2. n. 5. & alii* mox citandi. Item irritari possunt ab alio habente æqualem potestatem, v. g. si unus Tutor dederit licentiam votendi, potest alter Tutor irritare Votum; ratio est, quia dans licentiam, per se loquendo, retinet suum dominium plenum, nisi expressè se abdicare voluerit; & alter Superior per licentiam sibi æqualis etiam non est privatus dominio suo in votentem, ita *Abb. Nav. Cajet. Sylv. Sot. Az. Sanch. & alii*, quos citant & sequuntur *Laym. num. 14. Lesf. n. 76. Castrop. n. 3. Illsung n. 131. 132. 137. & 138.*

498 §. 11. Vota realia cum consensu Superioris emissa & ad hæredem translata non possunt irritari ab ullo Superiore, quia post mortem votentis nec persona votens, nec res promissa manet sub dominio Superioris, *Sanch. Castrop. Illsung n. 132.*

499 §. 12. Si Superior sine justa causa irritet votum grave, in quod consensit, communis sententia est cum *Sot. Sanch. Rosel. Castrop.* quod peccat graviter, uti graviter peccat, qui sine causa non observat; *Illsung* tamen n. 133. probabiliter dicit

peccat

peccare tantum venialiter, quia licet abutatur suâ potestate, finè causa impediendo alterum à majore suo bono, tamen non est grave contra charitatem, cum non graviter noceatur subdito, uti suppono; nec videtur grave contra religionem, cum irritato Voto desinat ejus obligatio; unde patet disparitas de eo, qui non observat, hujus enim votum manet & frangitur, atque ideo etiam peccat mortaliter, qui finè causa dispensat in Lege Superioris, tum enim manet obligatio Legis, quia dispensatio illa est invalida, & ipse est causa transgressionis illius Legis adhuc permanentis: unde à contrario sumitur hoc argumentum, nam uti qui finè causa dispensat cum subdito in sua Lege quantumvis gravi, tantum venialiter peccat, quia temerè tollit Legem, ita & hic.

§. 13. In dubio, 1. An Votum sit irritabile: 2. 500
An non sit emisum vel confirmatum extra tempus subjectionis: 3. An executio non sit destinata in tempus libertatis, videtur Superior posse irritare, quia cum sit in possessione sui domini & potestatis respectu omnium votorum subditi, nullum debet ab ea potestate extrahi, nisi certò constet sub ea non contineri, *Illsung num. 141.*

Q. 125. An qui vovit non petere dispensationem 501
à Voto, possit petere irritationem aut commutationem,
vel contrâ. R. Posse, quia hæc differunt, &
diversam requirunt potestatem, ergo qui sibi
interclusit potestatem ad unum, non ideo
interclusit ad alterum, *Nayar. Sanch. Tamb. L. 3. c. 15.*
§. 4. n. 9. Si tamen mens ejus fuerit nullam petere
deobligationem, si petat, peccat; deobligatio tamen
est valida.

Q. 126. An Votum non utendi irritatione vel 502
dispensatione sit irritabile aut dispensabile. R. Esse,
ideoque

V

ideoque ultimo sublato semper poterunt priora etiam tolli : quod si absolute vovisset nullo casu uti tali facultate, votum esset irritum, quia sapere melius est uti quam non uti ; est itaque conditionatum non utendi, nisi melius fuerit uti, *Suar. Sanch. Castrop. Lesf. in Auct. v. Votum. c. 2.* Similiter votum sub poena, ut non possit dispensari à Papa est dispensabile ab Episcopo, quia à Papa nullibi reservatur, nec ideo tolli potest potestati Episcopo ordinaria, *Trull. aliique cum Dian. P. 7. T. 9. R. 59.*

ARTICULUS II.

Quis Vota indirectè possit irritare,

- 503 » **R** *Ess.* Si alicui, non quidem voluntas voventis, » sed voti materia sit subjecta, ita ut in hanc » Jus habeat, is tale votum potest irritare » irratione indirectâ, hoc est, ejus obligationem » suspendere, in quantum suo Juri præjudicatur : » idque ex Lege naturæ docente, quod nemo » possit alteri promittere aliquid in præjudicium » tertii. *S. Th. in 4. D. 38. Suar. Lesf. & c. Unde resolves,* » I. Sic irritare possunt, præter supra nominatos, » mater respectu filiorum puberum, quamdiu » manent in domo paterna, nec sunt emancipati : » item Tutor puberis, usque ad annum vigesimum » quintum, in iis, quæ eorum potestati officiunt. » *Laym. L. 4. T. 4. c. 7.* » II. Idem potest uxor respectu mariti ; v. g. » si is voverit longiorem peregrinationem, » habitare alibi, cubare seorsim, quæ derogant » vitæ sociali, & usui domini, quod habet » in corpus mariti. *Fill. Lesf. L. 2. c. 40. n. 98.*

III. Item Dominus & Domina respectu famu-
lorum; ut si voverint Jejunium, quo fierent inepti
ad obsequia Domini: quale votum non est casti-
tatis, vel brevis orationis. *Lesius num. 86.*

IV. Item non tantum Pontifex respectu
omnium Fidelium, sed etiam Episcopi & Prin-
cipes respectu subditorum, quando materia illis
præjudicat. Denique Superiores respectu Novi-
tiorum, in iis, quæ impediunt Novitiatus exer-
citia. *Lesf. num. 80.*

V. Non possunt irritare indirectè vota de re
aliàs præcepta, v. g. non furandi; quia nemini
præjudicant. Item neque vota implenda tunc,
quando materia voti non erit amplius subjecta;
v. g. Vota servi implenda, cum erit liber; &
Conjugis, cum alter erit mortuus.

VI. Potest quis etiam indirectè irritare Vota
longè antè facta quam sibi materia subjiceretur;
v. g. facta à Coniuge longè ante Matrimonium.

VII. Potest quis etiam vota à se, vel ab ante-
cesore concessa & confirmata, indirectè irritare,
ut patet ex *Articulo superiore*. Excipe tamen,
nisi suo Juri cesserit, & hanc cessionem subditus
acceptasset; ut v. g. in voto castitatis, mutuo mariti
& uxoris consensu facto. Secus tamen esset,
si vel sola uxor, vel uterque independentè
ab altero vovisset.

VIII. Vota indirectè tantum irritata reviviscunt
& obligant, quando alteri desinunt præjudicare,
vid. de his Bonac. L. 4. Q. 2. P. 7. §. 2. n. 36. Laym. c. 8.

A D D E N D A.

Q. 127. *Quid præterea hinc notandum sit.* R. 504
Hæc pauca, §. I. *Illung T. 5. num. 127.* docet
neutrum Conjugem posse irritare alterius votum

V

de

de non petendo debito conjugali, cum neuter habeat Jus obligandi ad petendum, sed tantum ad reddendum: Fatetur tamen oppositum esse probabile, & in praxi tutum, quia unus potest obligare alterum, ne se reddat inhabilem ad petendum, quia inde nasceretur grave onus & molestia in Matrimonio, cum sæpe difficile sit, & maxime uxori verecundæ, debitum petere.

505 §. 2. Domini propter solum dominium utitur quod habeat in servos aut famulos, postquam ea tantum vota, etiam ante tempus servitutis emissa irritare seu potius suspendere, quæ obsequio illorum præjudicant, *Illung* num. 128.

DUBIUM VII.

Quid sit commutatio voti.

506 **R**esp. Commutatio est substitutio alterius operis honesti loco ejus, quod Voto promissum erat, sub eadem obligatione.

» Circa quam, ut licite fiat, traduntur hæ regulæ:

» *Prima.* Ad commutationem Voti requiritur

» authoritas Ecclesiastica, 1. Quando commutatio

» fit in paulò minus bonum: quod si notabiliter

» minus fit, miscetur dispensatio. 2. Quando

» dubium est de æqualitate boni. 3. Quando

» fit in bonum æquale: licet aliqui tunc putent

» sufficere authoritatem propriam. Hæc tamen

» sufficit ad commutationem in melius, quia

» in meliori minus continetur. Voco autem

» melius, quod est tale in ordine ad utilitatem

» spiritualem voventis, & Deo gratius.

» *Secunda.* Ad commutationem Voti in æquale

» requiritur causa, licet minor, quam ad dispensationem, quia dispensatio planè liberat

ab

ab obligatione voti ; commutatio verò aliud
subrogat. Unde si fiat in melius, nulla causa requi-
ritur ; si in æquale cum authoritate Superioris,
sufficit major in illud propensio : Si verò dubi-
tetur, an sit æquale, sufficit notabilis molestia
in implendo, *vid. Lesf. L. 2. c. 40. D. 16. Unde resolves,*

I. Quamvis Oratio absolutè sit melior Jejunio,
non licet tamen propriâ authoritate hoc in illam
commutare, quia hîc & nunc potest Jejunium
esse Deo gratius, utpote utilius ad bonum spiri-
tuale hujus hominis. *Lesf. num. 101. Sanch. c. 56.*

II. Omnia Vota personalia, propriâ authoritate
commutari possunt in Votum Religionis : imò
ipso Jure omnia vota realia sic mutantur
in Professione.

III. Qui habet Votum Religionis, non potest
illud propriâ authoritate commutare in suscepti-
onem Episcopatus, tum quia hîc non efficit
hominem perfectiorem quàm Religio, licet per-
fectiorem esse supponat ; tum quia non constat,
quòd illud hîc & nunc sit Deo gratius, tum quia
sic respondit *Innocentius III. apud Bonacin. in 2. Præceptum D. 4. q. 2. P. 7. Idem docet Lesf. n. 103. Azor, Sanch. Laym. L. 4. T. 5. c. 6. n. 15. Palaus T. 16. D. 1. P. 6. num. 2. Diana P. 6. T. 6. R. 62.*

IV. Qui habet facultatem dispensandi, habet
etiam commutandi ; non tamen contrà, quia
commutatio est pars dispensationis ; qui autem
potest majus, etiam minus potest. Qui autem
habet facultatem commutandi tantùm, non potest
mutare nisi in æquale : quod moraliter & non
scrupulosè æstimandum est, ut monet *Laym. L. 4. T. 4. c. 8. n. 24. In qua æstimatione (ait Cajetan.) non negligenda sunt concomitantia, v. g.*

- "in voto peregrinationis habenda est ratio
 "non tantum laboris, sed etiam expensarum,
 "quas fecisset. *Suar. Lesf. num. 108. Vid. Bonac. §. 1.*
 "V. Si is, cujus votum mutatum est, malit
 "deinde implere primum, id potest: tum quia id est
 "melius, vel æquale, tum quia in ejus favorem
 "factum est, cum tacita conditione, si ei placuerit
 "Lesf. num. III. *Sa, Fill. num. 289.*
 "VI. Si voti legitime à Superiore commutato
 "materia, sive opus fiat impossibile, vel indiffe-
 "rens, non tenetur redire ad prius, quia obligatio
 "extincta est, *vid. Laym. Bonac. ll. cc.*

A D D E N D A.

607 Q. 128. *Quid circa hanc Votorum commutationem
 sit præterea notandum.* R. Seqq. §. 1. Probabile est
 commutationem fieri posse extra Confessionem,
 ita *Suar. Sanch. Henriq. Bonac. Laym. Castrop. Dian.
 Gobat cum Belleg. de Jubilæo P. 3. Sect. 12. q. 1.*
 contra *Rodriq. Bejam, Sayr & alios*; quia nullibi
 præscribitur, ut in Confessione fiat: Addunt *Dian.
 & alii cum Sanch. L. 4. c. 54. n. 17.* etiam fieri posse
 ab eo, qui Confessiones meas ordinarias
 non audit, si tantum sit aptus audire, licet enim
 hoc spectet ad forum conscientie, non ideo spectat
 ad forum Pœnitentie: *Nec obstat*, quod forte
 in Bulla Concessionis addatur, *Confessionibus audi-
 tis valeat absolvere à peccatis & commutare vota*
*nam tò auditis confessionibus, refertur ad absolu-
 tionem à peccatis, quæ immediatè sequitur, hinc
 commutatio voti fieri potest etiam cum absente.*
Tamb. Belleg. supra.

608 §. 2. Potest commutans dicere, commuto in hoc
 quod postea designabo, *Sanch. n. 31. Rodriq. Vivaldi.
 Sayr. Dian. Gob. Alloz. Belleg. q. 6:* Imò & dicere
 potest, commuto in illud, in quod vir ille doctus
 quamvis

quamvis laicus, censuerit commutandum, *Sanch. Lesf. Laym. Gob. aliique cum Belleg.* supra; tuncque obligatio est translata in illud aliud; nec peccas agendo contra materiam priorem, *Sanch. Lesf. Trull. Castrop. Gob. Belleg.* supra cum *Dian. P. I. T. II. R. 52.* contra *Rodriq*; debet tamen illa dilatio substitutionis esse rationabilis ac bonâ fide fieri; & ita potest differri commutatio ultra tempus, v.g. Jubilæi, *Suar. Sanch. Castrop. aliique cum Belleg.* supra; quod verum est, etiam si Pœnitens in genere tantum petierit commutationem votorum, & nullum in specie explicaverit, v.g. quia jam non meminerat aut Confessarius impediatur, quò minus jam commutaret, *Suar. Sanch. Castrop. Gob. Belleg.*, quibus rectè addunt requiri, ut Pœnitens in hoc casu lucretur Jubilæum, alioquin non acquireret Jus ad commutationem.

§. 3. Si Pœnitens sciat se vovisse, sed nesciat quid, 509 potest Confessarius adhibere prudens arbitrium, & secundum rem probabiliter præsumptam ac circumstantias commutare in certam materiam, *Suar. Sanch. Trull. Belleg.* supra.

§. 4. Potest etiam commutari votum pœnale, 510 uti quando vovisti dare elemosynam, si mentireris, *Suar. Sanch. Lesf. Mald. Fill. Dian. & alii cum Belleg. q. 7.*

§. 5. Votum unum reservatum nequit com- 511 mutari in aliud nè reservatū quidem, præterquam in ingressum Religionis, uti notant omnes cum *Ills. num. 149.* quia cum contineant res arduas, Ecclesia negando potestatem relaxationis voluit injicere prudentem horrorem Fidelibus, ne leviter vel temerè emitterent; potest tamen votum reservatum differri ex justa causa, & tantisper aliquid aliud injungi, uti cum communi *Sanchez.* Similiter

commutari possunt circumstantiæ voti reservati
ut dicitur num. 550.

- §12 §. 6. Dilatio Jejunii voto promissi potest
modicâ commutatione suppleri, & præscindendâ
ab aliqua peculiari circumstantia, inquit *Tambur.*
L. 3. c. 16. §. 6. num. 6. facile eam concederem fieri
in aliam diem sine supplemento, quia sic parum
aut nihil decedit de cultu divino.
- §13 §. 7. Vota etiam jurata commutari possunt
secundum dicta num. 355; docentque Authores
ibi citati & alii cum *Belleg. q. 1.* & nemo dubitat
quin Episcopus possit dispensare in votis juratis
inquit *Lefs. in Auct. v. Votum. Cas. 3.* si nempe non fiat
in præjudicium tertii, ut dicitur à n. 532.
- §14 §. 8. Possunt etiam commutari promissiones
factæ Sanctis, quia veniunt nomine voti, licet re ipsa
vota non sint, *Gob. Belleg. supra.*
- §15 §. 9. Omnia vota in læculo vel Novitiatu emissæ
possunt à vovente vel Superiore commutari
in Vota Professionis Religiosæ; item in vota
simplicia Societatis JESU, nam etiam hæc ultima
irritant Matrimonium, & absolute sunt
de meliori bono: Si quis tamen cum culpa dimittitur
à Societate, priora vota reviviscunt,
non autem si sine culpa, nam implet conditionem,
& perseverat, quantum in se est, *Tambur. §. 3. num. 4.*
Quod si priora vota non sint à te vel à Superiore
commutata, etiam si sine causa dimittaris, reviviscunt,
quia per simplicia vota tantum suspenduntur,
& per solam Professionem extinguuntur,
Tambur. num. 8. Vide Dianam P. 3. T. 2. R. 71.
- §16 §. 10. Factâ per legitimam Jurisdictionem
commutatione extinguitur prius votum, hinc
si materia subrogata fiat inutilis vel impossibilis,
etiam ex culpa voventis, non tenetur redire
ad

ad prius votum : Et probabilius est idem valere etiam in votis sæculi commutatis vi Professionis religiosæ, si quis in sæculum, attamen sine culpa sua, ex dispensatione Papæ rediret, *Tambur. §. 7. num. 1* : Licet autem sic extinguatur prius votum, tamen ex benigno & interpretativo consensu Ecclesiæ poteris, si velis, ad illud redire, loco materiæ subrogatæ, commutatio enim videtur facta in favorem tuum, ut materiam subrogatam expleas, si nolis priorem, *Less. Laym. Sporer c. 3. n. 135*, quamvis *Suar. Sanct. & alii cum Diana in Comp. v. Votum. n. 55.* negent te posse ad priorem materiam redire, si materia subrogata fuerit melior, quia putant commutationem esse factam in favorem Dei, qui acceptavit; sed hanc limitationem non admittunt alii: notat tamen rectè *Tambur. num. 6*, quod per commutationem propriâ autoritate factam non transferatur vinculum ad rem subrogatam, ideoque teneris redire ad priorem materiam, si hæc subrogata reddatur inutilis vel impossibilis. *Ex dictis solvuntur hi casus,*

Titius voto peregrinationis Romanæ obstrictus ⁵¹⁷ ingreditur Statum Religiosum, & in Novitiatu vover, si in illa Religione non permaneat, se aliam ingresurum: profitetur deinde, sed post aliquot annos ob delicta ex Religione expellitur: In hoc casu, *Vivald.* putat teneri Romam proficisci, quia in commutationibus, quæ à Jure fiunt, videtur subintelligi illa conditio, *si in materia permutata permanseris*: Oppositum tenet *Sanchez*, quia nobilior commutatio plus extinguit voti prioris obligationem, quàm ignobilior, sed commutatio, quæ à Jure fit per professionem religiosam, est nobilior aliis commutationibus, quæ ab homine fiunt, ergo voti prioris obligationem

plius extinguit, & consequenter hoc non reviviscit.
 Quoad alteram partem, *Less.* putat Titium tunc
 ingredi aliam Religionem, quia votum hoc
 ingrediendi aliam Religionem, si in hac non per-
 veret, non est commutatum per professionem re-
 giosam, cum assumptum fuerit sub conditio-
 cesationis Professionis religiosæ: Oppositum tenet
Castrop.: quia non est major ratio de voto ingred-
 endi aliam Religionem, quam de quovis alio voto
 ergo illud similiter extinguetur per primam
 professionem: Sententiæ hæ sunt probabiliores
 sententiæ tamen *Sanchez* & *Lessii* videntur confu-
 miores dictis.

518 Cajus obstrictus voto Religionis obtinet dispen-
 sationem contrahendi Matrimonium cum *Caja*
 sub onere commutationis in Sabbathinum Je-
 junium: *Caja* moritur secundo anno. In hoc casu
Sanch. putat Cajum teneri ad utramque materiam
 exequendam, nam primi voti obligatio redit
 in qua videtur dispensatum esse tantum pro tem-
 pore Matrimonii cum *Caja*; materiam autem
 secundæ obligationem putat colligi ex modo
 scribendi Pontificis, quo denotatur perpetua
 materiam permutatæ: è contrà *Castrop.* dans redit
 prioris voti obligationem, probabilius negat
 manere obligationem secundæ, quia generalis regula
 est, voto principali redeunte cessare subrogatum
 quòd si absolute dispensatum est ad ineundum
 Matrimonium sub onere Sabbathini Jejunii, vide-
 tur liber Voto Religionis, licet maneat viduus aut
 iterum ducat aliam, semper tamen observandum
 Sabbathinum Jejunium. Vide dicenda num. 564.

519 §. II. Possunt vota semel commutata iterum
 commutari in aliquid aliud, *Chap.*

§. 12. Rectè notant Authores, communiter, quantum fieri potest, commutationem esse faciendam in rem, quæ serviat ad finem voti; sæpe tamen expedit commutare in opera, quæ vovens solet ex devotione facere, si periculum sit transgressionis, quia illa alacrius peraget, sed non potest fieri in opera, ad quæ aliunde ex gravi obligatione tenetur, *Lesf. Gob. Allox. Belleg. q. 6*; potest autem dari optio Pœnitenti, ut ex pluribus propositis hoc vel illud faciat loco sui voti; item ut jam hoc jam illud, hoc vel illo die, *Gob. Belleg. supra*.

§. 13. In commutatione non est spectanda præcisè ⁵²¹ excellentior virtus, in quam commutetur, sed quod hîc & nunc est melius voventi, sic si ad domandam carnem voverit flagellationem, melius erit commutare in Jejunium quàm Orationem, *Tamb. §. 6. n. 3. addens n. 5.* non esse tamen opus, ut votum personale in actionem personalem, aut reale in realem mutetur, quamvis consultius sit sic fieri: Et est communis cum *Lay. Lohner*, qui etiam cum *Vasq. Cen. Dicast.* notant fieri posse in opera à vovente fieri solita, uti antè dictum est.

§. 14. Si commutatio fiat ex causa rationabili, ⁵²² fieri potest in æquè bonum; si autem fiat sine causa ex mero beneplacito, fieri debet in melius; *S. Thom. Cajetan. Beja P. 3. Cas. 28*: Et universaliter loquendo, videtur probabilius cum *Sanch. c. 49. n. 12. Ills. n. 150.* aliisque plurimis contra multos apud *Castrop. D. 2. P. 15. num. 4.* quos sequitur *Sporer T. 3. c. 3. num. 122.* neminem posse propriâ autoritate votum suum commutare in aliquid tantum æquale, hoc ipso enim quòd hæc materia sit Voto promissa, habet honestatem objectivam Religionis, jamque censetur melior, quàm altera libera secundum se tantum æqualis: autoritatem tamen dedit DEUS
Sup-

Superioribus Ecclesiæ, quia sic expediebat ad utilitatem Fidelium, & Prælati in Ecclesia, inquit *S. Thomas 2.2. q. 88. art. 12. in O.* gerit vicem Dei, *Apostolus 2. ad Corinth. 2. v. 10.* ait: *Quod donavi, si quid donavi, propter vos in nomine Christi.*

523 §. 15. Ut materia voti propriâ authoritate commutari possit in aliam tantum probabiliter meliorem, requirunt *Suar. Sanch. & Castrop.* certitudinem, quod ad minimum sit æqualis, sed *Ills. n. 4.* id non requirit, dicens, uti secundum probabilem sententiam alia Præcepta ad plus non obligantur, quàm ut eis probabiliter satisfaciam, secundum dicta *L. 1. n. 600,* ita & hic esse.

524 §. 16. Commutatio absque ulla causa etiam à Superiore facta in rem æqualem videtur esse invalida, *Suar. Castrop. P. 17. n. 4. & alii.* Ratio est, quod procedit à non habente potestatem, DEUS enim nemini dedit potestatem remittendi obligationem aliquam absque causa, quia talis concessio esset irrationabilis; si tamen Superior bonâ fide processerit, putans esse causam, commutatio valet, uti tenent iidem Authores cum *Diana in Summa V. Votum. n. 48,* quia ipsa bona fides Superioris sufficit pro causa, nec DEUS credi debet in hoc esse rigidior exactor: addit *Sanchez apud Dianam P. 1. T. 16. R. 8.* peccaturum tantum venialiter, qui sine causa commutaret in aliquid æquale.

525 §. 17. In Jubilæo sufficit causa, ob quam Papa dat facultatem commutandi, estque ordinatio generalis causa boni communis, quæ sufficit ad commutationem æqualem, *Suar. c. 19. num. 19. Sanch. c. 50. num. 19. Gob. & alii cum Belleg. Quæst. 1.* Etiam extra Jubilæum pro commutatione in rem æqualem sufficit causa levis, uti habet commutatio cum *Castrop. P. 15. num. 8, v. g. si commutatio ardente*

petatur, cum spe majoris fervoris & fructus in executione materiae subrogandæ: consentit *Dian.* supra cum aliis, hinc *Suar.* L. 6. c. 20. num. 7. dicit moraliter hic nunquam deesse causam.

§. 18. Si commutatio fiat in minus à non habente ⁵²⁶ potestatem dispensandi, *Sanch. Dian. Tamb.* §. 5. n. 9. *Belleg.* q. 3. dicunt esse probabile, quod valeat, sed remanere obligationem supplendi id, quod deest ad æqualitatem; è contrà *Suar. Navar. Az. Castrop.* P. 17. n. 2. *Illsung* n. 155. aliique multi probabilius dicunt, quod commutatio sine ulla causa in aliquid minus sit invalida, quia potestas sic commutandi non est data à Deo, nec DEUS acceptat, quod minus est: imò nec quod de se est tantum æquale, quando nulla est causa sic commutandi, quia nunc re ipsa est inæquale & minus, uti n. 522. dictum est: hinc concludit *Illsung* n. 153. quando Authores dicunt posse Vota per auctoritatem Superioris commutari in paulò minus, intelligi de opere, quod adhuc moralem æqualitatem habeat, hinc etiam *Belleg.* addit valere talem commutationem, dummodo id, quod substituitur, non sit notabiliter minus.

§. 19. *Med. Lesf.* aliique apud *Dian.* in Comp. ⁵²⁷ V. *Votum* num. 51. dicunt Regulares probabiliter posse commutare in quid minus, sed nullibi lego illud privilegium. *Gob. & alii* apud *Dianam* P. 2. T. 16. R. 8. putant tempore Jubilæi fieri posse in rem certò minus bonam, quia ipsa opera ad Jubilæum lucrandum requisita dici possunt venire in partem operum substituendorum, quod non videtur improbabile: de cetero satis certum est, & norant omnes, sufficere æqualitatem moralem & bonâ fide existimatam, nimis enim difficile & moraliter impossibile est mathematicè attingere æqualitatē.

§. 20.

- 528 §. 20. Commutatio à priori facta in aliquo quod videtur esse minus, non facile improbe debet à posteriori Confessario, sed potius presumendum habuisse causam: Et sententia aliorum apud *Laym. L. 4. T. 4. c. 8. n. 24.* docentium id licitum aut saltem validè fieri, probabilis est, inquit *Lohm.*
- 529 §. 21. Exempla commutationum in aliquo æquale videri debent apud *Tambur. §. 6. à num. Gob. de Jubil. à num. 324. Sporer à num. 126. Lohm.* & alios passim: ac inter reliqua advertendum an prima materia voti sit multum utilis ad finem quem habuit vovens, si enim nunc sit minus utilis, facilius attingetur æqualitas.
- 530 §. 22. Quamvis non peccaret, qui votum commutaret sub aliqua conditione de futuro, tamen melius est absolutè commutare vel differtur commutationem, *Suar. c. 16. num. 10. Gob. num. 29. Belleg. Quæst. 6.*
- 531 §. 23. Potestatem commutandi Vota non reservata dedit Confessariis Societatis JESU *Paulus III.* in Bulla, *Dilecti Filii* 5. Junii 1546, & consequentes eandem habent alii Religiosi, qui cum illis gaudent communicatione privilegiorum.
- 532 Q. 129. *An Votum factum in favorem tertii possit commutari. R. §. I.* Nec commutari potest nec dispensari, si hoc cederet in præjudicium tertii, tum autem cederet in præjudicium tertii, si esset contra Jus à tertio acquisitum, uti si ille tertius promissionem in voto inclusam & non injustè extortam acceptasset, jamque non consentiret in commutationem voti: Si tamen vovens fuerit impubes, posset irritari secundum dicta num. 450 & rectè notat *Lesf. de Just. L. 2. c. 17. n. 51.*
- 533 §. 2. Si tertio non sit Jus acquisitum, tum si non acceptaverit promissionem, quamvis votum factum

factum fit in ejus favorem, commutari potest,
Suar. T. I. L. 14. c. 41. n. 9. Ex his solvuntur seqq. Casus.

Titius vovit dare eleemosynam Cajo pauperi, 534
 qui tamen de hoc Voto nihil rescit: Hoc Votum
 potest commutari, quia Cajo nullum Jus est
 acquisitum, *Suar. Sanch. Lesf. Mald. Fill. Castrop.
 Dian. P. 1. T. 11. R. 47. Belleg. q. 2.*

Cajus vovit vel etiam juravit latroni, votum & 535
 juramentum acceptanti dare pecuniam: hoc votum
 & Juramentum relaxari potest, quia latro injustè
 cogens nullum Jus acquisivit, sed Cajo nata est
 obligatio tantum ex virtute Religionis, uti dictum
 est num. 358, quam ex causa possunt Superiores
 relaxare, *Bartol. Jaf. Covar. Sanch. L. 3. c. 12. n. 63.
 Lug. de Just. D. 22. à n. 190. Lesf. supra: Et admittunt
 omnes sufficientem causam relaxandi esse, si ille,
 in cujus gratiam juratum est, injustè vel turpiter
 exegerit Juramentum, Sanch. num. 65. Lugo num. 192.
 Vide dicenda P. 2. n. 736.*

Sempronius vovit uni Ecclesiæ calicem, sed quia 536
 audit esse divitem, petit votum commutari, & dat
 alteri Ecclesiæ pauperi: In hoc casu dicendum est,
 si Ecclesia dives hoc votum acceptârat, illicitè fieri,
 uti habet communissima cum *Sanch. L. 4. c. 41,*
 quia commutatio facta est in præjudicium Ecclesiæ
 divitis, & votum factâ acceptance jam transfêrat
 in contractum: His non acquiescit *Burgh. Centur. 2.
 Cas. 25,* qui pro se citans *Cajet. P. Nay.* & nonnullos
 alios dicit id licitè factum, quia ejusmodi vota
 primariò tendunt ad Deum ut finem, cujus gratiâ
 fiunt, Ecclesia autem erat tantum *per accidens* finis,
 cui fiebat promissio, ergo acquisitio Juris per pro-
 missionem acceptatam fiebat dependenter à Dei
 beneplacito, ergo cum Deo gratus sit illud, quod
 est melius, melius autem sit dare Ecclesiæ pauperi
 quàm

quàm diviti, propter hunc principalem voti finem promissio alicui facta non erit valida, nisi servata ad illum finem principaliem. *Confirmatur*: nam qui in Religione professus est, potest, per loquendo, transire ad strictiorem, etiam non obtentâ facultate, uti habetur Cap. *Licet* de Regularibus: Hinc respondet ejusmodi Votum Ecclesiæ diviti factum transire in contractum tantum conditionatum & dependens à Dei beneplacito jam explicato: nihilominus non est revocandum à sententia communi, quam *Sanch. & alii* dicunt esse manifestam, quia negari non potest quin promissio etiam facta sit Ecclesiæ, quæ per acceptionem Jus acquisierit, ergo si revocetur ipsâ invitâ, fiet contra Jus illius. Quod autem liceat transire ad Religionem strictiorem, quamvis prior Religio Jus acquisierit in personam, hujus causam reddunt Authores, quia ex ipsius dispositione Juris includitur hæc conditio *Nisi elegerim strictiorem, volo in hac permanere* qualis dispositio non est circa alias promissiones.

DUBIUM VIII.

Quid sit dispensatio, & qui possint dispensare in Votis.

- 537 » **R**esp. I. Dispensatio est absoluta obligationis
 » voti condonatio, nomine Dei facta. Ad hanc
 » ut valeat, justa causa requiritur; qualis v. g.
 » est, I. Bonum Ecclesiæ, vel commune Reipublicæ
 » 2. Notabilis difficultas in observatione voti
 » 3. Imperfectio actûs, vel levitas ac facilitas, ex qua
 » processit votum, *Suar. Lib. 6. c. 17. Fill. T. 26. n. 260*
 » *Sanch. L. 4. c. 45. Vid. Bonac. D. 4. q. 2. P. 7. §. 4. n. 11*
 » *Laym. L. 4. T. 4. c. 3. n. 5. Unde resolves,*

I. Cùm

I. Cùm causa non sufficit ad integram dispensationem, partim dispensari, partim commutari potest. *Bonac. l. c.*

II. Prælati videns, ac (cùm facile possit) non contradicens, videtur dispensare, inquit *Sa. c.*

III. Potestas etiam delegata dispensandi in votis, extendit se etiam ad vota jurata, & Juramenta pia soli Deo facta, *vid. Suar. Lib. 6. de Voto. Sanch. L. 8. de Matrimon. D. 3.*

IV. Ante voti acceptationem à certa persona aut ab Ecclesia, non censetur ei Jus acquisitum, ideòque sine ejus injuria potest dispensari vel commutari.

Resp. 2. Potestas dispensandi convenit omnibus Prælati, qui habent Jurisdictionem in foro externo, vel privilegium. *Lesf. L. 2. c. 40. n. 115. & seqq. Sanch. Mor. L. 4. c. 38. & communiter.*

Unde dispensare possunt sequentes: I. Papa, respectu omnium Fidelium in omnibus votis.

II. Episcopus, respectu suorum subditorum, non autem Parochus, quia tantum habet Jurisdictionem fori interni. *Suar. l. c. c. 12.* III.

Prælati Regulares exempti, respectu suorum Religiosorum & Novitiorum, idque circa vota, quæ in sæculo, vel etiam in Novitiatu fecerunt.

Lesf. num. 80. & 107. Sanch. L. 9. de Matrim. D. 29, non autem Prælati non exempti, neque Abbatissæ. *Suar. Lesf. ll. cc.* IV. Ex privilegio Papæ Confessarii Ordinum Mendicantium, secundum concessionem & moderationem suorum Superiorum, ut notat *Lesf. n. 115.*

Resp. 3. Supradicti omnes Papæ inferiores possunt dispensare in omnibus votis, exceptis quinque soli Papæ reservatis, scilicet Voto Castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ,

X peregrin-

- » peregrinationis ad limina Apostolorum
 » ad S. Jacobum Compostellam, & Ultra-marini
 » five in Terram Sanctam, v. *Bonac. Lesf. Laym. ll. c.*

A D D E N D A.

538 Q. 130. *An Superior, si rogetur & possit, teneatur dispensare in Votis. R.* Quæstio procedit de dispensatione circa quascunque materias, unde universaliter loquendo, §. 1. Si rogetur propter necessitatem spiritualem extremam vel gravem dispensandi, tenetur, hinc *Suar. de Leg. L. 6. c. 18. num.* rectè ait posse de Jure naturæ esse debitam dispensationem, imprimis quando est necessaria ad commune bonum, vel ad vitandum publicum scandalum, vel ob similem causam, uti satis colligitur ex Cap. *Ut constitueretur, 26. Dist. 50.* Deinde etiam subinde tenetur ex officio, si dispensatio fuerit necessaria ad spirituale bonum postulantis, vel ad vitandum grave periculum animæ, quod Prælati ex officio tenentur providere periculum subditorum, estque sæpe obligatio Justitiæ, & sæpius Charitatis, uti colligitur ex dictis *L. 2. n. 174.* ubi n. 175. explicatum est, quandonam censetur adesse necessitas extrema vel gravis spiritualis apud Proximum.

539 §. 2. Quamvis non sit necessitas gravis, si tamen adsit sufficiens causa, Superiorem teneri dispensare docent *S. Antonin. Silv. Rebuff. Armil. Rosel.* aliique quos referunt *Suar. n. 19. Sanch. de Matr. L. 3. D. 10. n. 1. Castr. T. 3. d. 6. p. 8 §. 2. n. 8,* quibus consentit *Tamb. L. c. 16. §. 4. n. 12,* quia hæc potestas est ipsis commissæ in bonum Reipublicæ & subditorum, valétque hæc communis regula, quòd Superiori conveniat omnium utilitati prospicere: sed meliùs dicunt *Sanch. num. 3. Suar. n. 20. Sal. aliique cum Castr. n. 1.* Superiorem non teneri semper dispensare, quando

adeft causa fufficiens, quia fæpe non eft ita urgens, quin ferè æqualiter urgeat causa non dispensandi, fed fervandi Legem communem, & uti Superior non femper tenetur ferre Legem, licèt futura effer ad bonum commune, cùm poffit aliter prospicere bono communi, ita & hic: unde hi Authores cum *Busenbaum* relato Lib. I. num. 796. ponunt istam regulam generalem, tunc Superiorem teneri dispensare, quando bono communi vel speciali graviter conducit, neque alia causa in contrarium præponderat, qualis poffet esse bonum universalissimum Communitatis, ne tales dispensationes passim petantur & c: quando autem id ita conducit, relinquendum est prudentiæ & iudicio Superioris.

Q. 131. *Quid præterea circa dispensationem Votorum* 540
fit notandum. R. De hac dicta sunt multa L. 1. à n. 797, quæ videri debent: hic præterea notari poffunt seqq.

§. 1. Dari in Ecclesia potestatem dispensandi, docent SS. PP. & Theologi communiter ex illo Matth. 16. v. 19. *Quodcunque solveris super terram &c.* Item Cap. 18. v. 18. *Quaecunque solveritis super terram erunt soluta & in cælo*: Pertinebat enim hoc ad rectam Ecclesiæ gubernationem & salutem animarum:

§. 2. Dispensans in gravi Voto sine causa peccat 541
mortaliter, quia in re gravi arrogat sibi potestatem, quam non habet, *Tambur. L. 3. c. 16. §. 4. n. 12.* Ad justam autem causam requirit *Valent.* difficultatem exequendi & grave periculum violandi: Addunt aliqui, ut difficultas notabilis sit causa dispensandi, necesse esse, ut non fuerit prævisa; tamen licèt fuerit prævisa, adhuc putat *Tamb. n. 18.* probabile esse, quod sufficiat; additque cum *Laym.* & aliis sufficientem causam esse; non tantum si sit periculum lapsus, sed etiam si speretur
major

major utilitas spiritualis voventis, attamen in his
similibusque casibus, ubi causa dispensandi est
dubia, potius utendum est commutatione; hinc
Navar. Sanch. & alii cum Illsung T. 5. n. 143. dicunt
ad dispensandum, saltem si misceatur commutatio
sufficere, quod adfuerit levitas in vovento, defectus
perfectæ libertatis, vehementia affectus inordinati
error vel cessatio causæ impulsivæ &c.

542 §. 3. Si dispensatio facta bonâ fide vel cum causa
dubia postea inveniatur facta sine causa, *Az. Les.*
Sanch. Tamb. aliique cum Illsung n. 142. dicunt proba-
biliter valere; alii cum *Castrop.* probabilius dicunt
non valere, secundum dicta *L. 1. n. 802*; nec idem est
de commutatione, de qua dictum hic n. 524, nam
per dispensationem planè tollitur obligatio,
per commutationem autem transfertur in aliam
materiam, quæ moraliter est eadem, quando
cum causa probabili mutatur.

543 §. 4. Dispensatio Juramenti vel voti non potest
fieri in præjudicium tertii, uti dictum est *nuth. 358*
& 532. Denique ex consuetudine possunt Parochi
dispensare in Jejniis & operibus servilibus,
non tamen in Juramentis vel Votis, *Tamb. num. 6.*
An autem Superiores dispensare possint in Votis
Novitiorum, videri potest *Dicast. de Cens. d. 3. n. 809.*

544 Q. 132. Quid circa Vota reservata sit notandum.
R. Sequentia. §. I. Cum reservatio sit odiosa,
dicendum est non reservari Vota, nisi sint omnino
libera, perfecta, plenè obligantia, certò valida, *Sanch.*
Sanch. aliique communiter cum Moya T. 2. D. 1.
Q. 1. n. 23. Belleg. P. 3. Sect. 13. q. 2. Hinc non reservatur
Votum i. Emisum ex metu, etiam levi tantum,
injustè incusso, quia non est perfectè liberum,
Sanch. Lefs. Dian. Ills. T. 5. N. 146. Belleg. supra. 2. Quo
quis se obligat ad emittendum votum reservatum,

v.g. ad castitatem vovendā post trigesimū annum. 545
 3. Conditionatum, ut voveo Religionem, si convaluero,
 quia non est plenē voluntarium, cū principaliter
 moverit gravis necessitas corporis, *Sanch. Lesf. Castrop. Dian. Tamb.* aliique communiter: Si tamen
 impleta sit conditio, *Lesf. & Laym.* apud *Illsung* suprā
 putant tale votum esse reservatum, quia transit
 in absolutum, sed contradicunt alii communiter
 cum *Belleg.* quia ab initio non fuit reservatum, ergo
 nec tale fit postea, cū nulla nova voluntas accedat.
 Addit cum aliis *Diana P. 6. T. 8. R. 16.* etiamsi
 post impletam conditionem fuisset confirmatum,
 non ideo fore reservatum, quia confirmatio
 semper cadit super idem votum à principio condi-
 tionale, nisi nunc esset emissum independenter
 à primo voto. 4. Pœnale, v.g. *Voveo ingredi Reli-* 546
gionem, si adhuc semel me inebriavero, manet enim
 dispensabile, non tantū ante inebriationem,
 uti habet communis contra aliquos apud *Bejam*
P. 1. Cas. 28. sed etiam post illam, quia valde deficit
 à natura perfecti voti, nam propriè non eligit
 Religionem, sed ejus metu vult se deterrere
 ab inebriatione, ideoque directè potiùs vovet
 se non inebriare, & Religionem potiùs refugit
 velut pœnam. 5. Si directè non tendat in virtutem, 547
 ad quam pertinet materia Voti, uti jam insinuatū
 est; hinc *Sanch. Moya q. 2. num. 2.* aliique multi
 cum *Illsung* suprā docent, si quis in aliquo periculo
 voveat, v.g. Castitatem, votum non esse perfectum,
 sed re ipsa conditionatum, quia intelligit, *si evasero,*
 nec directè tendit in castitatem, sed in evasionem
 periculi, uti antè dictum est. 6. Alternativum seu 548
 disjunctivum, cujus altera pars reservata non est,
 uti, voveo peregrinari Romam vel jejunare
 per mensem, *Val. Az. Suar. Sanch. Bon. Rebel. Castrop.*
 & alii

& alii cum Belleg. supra, ita enim habet Reg. 70. Jun
 in 6. *In alternativis debitoris est electio, & sufficit*
alterum adimpleri: Quod verum est, licet Jejunium
 fieret voti impossibilis, & quamvis liber
 nollet jejunare, sed statuisset peregrinari, *Mal-*
Dian. Tambur. Moya n. 7. Illung supra; quod rebe
 limitat Belleg, si habuerit tantum simplex propo
 situm, non tamen si priorem obligationem deter
 minare voluerit, tum enim censeretur peregrina
 tionem determinate vovisse. Quod si utraque par
 esset reservata, uti, *voveo Religionem vel peregrina-*
tionem Romanam, Votum esset reservatum, ut
 §49 tenent omnes communiter contra *Pa/q. 7. Emisium*
 cum animo se obligandi tantum venialiter, *Sna-*
Sanch. Bonac. Dia. Alloz. Gob. & alii cum Belleg. supra
 §. In dubio, an sit reservatum; sive sit dubium facti
 sive Juris, uti habet communis. Quod si bona fide
 sit commutatum, & postea rescietur fuisse refer
 vatum, valere commutationem ex praesumptio
 benignitate Ecclesiae dicunt *Sanch. Lug. Tambur.*
Belleg. supra.
 §50 §. 2. Si addidisti conditiones vel circumstantias
 in his dispensari potest vel fieri commutatio
 manente voti reservati substantia, uti habet
 communis, quia tales circumstantiae non sunt refer
 vatae; sic si vovisti Religionem ingredi hoc anno
 poteris ex causa differre secundum dicta *num. 511*
 item si vovisti ingredi Carthusiam, peregrinari
 Romam pedibus, vel Compostellam mendicando
 potest Confessarius ex causa dispensare vel com
 mutare, ut alium Ordinem etiam laxiorem ingre
 diaris, ut peregrineris eques, vel non mendicando
Azor, Sanch. Castrop. Lesf. Illung num. 145. & alii
cum Belleg. supra,

§. 3. Materia subrogata pro voto reservato 551
 non est reservata, sed commutari potest vel dispensari. *Nec obstat*, quod subrogatum videatur sapere naturam illius, cui subrogatur, *nam* Authores n. 439. relati dicunt hoc valere in solis favorabilibus: debet tamen explicari, quale fuerit primum votum, ne commutans temerè remittat de materia subrogata, uti pluribus explicat *Lugo in Resp. Mor. L. 4. Dub. 41. a num. 7.*

§. 4. Vota reservata Papæ non possunt dispensari 552
 vel commutari ab alio, secundum dicta n. 511; possunt tamen irritari ab illis, qui habent potestatem dominativam in voluntatem voventis, *Suar. Sanch. Mald. Dian. P. 1. T. 11. R. 84.* Quod si daretur potestas tantum in genere dispensandi vel commutandi omnia vota, non ideo intelliguntur reservata, quia quæ speciatim reservantur, requirunt specialem & expressam concessionem, *Laym. & Belleg. q. 1;* si tamen concedatur facultas ad omnia vota, & addatur, *exceptis Votis Castitatis & Religionis*, possunt commutari vota trium peregrinationum, quia exceptio firmat regulam in non exceptis, *Sanch. Belleg. supra.*

§. 5. Vota reservata Papæ dispensare possunt 553
 aut saltem commutare Episcopi ob necessitatem urgentem, uti explicabitur n. 563: Item illa dispensare possunt, secundum dicta, etiam alii, 1. Si fuerint imperfectè voluntaria: 2. In dubio de valore voti vel de reservatione: 3. Si tantum relaxetur circumstantia: 4. Si materia reservata mutata sit in non reservatam: 5. Ratione consuetudinis: 6. Per privilegium.

§. 6. Quamvis circa quinque Vota reservata 554
 Mendicantes non possint, quod Episcopi, secundum dicenda num. 563., tamen è contrà

non possunt Episcopi se extendere extra suos Dioceses, hoc autem possunt Mendicantes quoad ea ad quæ potestatem habent, quia hi agunt nomine Papæ, Episcopi potestate quasi ordinariâ, hinc potest Episcopus potestatem suam circa vota delegare alteri, non autem potest Mendicans, nisi in assignanda materia commutationis, secundum dicta n. 508, quod tamen propriè non est delegare.

555 §. 7. Si quis juret materiam, quæ, si voveatur, est reservata, *Tabien. Led. & alii apud Moyam q. 4.* putârunt ejusmodi Juramenta non esse reservata, quam sententiam *Dian.* vocat probabilem, eamque admittunt *Mald. Sanch. Tambur. Gob. T. 11. n. 657.* si juramento nullum sit adjunctum votum, quia in Jure nullum Juramentum invenitur esse reservatum, neque reservationes, utpote odiosæ, extendendæ sunt ab uno ad aliud, præsertim cum major sit obligatio voti quam juramenti, secundum dicta n. 306. E contra *Cajet. Sot. Tolet. Val. Suar. Laym. Moyam* aliique apud *Belleg. q. 5.* dicunt esse reservata, quia Juramenta pia in Jure æquiparantur votis, & re ipsa includunt votum, cujus insuper Deus invocatur ut testis. Hæ sententiæ videntur componi posse, dicendo, si hæc Juramenta fiant Deo, esse promissiones Deo factas, adeoque in illis includi votum, vi cujus materia sit reservata, secundum dicta n. 355. Ideoque hæc Juramenta majorem obligationem afferent, quam præcisè vota, quia per ista Juramenta Deus bis directè respicietur, uti insinuatum est n. 306; semel tanquam ille, cui fit promissio, & iterum tanquam testis voluntatis adimplendi: è contrà si fierent homini, aut saltem non Deo, non esset votum, adeoque Juramentum non esset reservatum, sed Deus tantum vocaretur in testem promissionis factæ homini, aut cuicumque alteri.

Q. 133. *Quid specialiter notandum fit circa Votum* 556
Castitatis. R. Seqq. §. 1. Ut fit reservatum, debet esse
 perpetuum, perfectum & absolutum omnimodæ
 castitatis, sive abstinendi ab omni voluntaria
 delectatione Venerea tam in- quàm externa,
 tam in- quàm extra Matrimonium, ita Authores
 communiter cum *Sanch. Suar. Moya T. 2. D. 1. q. 2. n. 1.*
Belleg. P. 3. Sect. 13. q. 3, hinc Votum Castitatis non est
 reservatum, 1. Emisum ad certum tempus, *Navar. 557*
Sot. Sanch. Castrop. Laym. L. 4. T. 4. c. 8. n. 8. Notant
 tamen rectè *Sanch. Lesf. Trull. Gob. Belleg.* suprà,
 votum castitatis ad 100. annos censi perpetuum,
 quia hominis vita præsumitur non fore longior,
 unde si quis octogenarius voveret castitatem
 ad 20. annos, votum censi deberet perpetuum.
 2. Si quis diversis votis varia voverit, quæ simul 558
 sumpta facerent votum totale castitatis, quia
 singulatim facta non sunt Votum perfectum Casti-
 tatis, & posteriora habent se per accidens ad priora;
 unde à contrario, si ultimo Voto intendisset
 ea omnia conjungere, hoc ultimum esset perfectum
 Votum & reservatum, *Sanch. Dia. Trull. Belleg.* suprà.
 3. Votum non fornicandi, *Navar. Lesf. Sanch. Belleg: 559*
 Item non nubendi, *Henriq. Val. Sanch. Tamb. Belleg:*
 Item non petendi nec reddendi debitum, *S. Anton.*
Sa, Henriq. apud *Laym.* suprà; quod verum est,
 licet factum esset de mutuo consensu Conjugum,
Lesf. Belleg. Ratio horum omnium est, quia non sunt
 omnimodæ castitatis: Et eadem ratio est de voto
 castitatis conjugalis, nisi annexum sit Ordini Mili-
 tati, *Sanch. Illfung T. 5. n. 145. Belleg.* suprà.

§. 2. Votum absolutum omnimodæ castitatis 560
 emisum à Conjuge post consummatum Matrimo-
 nium absque alterius licentia, non est reservatum,
 quia etiam non est omnimodæ castitatis,

cum teneatur reddere debitum, *Sanch. Trull. Belleg.* qui putant fore reservatum, si cum licentia alterius Conjugis esset emissum animo ingrediendi Religionem, quia alter jam irrevocabiliter, ut supponimus, cessisset Juri suo. Similiter si factum in Matrimonio necdum consummato ex intentione ingrediendi Religionem, erit reservatum, ut iidem Authores tenent: quod si Conjux mansurus in sæculo etiam post consummatum Matrimonium ita voverit cum consensu alterius conjugis, *Tanna* apud *Gob. T. 10. n. 627.* dicit non esse reservatum consentit *Quintanadv.* apud *Gob. n. 630,* licet uterque vovisset cum licentia mutua, dummodo non fecerint per mutuum contractum & conventionem, quã ceserint Juri licentiam illam revocandi, in priore enim casu non essent firmè obligati ad perpetuam castitatem, sed si intervenisset talis mutuus contractus & conventio irrevocabilis dicendum est cum *Navar. Silv. Rodrig. Sa, Dian. Belleg.* aliisque communiter fore reservatum putant tamen *B. Pontius & Diana P. 4. T. 4. R. 119.* si ad Pontificem non sit facilis recursus, & Conjuges pergant cohabitare, votum fore dispensabile, secundum dicenda n. 563, propter periculum incontinentiæ, quod (moraliter loquendo) semper aderit; verum potius antecedenter monendi sunt tales Conjuges, ut tale votum non faciant, nisi forte sint senes, vel advertantur habere speciale donum incontinentiæ, & se lecto separent.

§. 3. Circa votum perpetuæ virginitatis, an sit totale castitatis nec ne, recurrendum est ad mentem voventis, nam si tantum voluit abstinere à primo actu, quo perditur virginitas, erit votum castitatis parziale & non reservatum, uti omnes tenentur cum *Moya n. 4;* si autem hanc expressam intentionem non

non habuerit, Authores communiter cum *Az. Sarr. Sanch. Lesf. Trull. Dian. Belleg. Castrop. D. 1. P. 12.* dicunt esse totale ac reservatum: Alii apud *Moyam* n. 6. dicunt non debere censerī totale, nisi habuerit expresam intentionem vovendi omnimodā castitatem, quod ut probabile defendit *Burgh. Centur. 1. Casu 59,* hinc *Illsung T. 5. num. 108.* dicit etiam amissā virginitate teneri abstinere ab omni delectatione læsiva virginitatis, quia hic est communis sensus ita voventium, ideòque censerī debere esse votum castitatis perpetuæ saltem imperfectæ, excludentis omnem voluptatem Veneream corporalem, nisi manifestè fuerit alia mens voventis, citatque pro sua sententia *S. Thomam, Suar. Sanch. Castrop. Tambur*: sed *Moya* num. 7. probabilius sic distinguit, si vovens cognovit differentiam inter virginitatem & castitatem, ac dixerit, voveo virginitatem, erit parziale; si non cognovit, uti communiter non cognoscunt Juvenes & puellæ, censendum est totale, quia pro eodem sumunt. Addit rectè eum, qui dubitat, an emiseric votum parziale castitatis an totale, posse resolvere in favorem suæ libertatis, quia tantum est certitudo pro voto hoc vel illo, votum verò ita disjunctivum relinquit libertatem eligendi, quod volet, uti dictum est n. 548.

§. 4. *Votum sacros Ordines suscipiendi non est* 562
reservatum, quia est tantum Votum vovendi castitatem,
& necdum castitatis, *Henriq. Sa, Az. Suar. Lesf.*
Sanch. Castrop. Dian. Ills. n. 145. Belleg. q. 3.

§. 5. *Sanch. de Matr. L. 8. D. 10. n. 22. referens alios* 563
ait: Hac Votorum reservatio non ita amarè ac strictè
accipienda est, quin liceat Episcopo dispensare
in his Votis Castitatis perpetuæ & Religionis
quando magnum incontinentiæ periculum imminet,
nec,

nec facilis aditus ad Pontificem patet præ paupertate
 vel alia causa, quia Jure optimo credi potest non esse
 mentem Pontificis velle in tali casu reservare
 hac vota, neque est verosimile velle eum, ut animas
 laqueis irretita in tanto periculo versentur. Et infra
 Imò ob easdem rationes idem dicendum est, quamvis
 non immineat periculum incontinentia ex morte,
 si aliud quodcunque grave periculum immineat, vel
 gravis scandali vel magni damni tertia persona.
 Idem habet Lessius, si non sit facilis recursus
 ad Papam vel ejus Delegatum: item Garz. Torr.
 Led. Dian. Pasq, quos adductis verbis refert Moyam
 à n. 10. Idem tenent Sylv. Navar. Henrig. Val. Suar.
 Suar. Laym. Castrop. aliique cum Carden. in 1. Cris.
 D. 79. num. 17, qui dicunt non esse credendum,
 quòd Papa velit sibi cum damno salutis animarum
 reservare illam potestatem à Christo in bonum
 animarum concessam: consentit etiam Alvis.
 de Privil. Regul. Sect. 3. c. 5. §. 3. num. 33. Imò Pasq.
 apud Moyam n. 16. dicit, cum Confessarii in Jubilæo
 possint vota non reservata commutare, posse com-
 mutare vota, in quibus dispensare posset Episcopus,
 quod Bosf dicit probabile: addunt Croufers, Leand.
 Alvis. & alii apud Moyam à num. 17. Mendicantes
 semper posse per sua privilegia dispensare, uti
 Episcopus, quando est casus talis urgentis necessi-
 tatis, sed his sententiis Pasq. & Crouf. 1. eritò contra-
 dicit communissima cum Suar. Sanch. Barbos.
 Henrig. Laym. Rodrig. Fagund. Mirand. Lezan. Castrop.
 Tamb. L. 3. c. 16. §. 4. n. 49. Burgh. Cent. 3. Cas. 3.
 Moyam n. 22, quia omnes Doctores antiqui conce-
 dentes Episcopis ex præsumpta licentia Pontificis
 hanc potestatem extra-ordinariam, attamen
 in Jurisdictione ordinaria fundatam, negant relie-
 quis Confessariis & Mendicantibus pro tempore
 Jubi-

Jubilæi, hinc in Bullis Jubilæi & privilegiis Mendicantium expressè solent excipi vòta illa : quoad hæc in omnibus consentit *Illsung* n. 147, attamen rectè addit cum *Sily. Navar. Suar. Sanch. Lug. in Resp. Mor.* L. 6. D. 1. *num.* 4. plus non posse Episcopum, quàm præcisè necessitas præsens exigat, hinc licèt dispensetur ad contrahendum Matrimonium, adhuc obligari vitare peccata contra castitatem : denique addit *Moya D.* 1. q. 1. n. 23. Votum Castitatis vel Religionis emissum à tali in Venerem proclivi, vel cui proclivitas illa supervenit, non esse reservatum Papæ, sed etiam ideo esse dispensabile ab Episcopo, eò quòd certum non sit illud obligare, sed de hoc satis diximus n. 481.

§. 6. Si dispensatio voti castitatis obtenta sit 564 ad effectum ineundi Matrimonii, non ideo votum definit esse reservatum, nèque ideo dispensatur quoad reliqua, nèque etiam ad secundum Matrimonium, si hæc uxor moriatur, quia communiter additur, ut hac mortuâ cælebs maneat, utpote eodem voto obligatus, unde re ipsa manet reliqua partialis materia prioris voti reservata, & mortuâ uxore est tota obligatio prior, uti si quis obstrictus absoluto voto castitatis ducat uxorem & dispensetur ad petendum debitum, non ideo reliquæ partes voti definiunt obligare aut esse reservatæ, sed si uxor ista moriatur, dispensatus obligatur eodem voto omnimodæ castitatis, uti pluribus deducit *Lugo* supra toto Dubio I. Laudabile esse emittere votum castitatis in sæculo, probat fuse *Lesf. in Auct. v. Votum. Casu I.*

Q. 134. *Quid circa Votum Religionis sit notandum.* 565
 R. Seqq. §. I. Ut sit reservatum, debet esse absolutum & perfectura Religionis propriè & simpli-

simpliciter dictæ, unde *Votum Religionis* ab Ecclesia non approbatæ non est reservatum, ita cum communi *Belleg. P. 3. Sect. 13. Quæst. 4.*

566 §. 2. Reservata sunt omnia vota, per quæ quis Religiosus, qualia sunt paupertatis, castitatis, obedientiæ in Religione emissa; item quædam alia vota particularia secundum specialia Statuta quorundam Ordinum, *Suar. Dian. Belleg. supra.*

567 §. 3. Si aliquis continentiam servare non posset, nec daretur recursus ad Papam vel Delegatum, essetque periculum in mora, posset Episcopus in Voto Religionis ineundæ dispensare, secundum dicta n. 563.

568 §. 4. *Votum, quo Religiosus vovet eligere Religionem strictiorem, non est reservatum quoad circumstantiam strictioris, uti habet communis cum* *Sot. Silv. Navar. Ar. Les. Sanch. Dian. P. 1. T. 1. R. 55. Illsung n. 145, & dictum est n. 550; nequit tamen irritari à Superiore, uti habet* *Busenb. relatus n. 489, & præter ibi citatos docent* *Suar. Laym. Tamb. L. 1. c. 12. §. 5. n. 5, quia Religiosus quoad hoc subiacet soli Pontifici.*

569 §. 5. Probabiliter tenent *Sanch. Fagund. Malde. Dian. Trull. Belleg. supra, Les. in Auctario v. Votum. Cas. 3. Votum perseverandi in Religione non esse reservatum, sed commutari posse, si quis in Novitiatu experiatur Statum sibi non convenire, nam non est Religionis in se, sed circumstantiæ, quæ non reservatur, secundum dicta n. 550.*

570 Q. 135. *Quid circa Votum trium peregrinationum sit notandum. R. Hoc unicum, quod Votum trium peregrinationum non sint reservata, nisi sint emissa devotionis causâ, Tamburini Illsung T. 5. num. 145.*

TRACTA

TRACTATUS III.

De Tertio & Quarto Præcepto.

CAPUT I.

Quid Tertium Præceptum:

Memento, ut diem Sabbati sanctifices.

Præceptum hoc, quatenus vult⁵⁷¹
 tempus aliquod sanctificari, et
 sive impendi cultui divino, et
 est naturale & adhuc obligat: et
 quatenus verò per id tempus et
 designatur dies Sabbathinus, et
 est cerimoniale, & in Novo et

Testamento abrogatum, ac pro eo ab Ecclesia et
 designatus dies Dominicus & festi; præscriptusque et
 modus colendi, ut quædam opera illis diebus et
 fiant, quædam non: hæc prohibentur, illa præci- et
 piuntur. Bonac. Laym. ex D. Thom. 2. 2. Q. 122. et

A D D E N D A.

Q. 136. *An Præceptum observandi Festa obliget
 sub mortali.* R. Affirmativè, nam Innocentius XI. ⁵⁷²
 damnavit hanc 52. Prop. Præceptum servandi Festa
 non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit
 contemptus. Et quamvis obligatio gravis obser-
 vandi Festa non constaret, neque ex sensu communi
 Fidelium, neque ex universali consuetudine
 Ecclesiæ determinantis Jus naturale & divinum,
 quo tenemur aliquando Deum specialiter colere,
 nihilominus

nihilominus ex hac damnatione obligatio illi fit evidens, quia cum ista Lex, prout cadit in certos dies, sit Ecclesiastica, ad Pontificem, qui primarius author est Legis, spectat declarare, an graviter obliget nec ne, ergo cum declaret graviter obligare, evidens est ita esse, *Carden. in 2 Crisi D. 32. n. 11*.
 Atque ex hac damnatione etiam sequitur, improbabilem esse sententiam illorum, qui dicunt nullum Præceptum graviter obligare, nisi si de aliquo, quod opponatur charitati Dei vel Proximi, nam in primis violare Legem quamcunque ex contemptu illius Legis seu potestatis Legislative, semper est mortale, uti tenent omnes, nec tamen est contra charitatem Dei vel Proximi, deinde certum est, quod Legislatores etiam humani in materia gravi possit graviter obligare, habet enim potestatem præcipiendi & prohibendi non restrictam ad obligationem tantum levem, ergo si declaret se velle obligare graviter, erit obligatio sub mortali, neque tamen transgressio erit contra charitatem Dei vel Proximi. *Nec refertur* quod omne mortale est subjecto, in quo est, expellat charitatem: *Nam* ex hoc tantum sequitur, quod omne mortale opponatur charitati subjective in quantum tollendo gratiam facit abesse Charitatem, sed non ideo semper opponitur objective, quia verum non est, quod omne mortale opponatur motivo formali Charitatis, quod est esse contra Charitatem.

DUBIUM I.

Qua opera tum hoc Præcepto, tum ab Ecclesia prohibeantur.

573 » R. I. Die festo prohibentur omnia opera servilia
 » hoc est, quæ & versantur circa materiam externam &

& vel mechanica & illiberalia sunt, v. g. suere, fabricare; vel requirunt tantum laborem corporis, & ab operariis tantum & servis fieri solent. Ita Doctores communiter. Vid. Laym. L. 4. Tract. 7. Cap. 1. Suar. Fill. & alios ex D. Th. l. c. Unde resolves,

I. Impertinens est ad rationem operis servilis, utrum fiat ex lucro, an recreatione; ex hac an ista intentione pia, vana, & turpi. Cajetan. Suar. Layman l. c. & alii contra Sylv. & Canonistas.

II. Impertinens quoque est, si fiat cum defatigatione & labore, si non; si brevi, si longo tempore, &c. quia nihil horum mutat naturam operis.

III. Servile non est, ideoque nec prohibitum, Festo ludere, choreas ducere, instrumenta musica pulsare, iter facere pedibus, equo, curru, vel navi: unde etiam ad hæc necessaria sunt licita. Navar. c. 13. Tolet. & Laym. Suar. de Fest. c. 27.

IV. Nec servile est, ducere jumenta sine onere; cum id sit iter facere, ut ait Fill. Tract. 27. c. 9. n. 170. Ducere autem jumenta, currus, vel navigium onustum mercibus, est servile. Suar. Fill. l. cc. Quod si tamen ante Festum talia itinera incepta sint, continuatio eorum permittitur, vel ob publicam utilitatem, vel propter damnum, quod aliàs sequeretur.

V. Item nec servile est, si gratis, si pro pretio docere, studere, scribere, transcribere; & secundum quosdam, ut Medinam, Lopez & Armillam, quorum sententiam probabilem docet Laym. n. 3. & 4. contra Sa, Fill. Azor & alios multos, pingere etiam coloribus; (nam de rudibus lineamentis plerique concedunt) terere tamen colores, & non pingere, sed tingere, ut v. g. colorare aseres, vel pannos, dealbare parietes, illiberale est.

- » VI. Videntur etiam excusari posse in typo-
 » graphiis literarum collocatores, quando
 » post divina collocant neglectum pensum,
 » ut habet *Layman num. 3.* Imprimere tamen
 » servile habetur. *Escob. E. 5. c. 4. Suar. Laym. & alii.*
 » VII. Excusat etiam *Fill. n. 169.* distillationem
 » quæ sine corporis fatigatione, potius ad expe-
 » rientiam & peritiam fit, quàm ex officio & arte.
 » VIII. Servile aliqui non putant, (alii contrarium
 » tenent, & excusant per consuetudinem, ad otium
 » aliâque pejora vitanda) venari. *Gran. 2. 2. c. 3. Tit.*
 » *D. 4. S. 7. n. 63.* Aucupari, militare, gladiari, piscari
 » (saltem in fluminibus recreationis gratiâ) &
 » similia: piscatio tamen moderata esse debet.
 » *Vid. Laym. & Fill. q. 12. Bonac. Tom. 2. D. 5. Q. 11.*
 » *P. 2. n. 25. Escob.* qui docet, laboriosam, & ex officio
 » non licere. Similiter quidam excusant puellas
 » ad otium vitandum acu pingentes. *Armil. Azor.*
 » *Palans, Sa, March. Vid. Dian. P. 6. T. 6. R. 15.*
 » & *P. 4. Tract. 4. R. 62.*
 » *Resp. 2.* Prohibentur præterea quædam opera
 » non servilia, quæ dicuntur *forensia*; ut sunt
 » mercatus, Placitum, Judicium ad mortem vel
 » pœnam, & strepitus omnis judicialis, id est, actio-
 » nes, quæ ad decisiones causarum, tam civilium,
 » quàm criminalium, tam sæcularium quàm
 » Ecclesiasticarum spectant. *Ita communiter DD.*
 » *ex Cap. I. de Feriis. Unde resolves:*
 » I. Festo non licet citare, adducere testes, id est,
 » exigere Juramentum judiciale, proferre aut
 » exequi sententiam; quæ si feratur, est irrita.
 » *Vid. Laym. c. 2. n. 7.*
 » II. Nec licet emere & vendere res non neces-
 » rias, negotiari publicè vel privatim, inire con-
 » tractus emptionis, locationis, permutationis, &c.
 » (nisi

(nisi ex consuetudine, vel aliis justis causis excu-
sentur) quia intelliguntur nomine mercatus, &
qui prohibitus est *Cap. I. de Feriis*, ut docet *Bonac.*
ex *Suar. c. 13. & Fill. num. 180.*

III. Festo licet excommunicare, dispensare,
Judicem privatim informare, Advocatum
consulere, consilia conficere, eligere, &c. quia
non requirunt strepitum judiciale. *v. Bonac. l. c.*

A D D E N D A.

Q. 137. *Quanam præterea opera censentur servilia.* 574

R. Generatim loquendo, opus servile sic descri-
bitur: *Opus, quod commoditati corporis inservit, &
& servis regulariter fieri solet; vel secundum Illsung*
T. 5. n. 166: Actio, quæ quia vel immediatè in utili-
tatem corporis, vel corporis potius quàm animi viribus
efficitur, vulgaribus communiter hominibus
committi solet: Est tamen maximè habenda ratio
ustis & consuetudinis, nam servilitas operis
maximè pendet ab æstimatione hominum, uti
notant Tamb. & Ills. Nunc addi possunt sequentia:

§. 1. Lineas notis musicis solitas subjici seridè 575
& per se ducere, videtur servile, non tamen
notas scribere aut per accidens tales lineas ducere,
si quæ necessariæ sunt ad notas tum scribendas,
Tambur. L. 4. c. 3. §. 1. num. 7. Nec servilia sunt,
rationes inire vel computus, nec designare in charta
opus alteri fabricandum, Sanch. in Conf. L. 5.
c. 2. D. 14. Castrop. T. 7. D. 2. P. 5. n. 4. Tamb. supra.

§. 2. Servile est ex proposito reficere retia; item 576
retia magno nisu & labore per longum tempus
attrahere, hinc ut liceant similia, fieri debent
finè magno apparatu, *Tambur. num. 9. & §. 2. num. 23.*
Venatio autem & aucupium, quamvis fiant
lucri causâ & ex officio, si fiant finè magno appa-
ratu, die festo licent, quia sunt opera secundum se

communis liberis & servis, *Sanct.* suprâ, idem dicens de piscatione, quæ fit arundine, & *Dub. 6.* universaliter dicit, omne opus, quod licitum est die festo vel ex se vel ex necessitate vel ex consuetudine, etiam esse licitum, quamvis fiat ob lucrum, nam non ideo fit servile, nec ideo definit necessitas aut Jus faciendi, quod habetur per usum: sculperetamen in cera, creta, gypso, est servile, uti habet communis cum *Tambur. §. 1. num. 10.*

577 §. 3. *Tamb.* n. 11. & *Ills.* suprâ dicunt licitum esse iter facere in lectica ab hominibus portata, sed dicendum videtur id esse illicitum, quia illa portatio lecticæ est opus servile, ergo non licet, nisi excuset necessitas vel alia causa: Et frustra citat *Tamb.* pro sua sententia *Castrop. P. 5. n. 12.* Item *Bonac. hic D. 5. p. 2. n. 25,* nam *Castrop.* loquitur tantum de lectica ab animalibus portata: *Bonac.* autem tantum dicit licitum esse parare ea, quæ necessaria sunt ad Diurnum deportandum, aut ferre secum necessaria ad usum itineris, uti cibum, vestes &c: hæc enim accessoria sunt itineri de se licito in die festo.

578 §. 4. Simpliciter loquendo licita est occupatio modicissimæ applicationis, hinc si cooperatio cum animalibus, ventis, aqua, igne &c. nullam vel modicam habeat applicationem, est licitum illis cooperari; & ita licitum est voce, strepitu, baculo excitare animal ferens onus, molere, distillare die festo. Quod si notabilis applicatio vel cooperatio servilis requireretur, ut si onus esset sæpius imponendum, deponendum; animal sæpius exuendum; induendum; mola sæpe obvertenda; ligna findenda ad alendum ignem &c. foret illicitum, *Tamb. n. 14.*

579 §. 5. Illicitum est die festo imponere laborem hæreticis, hi enim illo *Ecclésiæ* Præcepto tenentur: probabilius tamen est cum *Laym. L. 1. T. 4. c. 9. n. 3.*

& Diana P. 5. T. 14. R. 7. imponi posse perpetuò amentibus, item infidelibus vel Catechumenis, uti docet idem Diana cum Gran, quia hi, cum non sint baptizati, non sunt Ecclesiæ subditi, nec illius Præceptis obligantur: attamen etiam probabile videtur cum Tamb, n. 16. id non licere, licet enim hi die festo possint laborare, si suâ sponte velint, ob rationem datam, non ideo licebit alteri, qui Præceptis Ecclesiæ tenetur, imponere laborem, quia huic moraliter imputaretur labor & inhonoratio diei: Hanc sententiam non putat probabilem Illsung suprâ, 1. Quia qui mandat puero rationis incapaci die Veneris carnes comedere, vel die festo non audire Missam, non peccat, ergo similiter hic. 2. Qui die festo sine sua cooperatione facit per equos molam circumagi, non peccat, ergo similiter hic. 3. Lex sanctificandi diem festum imponit obligationem personalem, ergo uti non satisfacit Legi, qui die festo audit Missam per alium, jubendo illum audire, sic non facit contra Legem, qui in propria persona non laborat. 4. Ad do pro Illsung, qui jubet dispensatum laborare, non peccat, ergo nec peccat, qui jubet laborare non subjectum Legi. R. Hæc dici probabilis, sed non concludunt certò: Ad 1. N. conseq: Quia mandans ista, non ideo censetur carnes comedere aut negligere Missam: è contrâ mandans laborare die festo, censetur per illos laborare tanquam per instrumenta. Ad 2. etiam N. conseq: quia equi aut alia irrationalia non sunt de se apta sanctificare aut profanare diem, si enim fluvius exundans toto die festo evolvat arenas ad litus, nemo dicet profanari Festum: è contrâ homines sunt instrumenta rationalia de se apta sanctificare vel profanare diem festum,

qui enim videret etiam infideles die festo laborantes, diceret, non colunt diem, uti vult Ecclesia; atque in his multum tribuendum est existimationi hominum, uti fatetur *Illsung. Ad 3.* Si argumentum valet, ergo nec facit contra Legem, qui mandat Fideli, ut laboret, quia nec per illum potest audire Missam: itaque *N. conseq.* quia licet ipse non laboret, tamen ipsi imputatur labor alienus & inhonoratio diei fit moraliter ipsius. *Ad 4. N. Conseq.* quia pro dispensato est positiva concessio Ecclesie, quæ facit laborem non censi inhonorativum diei: è contra vult Ecclesia etiam infideles abstinere, quamvis eis imperare non possit.

380 Q. 138. *An peccet mortaliter, qui die festo mandat sex famulis, ut singuli unâ horâ laborent.*

§. 1. Si mandet, ut laborent simul, secluso scandalo est veniale tantum, quia non est una gravis inhonoratio Festi, sed sex leves: è contra si mandet, ut laborent successivè, *Sanch. Bonac. Castrop. Ovied. Trull. Dian. Pasq. Herinx de pecc. D. 7. n. 50. Tambur. §. 2. n. 1.* *Illsung* supra aliique communiùs adhuc excusant mandantem à mortali, 1. Quia singuli laborantes peccant tantum venialiter, ergo & mandans: 2. Quia labores illi non possunt moraliter coalescere, cum exercentur à diversis personis habentibus diversas obligationes personales ab invicem independentes: 3. Quia qui in die Jejunii sex hominibus suadet, ut parum comedant, non peccat graviter, quamvis parva illa, quæ à singulis sumuntur, essent materia gravis transgressionis, si ab uno sumerentur, ergo idem est hic.

381 §. 2. Spectatâ ratione videtur probabilius talem mandantem peccare mortaliter, ita *Arsele. T. 2. P. 2. T. 5. c. 3. §. 1. q. 4;* nam 1. Mandans censetur ipsemet principaliter laborare per notabilem diei

partem, adhibitis aliis velut instrumentis, adeoque respectivè ad ipsum coalescunt partes laboris; & cum mandet successivè fieri, re ipsa ponitur gravis inhonoratio Festi, quia ponitur labor per sex horas durans, & quidem moraliter ab ipso eodem, qui causa est hujus totius laboris, ergo mandans est causa gravis inhonorationis Festi. 2. Si Cajus centum famulos habens, singulis mandaret, ut uno quadrante facerent incendium successivè, ille diceretur esse causa diuturni incendii, quamvis singuli facerent breve incendium; & etiam si apud diversos illa incendia facerent, tamen esset diuturnum incendium, ideòque si ad grave peccatum incendii sufficeret diuturnitas, hic posuisset grave incendium; sed sic se habet res in nostro casu, nam ad gravem inhonorationem Festi sufficit diuturnitas inhonorationis, ergo. 3. Cajus mandans decem famulis, ut singuli à Titio furentur solidum, peccat mortaliter, licet singuli tantum venialiter, quia ab eodem Cajo moraliter ponuntur singula furta, & totum damnum, ergo similiter hic, uti enim illa partialia furta uniuntur ratione unius damni à Cajo causati, ita singuli labores ratione unius diuturnæ inhonorationis à mandante causatæ. 4. Saltem hoc est graviter scandalosum, nam posset quis abuti multitudine hominum, & facere, ut toto die in sua domo serviliter laboraretur, quod utique esset graviter inhonorativum Festi, ergo.

§. 3. Ad argumenta contraria facilis est responsio, 582

Ad 1. N. *conseq*: nam singuli labores non coalescunt respectu laborantium, quia hi independenter ab invicem laborant: è contrà omnes laborant dependenter ab uno mandante, ergo est ratio, cur respectu hujus coalescant: & sic patet etiam ad 2.

Ad 3. N. Conseq: Disparitas est, quòd per omnes illas etiam simul sumptas comestiones nulla fiat gravis transgressio Præcepti, quia non ponitur secunda plena refectio, sed singuli adhuc servant substantiam Jejunii, & macerant corpus, qui est finis Præcepti: è contrà in nostro casu per illos labores ponitur gravis inhonoratio Festi, omnes autem illi labores attribuuntur uni mandanti, ergo meritò illi attribuitur gravis inhonoratio Festi non minùs, quàm si illos labores ipse physicè poneret.

DUBIUM II.

Quæ causa excusent ab observatione Festerum, ob quas opera prohibita liceant.

- 583 ¹ **T**ales præcipuè sunt septem: *Prima*, Dispensatio Episcopi, vel habentis potestatem qualis Episcopalem; uti Superiores Religionum, imò & Parochi, quando non datur facilis accessus ad Episcopum. *Suar. c. 33. Bonac. P. 3. n. 20.*
- ² *Secunda*, Consuetudo; nam sic licentia nundinæ illæ, in Festis passim haberi solitæ: Et præparaciones deliciarum non necessariarum, ut cupediarum, placentarum, & similibus ciborum artificiosorum; item emptiones & venditiones regularum parvi momenti. *Bonac. l. c. Laym. L. 4. T. 7. c. 2. n. 6.*
- ³ *Tertia*, Pietas in Deum: per quam licentia opera, quæ proximè, (non quæ remotè) spectant ad cultum Dei: ut pulsare campanas, circumferre imagines, vel cruces in supplicatione. Ornare autem, & verrere templa, ac similia, quæ ad ipsum officium non spectant, si absque ratione in Festum differantur, venialia habentur. *Fil. T. 27. n. 218. Bonac. l. c.*

Quarta

Quarta, Charitas erga Proximum : per quam licent & valent actus judiciales pauperum, orphanorum, viduarum, & miserabilium personarum, ne expensis graventur. Sic etiam possunt rusticanorum, in parvis oppidis, si aliis diebus adesse nequeant, causæ civiles agitari. Similiter licet pauperibus & infirmis, pro tunc egentibus, subvenire. Item emere & vendere rusticis, qui aliis diebus impediuntur. *Laym. n. 7. Vid. Dian. P. 2. T. 15. R. 34.*

Quinta, Necessitas propria vel aliena, corporis vel animæ, si nimirum sinè gravi incommodo, aut detrimento aliquid omitti non possit. Quo modo excusantur, I. Judicia, quæ celeritatem requirunt: v. g. si latro sit fugiturus, nisi tunc capiatur. 2. Servi & ancillæ coacti à Dominis laborare, nec audentes recusare: quod si tamen frequenter contingit, eos deserere debent. *Suar. Laym. c. 4. n. 3.* Iidem & similes reficientes suas vestes, cum id aliis diebus non possint. 4. Pauperes, qui se suosque alere non possunt, operantes privatim, sinè scandalo; maximè quando multi dies festi concurrunt. *Bonac. n. 13.* 5. Coci & culinarii. 6. Pistores, laniones, & similes in oppidis populosis, & concursu Festorum. 7. Chirurghi, & Pharmacopola. 8. Conflatores ferri & vitri, coctores laterum, calcis, &c. Et quicumque, quorum opus semel cœptum, non potest interrumpi sinè damno. 9. Molitores, & Naucleri pendentes à ventis. 10. Piscatores halecum, tinnorum, &c. qui certo tantum anni tempore id possunt. II. Instauratores fontium, pontium, viarum publicarum, & similibus, quæ moram non patiuntur. 12. Sartores in operibus necessariis, ut funeribus,

- » nuptiis, &c. si aliter fieri non potest, ut satisfaciant.
 » 13. Agricola ad cavendum damnum ruri laborantes; ut si ob pluviam imminentem segetes vel fœnum congregent. *Bonac. num. 13. Fill. num. 211.*
 » 14. Denique excusantur etiam mercatores, qui clausis tabernis quædam vendunt; cum præsupponere possint, emptoribus ea tunc esse necessaria, nec aliàs commodè emere posse. De supra dictis *vid. Suar. Fill. Laym. Bonac. ll. cc.*
 » *Sexta.* Utilitas non simpliciter necessaria, sed ad communem lætitiã, vel splendorem. Sic enim licet in adventu vel ortu Principis laborare, ut perficiantur theatra, ignes, vestes, &c. quanquam monet rectè *Suar. præstare in hoc casu petere veniam à Pastoribus. Vid. Bonac.*
 » *Septima.* Excusat item, saltem à gravi peccato, parvitas operis, seu temporis. Unde grave non videtur unã horã laborare, ut habet *Suar. l. 2. de Festis c. 32.* maximè, ut notat *Laym. c. 4. n. 1.* si labor non sit nimis servilis, & fatigans corpus. Imò durum videtur mortalis damnare, si quis duas aut tres horas impendat. *Vid. Fill. num. 209.*
 » In forensibus autem & judicialibus materia quantitatẽ non ex quantitate temporis, sed ex qualitate operis desumendam, monet *Escob. E. 5. c. 3. n. 14. ex Palao Tract. 9. D. 2. P. 1. n. 4.* Sic grave peccatum esse asserit venditionem rei magni momenti, cum magna solennitate, licet brevi tempore fiat. Quod intelligitur (secundùm supradicta) nisi consuetudo, vel necessitas excuset.

A D D E N D A.

- § 84 Q. 139. *Quid notandum sit circa dispensationem pro labore in die festo.* R. Hæc pauca, in Festis Jure communi inductis, si causa adsit, validè

validè dispensat Episcopus & ejus Vicarius pro omnibus Diœcesanis, Parochus pro Parochianis, Superior pro subditis, non tamen pro famulis sæcularibus; Papa pro omnibus, etiam finè causâ, sic tamen dispensans peccare potest: Deinde qui potest dispensare potestate ordinariâ, potest suas vices alteri delegare, dicendo, si ille approbaverit causam, dispenset: Si autem ipsemet habeat potestatem delegatam, non potest subdelegare, attamen dicere potest, dispenso, si ille causam approbaverit: Denique si causa moraliter certa excuset, non est opus dispensatione Superioris, nisi fortè ratione scandali, quod oriretur, si publicè laboraretur, *Tamb. L. 4. c. 3. §. 2. à n. 31. Vide Leurenium P. 1. Quæst. 437. num. 2.*

Q. 140. *Quid circa consuetudinem.* R. Hoc unum, 585 quod per consuetudinem videatur nunc licitum molere, non tamen advehere frumenta vel farinam avehere: non ubique tamen est talis consuetudo. *Escob. & Stoꝝ* per consuetudinem excusant etiam eos, qui tempore messis die festo sub vesperum acuunt falcem, vel præparant materiam pro labore sequentis diei necessariam.

Q. 141. *Quomodo pietas excuset.* R. Propter hanc 586 licitum est die festo fodere sepulchrum pro mortuo illo die sepeliendo, *Illsung T. 5. num. 167*; item veniale tantùm esset erigere sepulchrum Christi, præsepe vel moles artificiosas ad excipiendam Eucharistiam, licet die præcedenti fieri potuisset; item collocare scenam in Ecclesiis ad repræsentationem sacram, *Tambur. num. 3. Illsung supra.* Dubitatur autem, an excuset voluntas vitandi orii; negant *Suar. Comit. & alii*, quia opus, quod ex se est servile, manet tale, quamvis fiat pio fine: è contrâ à mortali excusant *Sa, Silv.* aliique
cum

cum *Burgh. Cent. 1. Cas. 77.* quia si liceat laborare ad vitandum damnum temporale, magis licebit ad vitandum malum spirituale, quale est otium sed dicendum est cum *Sanch. in Conf. L. 5. c. 2. De Castrop. Tamb. Illsung* suprâ, tum tantum licitum est laborare vitandi otii causâ, quando aliter vitare non posset aliqua tentatio, si enim liceret præcipue ad vitandum otium, etiam liceret quibusvis opibus, ne otiosi essent, aut saltem ne ad popinas, aut ad alias periculosas conversationes irent, uti refert *Steph. T. 1. D. 5. n. 154.* Denique ex *Cap. Conquestus de Feriis*, plures apud *Sanch. D. 21.* docent opera servilia ob pietatem, vel Ecclesiam vel Monasterium vel Pauperes alendos absolute esse licita, limitant *Sily. & alii*, exceptis Dominicis & Festis sollemnioribus: Alii excipiunt solam Dominicam Paschæ & Pentecostes; sed hæc omnia melius negantur, nisi prout dicitur *Quæst. seq.*

587 Q. 142. *An Charitas excuset laborantem pro paupere.*

R. Excusat laborantem pro tali paupere, cui ratione gravis necessitatis tum liceret laborare: debes autem scire, quis determinatè sit ille pauper, cui laboras, *Sanch. D. 23. & alii, Ills. Tamb. §. 3. n. 16.* qui Domicellis otii vitandi causâ volentibus laborare die festo, rectè suaserit, ut laborarent pro tali paupere, aut etiam pro Ecclesia in gravi necessitate constituta, tum enim excusabit Charitas.

588 Q. 143. *Ad quæ præterea se extendat excusatio ab necessitate.* R. §. 1. Ob hanc licitum est laborare in messe, foeno, vindemia, quando aliàs ratione tempestatis & pluviarum probabile damnum timeretur, *Illsung T. 5. n. 167*; item ad cavendum grave damnum aliud: non esse autem licitum ob extra-ordinarium lucrum, docent *Suarez & Castrop. T. 9. P. 10. n. 3*, sed probabiliter putant licere

Sanch. D. 19. Dian. P. 2. T. 15. R. 34. Tamb. §. 2. num. 8,
quia amittere notabile lucrum extra-ordinarium
videtur esse grave damnum, neque putandum est
Ecclesiam, utpote piam Matrem, velle Fideles
ad hoc obligare : quantum autem debeat esse
lucrum, ut pro eo liceat laborare, insinuabitur n. 681.

§. 2. Licitum est pro victu præparando occidere, 589
excoriare vel deplumare animalia, si pridie fieri
non potuerit, *Sanch. D. 18. Tambur. n. 22* : plus dicit
Castrop. supra his verbis : *Parantes cibum & potum,*
tametsi superflue & ad delectationem, excusantur
consuetudine, namque sic jam est introductum,
idque extensum est ad colligendos fructus eodem die,
ut saniores & integriores sint & ad occidenda &
excorianda animalia, præcipue si sit ratio aliqua,
qualis est cibaria non esse ita suavia, si alio die
disponantur &c ; & idem de cibis etiam superfluis
docet *Fagund. in 1. Præcept. Eccles. L. I. c. II. n. I.*

§. 3. Si recitanda est Comœdia die festo, 590
potest tum fieri apparatus, qui commodè
non potuit præveniri, *Tolet. & alii cum Sanch. D. 18* :
item licitum est fabris ferrariis calceare equos
ob necessitatem itinerantium, *Sanch. Tambur.* Item
partim per consuetudinem, partim ob necessitatem
licitum est secare venam, irrigare olera & alia
similia, quæ passim fieri videmus non reclaman-
tibus Prælati Ecclesiæ, *Sanch. supra.*

§. 4. Barbi-Tonsores communiter excusantur, 591
vel parvitate materiæ, si unum tantum vel alterum
tondeant, vel necessitate, vel consuetudine, vel
ob lucrum cessans & oriturum damnum, si petentes
non tonderent, *Tamb. §. 2. n. 13. Diana P. 2. T. 15. R. 34.*
& alii, quod probabile agnoscit *Illsung num. 166.*
Et quamvis *Sanch. D. 21.* absolute dicat consuetudi-
nem illam semper fuisse improbatâ, excusat tamen,
si

si antè non potuerit fieri , aut si alioquin Barba
Tonfor esfet deferendus , aut si ideo die festo
tondeant, quia tum veniunt Rustici aut alii operari
aliis diebus impediti , poterunt enim tonderi
licèt barbi-tonfio ad longum tempus duraret.

§92 §. 5. Sartores, qui bonâ fide appromiserunt
vestem, quam re ipsa putaverant ante diem festum
perficiendam, excusantur, si, ut stent promissis
laborent post mediam noctem usque in Festum,
Laym. L. 4. T. 7. c. 4. n. 2. Dian. P. 4. T. 4. R. 62; intelligi
si ideo passuri essent incommodum, nam si excusari
possint, tenentur à labore abstinere.

§93 §. 6. Famulantes laborare possunt, si recusando
Dominos suos ad gravem indignationem com-
moverent, ex qua prudenter timerent incommoda
Illsung num. 177.

§94 Q. 144. Quomodo aliquis ratione temporis excusetur
à mortali. R. §. 1. *Azor, Bonac. Regin.* putant
esse mortale laborare ad horam; *Fagund* apud *Ills-*
num. 168. adjicit medium, vel pro summo
integrum quadrantem: *Castrop. & Trull.* ponunt
duas horas: è contrâ aliqui Canonistæ requirunt
tertiam partem diei, sed communiter ab omnibus
exploduntur. Non esse mortale per duas horas
laborare, est jam recepta nostrâ ætate sententia,
inquit *Tamb. L. 4. c. 3. §. 2. n. 1*; assentiuntur *Gran. &*
Ills. supra; *Dian. P. 5. T. 5. R. 6.* dicit non fore mortale,
si duæ horæ non excedantur; *Sanchez* dicit
minùs quàm duas horas non sufficere ad mortale,
testaturque juniores Theologos plùs quàm duas
requirere; & ratio potest esse, quia duæ horæ
videntur pars modica diei, utpote duodecima.
Fill. March. & Gobat in Clypeo num. 283. requirunt
tres horas, sed communior nunc & probabilior est
sententia

sententia, si saltem multum ultra duas horas laboretur, fore mortale.

§. 2. Non est mortale singulis Festis ad duas horas laborare, quamvis id velis facere & re ipsa facias toto anno, quia dies & labores illi non uniuntur in ordine ad constituendam materiam gravem pro inhonoratione alicujus Festi, *Sancti. in Dec. L. 1. c. 4.*

Q. 145. *Quid notandum circa forensia. R.* De his habet *Busenbaum* relatus num 583: aliqua tamen clariùs explicanda sunt, ut etiam meliùs intelligantur, quandonam adfit excusatio.

§. 1. Per forensia intelliguntur actiones, quæ quamvis non sint serviles, tamen quia nimis distrahunt animum & cultum divinum impediunt, prohibentur, *Tit. de Feriis Cap. 1. Omnes dies Dominicos à vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus observari, & ab omni illicito opere abstinere, ut in eis mercatum minimè fiat neque placitum, neque aliquis ad mortem vel ad pœnam judicetur, nec sacramenta, (id est, Juramenta) nisi pro pace vel alia necessitate, præstentur. Cap. ult. Debet judicialis strepitus diebus conquirere feriatis. Et post recensita Festa ordinaria in fine additur: Nisi necessitas urgeat vel pietas suadeat, usque adeo convenit ab hujusmodi abstinere, ut consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus hujusmodi promulgari: licet diebus feriatis, qui gratiâ vindemiarum vel messium ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate. Ex his inferunt communiter omnes, præter mercatum, principaliter prohiberi actiones judiciales, quæ dicuntur placitum, & sunt citatio partium; formatio processus sive cognitio causæ; & sententia;*

quæ

quæ quamvis Jure civili L. *Ut in die*, 2. Cod. de *Feriis*, si in die festivo fiant, tantum dicantur irritari, id est, irritanda, tamen vi citati Juris Canonici, ex quo hic loquimur, sunt ipso facto irrita.

§. 2. Citatio, ut quis compareat die festo, est irrita
 597 quamvis ibi tantum esset Festum, ubi est ille qui citatur, nam citatio respicit locum, in quo est qui citatur, uti è contra mandatum & sententia respiciunt locum, ubi est mandans vel sententiam ferens: Si autem citatio fiat, ut quis compareat intra octo dies, etiamsi octavus dies esset Festum, valet, poterisque (secundum *Suar.* & *Fagund.*) differre, ac prius comparere sequenti die, sed secundum *Bonac.* aliosque cum *Castrop.* T. 9. P. 7. num. 3. & 4. debetis prævenire.

§. 3. Ad formationem processus seu cognitionem causæ spectat examinatio testium & Jusjurandum, item depositio sola testimonii, uti probabilius cum aliis tenent *Suar.* *Bonac.* *Castrop.* num. 6. contra *Azor* & alios: imò iidem cum *Regin.* putant etiam examinationem testium vel Juramenta in causa spirituali esse illicita & irrita, sed *Sanch. in Conf.* L. 5. c. 2. D. 30 putat tantum prohiberi Juramentum judiciale, quod fit pro rebus temporalibus, non quod pro spiritualibus, nec quod fit pro fide, pace, obedientia, fama vel alia necessitate. Communis etiam est sententia cum *Castrop.* P. 8. n. 4: quando judicium vel contractus est licitus die festo, etiam licere juramentum, quia concesso principali concedantur accessoria. Probabilius autem est cum *Suar.* *Fagund.* *Laym.* *Castrop.* *Illung* n. 169. contra *Panorm.* non prohiberi alia Juramenta, quæ nec ad Judicium nec ad metum ordinantur.

§. 4. Oblatio libelli etiam pro causa temporali fieri potest, dummodo die festo non intimeretur parti adversæ, quia non videtur spectare ad formationem processus, cum non procedat à Judice vel à potestate Jurisdictionis, sed à litigante, *Fagund. & Castrop. num. 9.*

§. 5. Licitum est Advocato in Festis patrocinari, five verbo five scripto, & informare Judicem, licet fiat ob pretium, quia nec est servile, nec prohibitum, *Sanch. D. 28.* Item Judici licitum est concipere vel etiam scribere privatim sententiam postea proferendam, *Pirh.*

§. 6. Secundum *Sanch. D. 27. n. 17. Cajet. Tol. Henriq. & alios* peccant mortaliter Notarii in Festo transcribentes acta spectantia ad judiciales strepitus; sed probabilitatis id negant *Suar.* aliique plures cum *Dian. P. 2. T. 15. R. 35:* nam nec est opus servile nec prohibitum, hinc docet quoque *Dia. in Summa v. Festum. Num. 3.* non peccare Notarios, si secluso scandalo celebrent contractus die festo, quia non sunt ex forensibus, quæ prohibentur.

§. 7. Licitum est die festo facere præsentationes, institutiones, collationes, provisiones beneficiorum; item exercere actus Jurisdictionis voluntariæ, v.g. adoptare aliquem in filium, condere testamentum, hæc enim non afferunt strepitum judicialem, *Pirh. & alii cum Castrop. P. 6. n. 3, ubi n. 5. addit etiam consuetudine excusari conductiones operariorum, venditiones publicas sub hasta, v.g. bonorum alicujus defuncti &c.*

§. 8. Licitum est die festo ferre sententiam, si aliàs impediretur Justitia, si ratio temporis, v.g. conditio belli ita exigat, si sit atrocissimum crimen, ita ut ad incutiendum terrorem non sit danda mora, *Sanch. D. 29. Castrop. P. 7. n. 17.*

Z

§. 9.

604 §. 9. *Judicia, quæ de partium consensu fiunt per Judicem Arbitratorem, sunt licita die festo, est communis cum Sanch. D. 27. Castrop. num. 16. Illsung supra. Porro ille dicitur Judex Arbitrator, qui eligitur, ut dicat, quod sibi videtur, & sit suo judicio litem pacificè componat sinè ordine judiciali usitato in foro; è contrà Judex Arbitrator dicitur, qui procedit servato ordine processus forensis.*

605 §. 10. *Probabilius est contra Panormitanam etiam prohiberi executionem sententiæ latæ die non festo, quia est complementum sententiæ, Castrop. num. 12. Illsung supra & alii. Quod autem ad appellationem attinet, communior quidem sententia dicit licere die festo, sed etiam probabile est non licere, uti ostendit Castrop. à num. 13. adductis pro utraque parte Authoribus & rationibus.*

606 §. 11. *Per consuetudinem videtur nunc omnino licitus esse mercatus privatus, siue quidvis vendere vel emere clausâ officinâ, Castrop. P. 6. n. 5. Tambur. Illsung num. 171. Etiam licere contractus, si fiant sinè instrumentis & Judicis autoritate, docent Sanch. & alii cum Illsung supra.*

DUBIUM III.

Quæ opera festis diebus præcipiantur.

607 **R**esp. Præcipitur, 1. *Auditio concionis: non tamen sub mortali, nisi quatenus quisque tenetur discere necessaria ad salutem. Vid. Trid. Sess. 24. c. 4. de Reformat. Fill. T. 27. c. 8. q. 7. Bonac. T. 2. D. 5. Q. un. P. 2. n. 27. Suar. &c. Dixi, nisi quatenus. &c. quia homines rudiores & ignorantes præcipua mysteria Fidei, ea præsertim quæ*

quæ sub gravi obligatione eos scire teneri dictum est
est supra Lib. 2. T. I. c. I. tenentur Lege Charitatis,
(si aliàs ea commodè addiscere non possint)
sub gravi peccato concioni, vel potiùs Catechesi
interesse. *Bon. D. 5. in Præcept. 3. num. 28.* addens,
eo casu concionem etiam Missæ præferendâ esse.
Trull. L. 3. Cap. 1. D. 4. n. 12. Fagund. P. 1. L. 2. c. 9. n. 12. & c.

2. Præcipitur speciali Præcepto obligante
sub mortali, audire Missam, hoc est, morali
& humanâ assistentiâ sive præsentîâ ei interesse.
Est communis ex c. *Omnes Fideles*: Et ex c. *Missas*,
de Consecrat. Dist. 1. contra *Angelum & Rosellam*,
qui semel vel iterum negligere, dicitur esse veniale.
Obligat hoc Præceptum omnibus Festis
omnes baptizatos usum rationis habentes,
non autem infantes, amentes, vel Catechumenos.
Ratio primæ partis, quia est universale. Ratio
secundæ, quia assistentiam humanam habere
non possunt. Ratio tertiæ, quia non sunt Ecclesiæ
subjecti. *Lugo D. 22. Sect. 1. & 2. ex Navar. Sanch. & Koninck. Unde resolves*:

I. Non est obligatio audiendi concionem
in Parochia propria: tum quia Doctores multi
nullum hac de re Præceptum agnoscunt:
cùm *Trid. Sess. 24. Cap. 4. de Reform.* dicat, *teneri*,
ubi id commodè fieri potest: tum quia si quæ obli-
gatio fuit, ei derogatum est per privilegia Regu-
larium, & generalem consuetudinem contrariam.
Suar. de Relig. T. 1. L. 2. c. 16. Azor, Navar. Cened. &
Zerol. P. 1. v. Prædic. Trull. L. 3. c. 1. D. 4. num. 11. &
Barbos. in Trid. Sess. 24. c. 4. Imò Fratres Prædica-
tores, & Minores, & qui cum ipsis in privilegiis
communicant, concionantes in suis Ecclesiis,
quovis anni tempore possunt Auditoribus suis
concedere 18. annos, & 320. dies Indulgentiarum

» nomine Papæ. *Diana P. 4. T. 4. R. 22. ex Rodrig.*
 » & aliis.

» II. Non est obligatio ad audiendam Missam
 » Feriâ quintâ, & sextâ, & Sabbato majoris Hebdo-
 » madæ; neque diebus Rogationum. *Azor, Henric.*
 » *Suar. D. 88. Sect. 5.*

» III. In die Nativitatis Christi tantum tenentur
 » audire unam Missam. *Navar. Suar. Fill. Tract. 5.*
 » *num. 207.*

» IV. Satisfacit, qui recitat sub Missa (ex obliga-
 » tione) Horas Canonicas, vel pœnitentiam
 » injunctam in Confessione, ut contra *Cajetan. Sylv.*
 » *Ang. Armil. docent Suar. Sa, Rodrig. Fill. num. 216.*
 » & alii. Ratio, quia duobus Præceptis potest simul
 » satisfieri, ut *vid. supra L. 1. T. 2. c. 3. Dub. 3.*
 » Idem de eo, qui confitetur tempore Missæ, affirmat
 » *Regin. Lib. 19. n. 14.* dummodo intentionem habue-
 » rit audiendi Missam: Negat autem *Suar. Sect. 6.*
 » *Azor Cap. 7. q. 6. Gordonus, Lugo loc. cit.* si quidem
 » possit differre Confessionem, nec adsit necessitas
 » Præcepti Confessionis. Idem dicit *Bonac. Tom. 1.*
 » *D. 4. Q. ult. P. 11.* ubi contrariam praxim quorundam
 » excusat, vel ob necessitatem communicandi; vel
 » propter intentionem audiendi Missam aliam;
 » vel denique propter bonam fidem:

» V. Satisfaciunt etiam inservientes Missæ,
 » si recedant allatum necessaria, v. g. vinum,
 » hostiam, thus, &c. quia cum hæc ordinentur
 » ad Officium, non censentur abesse: dummodo
 » non recedant ab Ecclesia, vel saltem non longe.
 » *Vid. Bonac.*

» VI. Peccat, qui non audit integram Missam,
 » & quidem venialiter, si omittatur parva pars;
 » mortaliter, si notabilis, v. g. media, vel tertia pars.

Layman

Layman tamen, & alii durum putant, mortalis
damnare eum, qui ab Offertorio usque ad finem
adfit: additque communiter excusari à mortali,
qui audiunt à principio Epistolæ, vel secundum
alios, Evangelii usque ad finem: vel ab initio
usque ad Communionem. Vid. Bonac. T. 1. D. 4.
Q. ult. Lugo D. 22. Sect. 1. n. 3.

VII. Non peccat saltem mortaliter, qui
à duobus Sacerdotibus successivè duas dimidias
Missas audit, ut habet Navar. c. 21. Sa, Sotus,
Henriq. Dian. Tom. 1. Tract. 3. R. 18. Bonac. P. 11.
Hurtad. contra Suar. Kôn. Fagund. quia audit
integram Missam. Ob quam causam est probabile,
etsi simul audiat, ut habet Bonac. l. c. Hurtad. &
Diana contra Regin. Kôn. Lugo, & alios, quorum
sententia videtur probabilior.

VIII. Non satisfacit, qui sub Sacro dormit,
pingit, docet; vel qui est post murum, aut
post aliam rem, tali loco, unde nihil audiri, videri,
vel notari possit, quid fiat; quia non censetur
mortaliter præsens. Satisfacit tamen surdus, cæcus,
& quicumque (licet sit post ostium, aut columnam,
vel in fenestra, vel procul à templo) ita est præsens,
ut ex signis externis colligere possit, quid à Cele-
brante agatur, spectatâ loci naturâ, etiamsi ipse
per accidens nihil audiat, nil videat, aut intelligat,
sitque pars per moralem conjunctionem ejus
multitudinis, quæ dicitur præsens, & est
in conspectu altaris. Bonac. l. c.

IX. Audiens, debet esse attentus, saltem virtua-
liter & in confuso, ut aliquo modo advertat,
quid fiat: hinc si quis nunc attendat, nunc fabu-
letur, ut tamen semper advertere possit, quid fiat,
licet peccet irreverentiâ, non tamen damnandus
est mortalis: imò Kôn. cum Sylv. Rosel. & Med. docet, &

» eum satisfacere , qui voluntariè toto Sacro est
 » distractus, modò sibi sit præsens, & cum reveren-
 » tia externa assistat. Quod probabile esse docet
 » Laym. contra *Suar. Bonac.* & alios. *Vid. Kôn. l.c. &*
 » *Lugo n. 26. & 27.* Plura de tota hac materia v. *supra*
 » *L. 1. T. 2. c. 3. Dub. 2. 3. & 4.*

» X. Præceptum audiendæ Missæ impletur
 » quocunque in loco, sive in Parochiali, aut Cathe-
 » drali, sive in Regularium Ecclesia, sive in Orato-
 » riis privatis, sive extra Ecclesiam audiatur. Ratio,
 » quia Ecclesia tantùm auditionem Missæ præcipit,
 » non autem locum, ergo quovis loco impletur.
 » *Tol. L. 9. c. 7. Azor c. 6. Rodrig Navar. Fill. num. 209.*
 » *Nung. Suar. Kôn. Bonac. D. 4. q. ult. P. 12. n. 4. & plures.*
 » Quæ doctrina, licet certa satis sit, nihilominus
 » quia post omnes supra citatos Authores
 » à quodam moderno, viro aliàs docto, in dubium
 » vocatur , peculiari Dubio examinanda est,
 » ne cui (quia Liber obvius est) scrupulus, aut
 » conscientia nascatur erronea.

A D D E N D A.

608 Q. 146. *An satisfaciat Præcepto Missæ, qui*
partes illius simul audit. R. §. 1. Certum est
 non satisfacere, nam *Innocentius XI.* damnavit
 hanc 53. propositionem : *Satisfacit Præcepto Ecclesie*
de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, modò quatuor
simul à diversis celebrantibus audit. Propositio illa
 nunc amisit omnem probabilitatem, licet *Busemb.*
 relatus n. 607. dixerit esse probabilem.

609 §. 2. Ratio, ob quam propositio illa putabatur
 probabilis , erat hæc : Unus audiens simul
 duas Missas potest per hoc satisfacere obligationi
 audiendi unam ex Præcepto & alteram ex Voto,
 ergo etiam unus audiens duas simul partes Missæ
 potest satisfacere Præcepto audiendi unam totam,
 quia

quia uti se habet totum ad totum, sic se habet pars ad partem, & uti attentio ad unam Missam non impedit attentionem ad alteram, ita attentio ad unam partem non impedit attentionem ad alteram. Hanc rationem rectè retorquet *Carden.* in 2. Crisi dis. 32. n. 36: Motus Solis, qui fit à duodecima ad primam, coëxistit motui horologii, qui fit ab eadem duodecima ad primam, ergo uti illi duo motus, Solis & horologii coëxistunt, ita possunt coëxistere duæ mediæ horæ unius horologii, quia uti se habet totum ad totum, ita pars ad partem, quod patet manifestè esse falsum. Ratio autem, cur in neutro valeat Consequentia, est, quia una Missa, uti etiam una hora, est unum totum successivum, cum Missa consistat in motu verborum & actionum sibi succedentium; quamvis autem unum successivum possit coëxistere alteri successivo, adeoque & audiri una Missa cum altera, non potest tamen pars successivi coëxistere alteri parti ejusdem successivi, & ideo non potest audiri una Missa, cujus una pars coëxistat alteri parti ejusdem Missæ, uti non potest persolvi Officium Horarum, si simul audiantur tres diversæ Lectiones à diversis, sed una debet audiri successivè post alteram.

§. 3. Quamvis daretur ratio intrinseca probabilis, quòd duæ partes Missæ simul auditæ constituere possent unam Missam, tamen nunc certum est per auditionem talium partium non satisfieri Præcepto Missæ, quia hoc Præceptum latum est ab Ecclesia, quæ nunc declaravit præcipi auditionem unam successivam partium, *Carden.* num. 41.

¶ 147. An opinio, quæ dicit satisfieri, si successivè audiantur duæ medietates, sit adhuc probabilis, uti v. g. si quis ad Elevationem unius Missæ veniat in templum, & postea audiat sequentem Missam

usque ad Elevationem tantum. *R. §. I.* Aliqui dubitant, quia duæ tales medietates non videntur dici posse una Misfa, cum sint lectæ à diversis, & fortè intercedat spatium temporis inter illas partes nihilominus dicendum est opinionem illam adhuc manere probabilem, ut ostendit *Carden. c. 7.*, nam cum illis, quos citat *Busenbaum*, docent illam 32. *Ab. apud Pasq. de Sacrific. q. 1290*; accedunt *P. Marci in Trib. de Misfa T. 4. T. 2. Q. 1. D. 2. Gobat T. 5. n. 149* vocans in praxi tutam, & eandem *Suar. apud Ill. T. 5. n. 161.* dicit communiorem, nec posse prædictam condemnari. Ratio autem est, quia manet unum Officium, licet prius orem partem posteriorem & postea priorem, v.g. Tertiam ante Primam, aut unum Psalmum ante alterum; item manet unum Rosarium, licet incipiam à tertia decade, & finiam recurrendo ad illam, ergo etiam erit una Misfa, licet per medias partes sive priores sive posteriores audiatur. *Nec refert*, quòd hæ medietates fiant à diversis Sacerdotibus, aut etiam cum interpositione temporis: *Nam* si duo simul recitent Officium, duæ medietates ponuntur à diversis recitantibus, imò in Choro sæpe novem diversi legunt novem diversas Lectiones, & tamen est unum Officium; interruptio autem non tollit unionem moralem, uti dicitur de *Horis Confirmatur*: Nam est una Misfa, si Sacerdos in media Misfa deficeret, & alius Sacerdos post mediam horam succederet illam completurus, ergo etiam potest esse una Misfa, licet fiat à duo Sacerdotes, & tempus aliquod intercedat, est quidem (quoad illud exemplum) aliqua disparitas, eò quòd posterior Sacerdos agat nomine prioris, & compleat eandem moraliter Misfam; hoc tamen non obstante in nostro casu adhuc æqui-

æquivalenter videtur manere una integra Missa, quia nempe est idem Principalis offerens, nempe Christus; etiam est idem, quod offertur, consecratur & sumitur, scilicet idem Christus; sunt etiam eadem Orationes & actiones externæ &c. Licet autem *Tambur. L. 4. c. 2. §. 1. n. 10.* putet manere unitatem, dummodo eodem die tales partes audiuntur, tamen hæc ab invicem separatio videtur esse nimia; si autem fit saltem ad horam tantum, non est nimia, nam sæpe per concionem unius horæ & amplius interrumpitur Missa, & tamen manet una.

§. 2. Si quis sine justa causa audiat duas tales medias Missas, peccat venialiter, uti qui in Horis oraret unam ante alteram, aut interrumpere sine causa; ratio est, partim quia observatio ordinis & continuationis est decencia requisita, partim etiam quia talis auditio per medietates aut interruptiones non est satis consentanea communi praxi Fidelium, à qua recedere sine justa causa est saltem veniale, justa autem causa esset defectus temporis, rationabile impedimentum vel quævis incommoditas alicujus momenti.

Q. 148. *Quinam obligentur ad Missam. R. 613*

§. I. Hæretici non obligantur, quia præsumuntur excommunicati, hinc jubentur emanere: in Germania tamen non peccant adeundo, quia non sunt denunciati, nec putant se excommunicatos, imò sic disponi possunt ad conversionem, si videant etiam ritus omnes nil superstitionis habere, *Gob. in Exp. T. 5. num. 396.* An autem excommunicatus vi hujus Præcepti teneatur procurare absolutionem, ut Missam audire possit, dictum est *Lib. I. num. 794.*

614 §. 2. Omnis Sacerdos, si alius celebraturus defuit, tenetur ipsemet celebrare, ut Missam audiat, ita cum aliis *Gobat* num. 40. *Steph.* T. 5. D. 4. num. 99. contra *Fagund.* Ratio est, quia tum tenetur, & potest audire Missam, neque medium illud est extra-ordinarium; qui autem tenetur ad finem, tenetur ad media ordinaria, ergo.

615 §. 3. Circa ætatem, quâ pueri obligentur ad Missam, variant sententiæ; *J. March.* putat tunc prius obligari, quando incipiunt esse idonei ad Communionem: *Sot.* apud *Gob.* T. 4. n. 129. putat neminem ante annum duodecimum teneri legibus Ecclesiæ, sed istæ sententiæ passim rejiciuntur, & sunt contra praxin Fidelium. *Azor, Sanch. Bonacini, Tann. Bas.* & alii apud *Gob.* T. 5. n. 310. absolute obligant pueros omnes & puellas circa finem septennii, quia tunc præsumuntur habere sufficientem usum rationis, quam sententiæ admittit *Gobat* de pueris educatis in urbe, quibus utpote melius cultis communiter citius oritur plenum lumen, de rusticis autem aliisque similibus non admittit, sed cum *Côn.* contendit pueros inter 9. & 10. annum, puellas verò inter 8. & 9. communiter prius assequi plenam discretionem, quâ habitâ prius obligentur Præceptis Ecclesiæ: Si autem ante septennium haberent plenam discretionem, quamvis tunc ex Lege naturali tenerentur Deum aliquo cultu colere, tamen probabile est, secundum dicta *Lib.* num. 676. non teneri Legibus Ecclesiæ. Denique *Dicast.* apud *Gob.* T. 4. num. 129. dicit pueros, quando venialiter peccare possunt, sub veniali obligari ad Leges Ecclesiæ, quando autem mortaliter sub mortali, quæ sententiæ est multorum, & à *Diana* P. 10. T. 12. R. 37. reputatur probabilior.

§. 4. Qui simul est surdus, cæcus & mutus à nati- 616
vitate, non tenetur adesse Misæ, quia non potest
habere moralem assistentiam nec attentionem
ullam internam; imò scire non potest, quid sit Misæ,
Pasq. de Sacrific. q. 1256; unde quamvis esset talis,
non à nativitate, sed per infirmitatem, adhuc putat
Gob. T. 5. n. 30. contra Fagund. Pasq. Dian. P. 5. T. 4. R. S.
non teneri, quia non potest scire, an, ubi & quando
incipiat Misæ, ergo non potest habere intentionem
debitam, neque attentionem ullam, & licet quis
trudendo eum admonere posset jam fieri Misam,
ac ipse scripto peteret duci ad templum, adhuc
putat *Gob. n. 30.* non obligari, quia Ecclesia censetur
tantum eos obligare, qui humano & ordinario
modo interesse possunt, Leges enim non compre-
hendunt casus extra-ordinarios; hinc *Castrop.* etiam
eximit eum ab obligatione Misæ, qui est cæcus
& surdus, sed non mutus, quia neque præsumitur
Lex obligare in hoc casu exotico: Si tamen quis
esset, vel tantum mutus & surdus, vel tantum cæcus,
vel tantum cæcus & mutus, teneretur, uti commu-
niter docent Authores cum *Gob. num. 29.*

§. 5. Regulares etiam exempti tenentur ad ser- 617
vanda Festa, quæ Episcopus cum consensu Cleri &
populi indicit, uti habetur in *Trid. Sess. 25. de Regul.*
c. 12. Et consequenter etiam tenebuntur ad Misam
tali die audiendam: an autem teneantur etiam
ad Festa, quæ populus vovit approbante Episcopo,
non est ita certum, affirmant *Vasq. Nugn. Sanch. L. 4.*
c. 15. n. 21, negant alii, & merito dubitat *Gob. num. 77,*
quia exempti non jubentur observare alia Festa,
nisi quæ Episcopus imponit, qualia non videntur
esse illa, quæ populus vovet approbante tantum
Episcopo; si tamen hæc approbatio censeretur esse
per modum Præcepti, tenerentur uti reliqui.

Q. 149. *Quibus diebus audienda sit Missa.*

§.1. Si Festum sit à Principe sæculari impositum aut ex consuetudine observetur à populo sine approbatione Episcopi, non est in conscientia obligatio audiendi Missam vel abstinendi à servilibus, quia non est Festum sacrum, sed sæculare, *Tamb. Gob. T. 5. n. 75. & 87. Pasq. q. 1251*, simul notandum posse peccari contra obedientiam Principi debitam si hic strictè mandasset observari.

§.2. In Festo, quod solus Episcopus indicit rectori Clero vel populo, etiam non est obligatio audiendi Missam, quia Episcopus nequit ullum Festum instituere sine Cleri & populi consensu uti habetur *Cap. Conquestus. ult. de Feriis*, & probatur pluribus *Barbos. Gav. Jord. Gob. n. 72*: potest autem consentiente Episcopo populus vivere Festum ad quod tenebuntur etiam Posteriores, non vi vocis quod erat personale, sed ex Præcepto Episcopi approbantis & ita implicite præcipientis tale Festum uti notant *Suar. Laym. & Gob. n. 86*; possitque esse Festum mediæ tantum diei, in qua manere esset obligatio ad Missam & ad abstinendum à servilibus à prandio autem laborari posset, *Gobat num. 111*. Potest autem Episcopus unum tantum proprium in Dicecesi Festum instituere præter communia, v.g. Festum Patroni vel Tutelaris, deinde potest ex causa, uti ob vindemiam, transferre Festum forte, v.g. S. Michaëlis ad aliud tempus, uti habet *Gob. T. 5. num. 230*, licet alii repugnent, an verò expediat multa esse Festa, disputat *Gob. in Quin. T. 5. c. 45*, ubi videri potest; in *Exp. T. 5. n. 72*. dicit hac ætate, quâ ita invaluit multitudo Festorum cum ingenti molestia Mechanicorum, magis cogitandum esse de modo abrogandi plura, quàm instituendi nova.

§. 3. Non est obligatio ad Missam die Cinerum, ⁶²⁰
Festo S. Marci, Festo Animarum; neque Coloniae
Festo Theophorae. De reliquis ejusmodi diebus
habet *Busenbaum*.

§. 4. In dubio, an sit Festum, teneris mediocre ⁶²¹
studium adhibere, ut intelligas, non teneris tamen
per sesqui-horam iter facere, ut id interrogas,
hoc enim foret immodicum studium, quo forte
frustra, impediri posset labor diurnus per longum
tempus; unde si permaneat dubium, non erit
obligatio ad Missam, quia in dubio possessio est
pro libertate, *Pasq.* quæst. 1325. Quod si Pater dicat
esse Festum Præcepti, Mater verò dicat esse devo-
tionis tantum, teneberis (per se loquendo) potius
credere Patri, quia ejus testimonium est majus, &
ejus potestate es dirigendus, *Gobat* à num. 460.

Q. 150. Qualis Missa sit audienda. R. §. 1. Peccat, ⁶²²
qui audit Missam excommunicati non tolerati, aut
publici percussoris Clerici, uti cum communi
S. Thomas 3. P. Q. 82. art. 2. Si tamen quis audisset,
secundum *Dicast.* & *Gob.* T. 5. num. 522. satisfecisset
Præcepto, quia posuisset substantiam rei præceptæ,
secundum *Pasq.* q. 1269. non satisfecisset, quia tum
tantum impletur Præceptum per actum peccami-
nosum, quando ponitur materia, quæ præcipitur,
hinc autem non ponitur materia illa, quæ præci-
pitur, nam Missa illa prohibetur legi & audiri,
Missa autem prohibita non est Missa præcepta, ergo.
Neque dicas Missam secundum se præcipi: Nam
præcipitur cum omnibus circumstantiis necessariis
ad hoc, ut hinc & nunc audiatur, inter illas autem
circumstantias est persona celebrans, cujus Missa
hinc prohibetur. Utraque sententia est probabilis,
sed prima videtur verior.

§. 2.

623 §. 2. Satisfacit, qui audit Missam, quocunque
& idiomate fiat, uti si audiat Missam Sacerdos
Græci in his partibus celebrantis, quia quæ
substantiam est eadem apud omnes Catholicos.
Missam, *Pasq.* q. 1259. *Gob.* num. 161. & alii.

624 Q. 151. *Quotempore audiri debeat Missa.*
§. 1. Probabilius videtur, quod satisfiat Præceptum
quâcunque horâ audiatur à media nocte ad ala-
ram mediam noctem, *F. Lug. Leand. Dian. P. 10. Tit.*
R. 21. Gob. T. 5. num. 56. contra *Pasq.* q. 1260, qui putat
non satisfieri, nisi audiatur intra tempus, quod
licitum est celebrare; sed ratio nostra est, quod
quâcunque horâ audiatur, verum est Missam eo
esse auditam, ergo satisfactum est Præcepto, quod
tantum exigit Missam audiri illo die.

625 §. 2. Qui nocte Nativitatis Christi audit Missam
quæ Romæ vel Venetiis ex privilegio dicitur
ante mediam noctem à Sacerdote jejuno, satisfiat
Præcepto pro die Nativitatis, quia sic anticipatur
illa dies, uti in Matutino, quod pridie recitatur.
hinc si dies Nativitatis incideret in diem Lunæ,
non satisfaceret Præcepto pro die Dominica, quia
Missam illa spectat ad sequentem diem Nativitatis
non ad Dominicam, ita *Lug. Dicast. Dian. P. 7. Tit.*
R. 12. P. 10. T. 12. R. 22. Item *T. 14. R. 35;* & absolute
loquendo non posse per auditionem unius Missæ
satisfieri Præcepto audiendi Missam duobus diebus
rectè probat *Cressp. à Borgia in QQ. Mor. quæst. 10.*

626 Q. 152. *Quo loco audiri debeat Missa.*
Præcipuum Dubium est, an satisfiat, si audiatur
loco privato vel profano, pro quo fit,

§. 1. Privatum Oratorium, est locus aliquis
in domo vel arce privati hominis ad tempus
deputatus cultui Dei, unde Oratorium erectum
in palatio Episcopi, aut in Conventu Regularium

aut perpetuò destinatum divino cultui habènsque ingressum ex publica via, aut à Missionariis privilegiatis certo loco constitutum, non censentur privata Oratoria, uti cum aliis docent *Quarti* in Rubr. P. 3. T. 10. n. 1. S. 3. Et *Tamb.* de Sacrif. L. 1. c. 4. §. 4. hinc absolutè dicit *Illsung* T. 5. num. 163. non esse quæstionem de Oratoriis privatis Episcoporum vel Regularium, sed tantùm de privatis Oratoriis aliorum Clericorum sæcularium & laicorum, de quibus jam loquemur.

§. 2. Privilegiatus & tota ejus familia, id est, ⁶²⁷ omnes illi, qui habitant in domo Privilegiati cum quadam habitudine ad illum, uti sunt Pater & Mater, Nurus & Gener, Uxor, filii, filia, Nepotes, Pro-Nepotes & alii per lineam rectam descendentes & manentes sub regimine Parentum, habitantesque cum illo; item servi & ancillæ, quandoque etiam hospites, si ita addatur in Bulla, & consequenter etiam illi, qui his famulantur, uti docet *Tamb*: hi (inquam) omnes, si audiant Missam in privato Oratorio, satisfaciunt die festivo, quo ibi celebrare licitum est; ita omnes communiter.

§. 3. An præter Privilegiatum ejusque familiam ⁶²⁸ satisfaciant etiam alii ibi audientes, quando audire possunt alibi, duplex est sententia, *1. Pasq.* q. 659, ubi alios undecim pro se citat, quibus accedunt *Diana* P. 6. T. 8. R. 40. P. 9. T. 1. R. 3. *Bas.* v. *Missa.* n. 8. *Gobat* T. 5. n. 356. *Quarti* Dub. 13. *Sporer* T. 3. c. 4. n. 24. *Ills.* supra dicens esse nunc certam; hi omnes absolutè dicunt non satisfacere; ratio est, quia Pontifex in Bullis expressè addit: *Volumus autem, ut alii, qui non sunt de familia, non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia, & hoc à Cardinalibus declaratum esse, dicunt Authores hic citati.*
2. Sententia est *Az.* *Henriq.* *Homob.* *Castrop.* *Pellizar,*
quos

quos citat *Pasq.* suprà, quibus accedunt *Busenbaum.*
Burgh. Cent. 3. Caf. 60. citans *Barbof.* Item *P. March.*
 T. 2. T. 4. T. 2. Q. 1. Dub. 1, quorum sententiam
Gob. T. 3. n. 254. vocat probabilem & usu receptam
 hi dicunt satisfieri à quovis ibi audiente: Ratio est
 quia de Jure communi plus non præcipitur quam
 Missam audire, de loco autem nunc nullum est
 Præceptum. Ad verba Bullarum dicunt antea
 de Jure antiquo fuisse obligationem audiendi
 Missam in Parochia, uti probat *Pasq.* quæst. 1257
 cui Juri aut alteri cuicumque obligationi
 si quæ adhuc est, Pontifex non vult derogare
 per tale privilegium privato datum; quòd si non sit
 talis obligatio, uti nunc Jure novo non est
 restrictio illa nil operatur, apponitur tamen, qui
 servatur stylus antiquus Curia, & dantur privilegia
 secundum antiquas formulas rescribendi, hinc
 testatur *March.* verba illa communiter non recipi
 alio sensu, etiam inter timoratos. Prior sententia
 est communior, tutior & probabilior, tum quia
 pro se habet verba Legis, quorum explicatio
 pro altera sententia est dubia, tum etiam quia
 Lex communis erat, ut Missa audiretur in Ecclesia
 publica, imò & in Parochia, privilegium autem
 habent Religiosi, ut in suis Ecclesiis satisfiat,
 quale privilegium non est, neque legitima consue-
 tudo, neque certa interpretatio pro privatis Ora-
 toriis, ergo possessio est pro communi Lega-
 Nihilominus secunda sententia etiam videtur esse
 probabilis, hinc *Sporer* sapienter in praxi suadebat,
 ut illi, qui de familia non erant, alibi audirent
 Missam, nolentes autem non urgebat.

§. 4. Probabile est satisfieri Præcepto,
 quocumque alio loco etiam profano audiatur
 Missa, v. g. in castris cum militibus; in litore,
 quando

quando legitur pro navigantibus, licet quis non fit miles, nec de comitatu navigantium, ita n. præced. citati pro secunda sententia cum *Bonac.* de Sacram. D.4.Q.ult.P.12.N.4. Ratio est, quia quamvis forte restrictio sit de privatis Oratoriis, tamen nulla est de aliis locis, ergo rectè statim Lege communi præcipiente Missam, abstrahendo à loco: gratis autem dicit *Pasq.* q. 1257. præcipi, ut Missa ab omnibus audiatur in Ecclesia vel publico Oratorio ab Ecclesia deputato, nam tale Præceptum nunc non extat, sed tantum Præceptum Missæ, quæ reipsa Missa est, quocunque loco fiat.

An Regulares vi privilegiorum possint absque licentia Episcopi ubique Missam legere; item à quo & quomodo concedi possint privata Oratoria, dicitur *Lib.VI.T.3.c.3.* ad D.4, ubi etiam pluribus exponitur, quis dicatur esse de familia seu familiaris Privilegiato.

Q. 153. *Quanam requirantur, ut quis satisfaciat* 630
Præcepto audiendi Missam. R. Seqq. 1. Intentio.
 2. Præsentia corporalis. 3. Assistentia moralis.
 4. Attentio aliqua. 5. Ut integra Missa audiatur,
 de quibus ordine addendum est aliquid.

Q. 154. *Qualis intentio requiratur.* R. Requiritur 631
 intentio seu voluntas audiendi Missam tanquam rem sacram, quæ exhibetur Deo cultus, ita *Suar. Bonac.* aliique communiter cum *Gob. T.5. num. 194. & 196 Pasq.* quæst. 1309. contra *Dicast.* Ratio est, quia Ecclesia per Missam præcipit aliquem Dei cultum, hinc,

§. I. Non satisfacit, qui interest, ut irrideat, aut 632
 eo tantum animo, quia exspectat amicum illuc venturum, aut ut occidat Sacerdotem, cum ab ara venerit, aut solius curiositatis causâ, ita *Gob. supra, & n. 210, citans Lug. & Tamb;* imò *Pasq.* supra putat
 A a eum,

eum, qui accederet Ecclesiam ad meditando re
divinas aut ad orandum absque voluntate audi
endi Missam, non satisfactorum, licet interea lega
retur ; consentiunt *Sanch. Bonac. & Leonardus*
quamvis contradicant *F. Lug. Castrop. & Dian. Pa.*
T. 6. R. 77 ; si tamen, quando inchoatur Missa
accedat ad altare, aut aliquem motum corporalem
edat in ordine ad assistendum Missæ, jam habe
intentionem sufficientem, nec requiritur, ut ve
satisfacere, uti dictum est Lib. I. num. 692, & fuit
ostendit *Pasq.* quæst. 1308, citans pro se 23. Auctores
contra alios II, addens q. 1311. cum 28. Auctoribus
contra alios 15, etiam satisfecisse illum, qui expresse
noluisset per talem Missam, quam audit, Præceptum
satisfacere. Addit ibidem cum *Sanch. Laym. Lug.*
& aliis contra *Suar. Lesf. Fill. Côn. & alios*, nequidem
postea requiri mutationem propositi durante tem
pore audiendi, ut scilicet velit satisfecisse illam audi
tione, nam plura adhuc probaverat q. 1310. re ipsa satis
fecisse, licet audiêrit animo non implendi Præceptum
& simul animo non audiendi aliam Missam.

633 §. 2. Satisfacit, qui interest eam tantum mente
ut observatis actionibus Sacerdotis discat accurate
celebrare, hoc enim est velle audire Missam,
ut discat legere.

634 §. 3. Non est necesse, ut intersis per modum
orantis, *Suar. Lesf. Medin. & alii* cum *Gob. nutan. 197*
contra *Bonac. & Bass.* Ratio est, quia Missa auditur
& DEUS aliter coli potest, quam orando.

635 §. 4. Sufficit intentio implicita audiendi Missam
tanquam rem sacram, quam habet ille, I. Qui
adit templum, volens facere officium Christiani
2. Qui adit, ut præsentiam suam honoret Sacrificium
3. Qui solet interesse Missæ tanquam rei sacræ
4. Qui templum accedit ex nulla alia causa

cum enim accedat liberè, accedit ex aliqua causa, ergo si non accedat ex alia, accedit ex hac, ut audiatur Missam: 5. Quicumque Missam audit, si non constet eum habere intentionem contrariam, præsumitur habere sufficientem, ita cum aliis *Suar. Gob. n. 198. Diana P. 3. T. 6. R. 68.*

§. 5. Etiam si intentioni audiendi Missam ⁶³⁸ adjungatur alia intentio mala, adhuc satisfacis Præcepto, v.g. si vis audire Missam, etiam principaliter ob vanam gloriam, aut simul volens te delectare turpi aspectu puellæ præsentis, satisfacis, ita Auctores 20. omnino graves, quos nominatim recenset *Pasq. q. 1313. Gob. n. 208.* contra paucos alios. Ratio est, quia prava intentio adjuncta non excludit intentionem debitam, quamvis impediatur illius fructum, vult enim, & re ipsa audit ut rem sacram, hoc ipso quod exterius modeste se gerat, & interiorius attendat ad rem sacram, nam per hoc colitur Deus, cui per Sacrificantem & Assistentes immolatur Sacrificium. *Nec obstat*, quod Ecclesia præcipiat actus bonos: *Quia* satis est esse bonos quoad se & secundum substantiam, quamvis ratione operantis aut quoad modum, quo fiunt, non sint boni, uti communiter docent Authores cum *S. Th. 1. 2. q. 100. art. 9. Sot. & aliis*, dicentes modum & finem Præcepti non cadere sub Præceptum. *Si infes*, non satisfacit Præcepto per Communionem sacrilegam, ergo nec per auditionem Missæ peccaminosam. *R. N. Conseq.*: Ecclesia declaravit se præcipere Communionem fructuosam, ita ut si non respondeat fructus, non satisfaciat ejus voluntati ac Præcepto; id non declaravit de Præcepto vel auditione Missæ, ergo prudenter stamus autoritate & ratione adductâ pro sententia nostra, quamdiu Ecclesia aliud non declarat.

637 §. 6. Si quis templum ingressus ad audiendam Missam putet prius inchoandam post quadrantem, interim ipso non advertente legatur ad aliquod altare, quod prius advertit ex signo campanulæ ad *Sanctus*, *Gob. n. 115.* dicit, si habuerit hanc intentionem, volo esse unus de numero audientium Missam, quodcumque inchoabitur, tum audivisse etiam primam partem, si autem talem intentionem non habuerit, non audivisse, nam nemo censetur moraliter interesse actioni, quam nescit exerceri, & cui non cupit interesse, hoc ipso autem quod velit interesse, si fiat, quando fit, re ipsa interest, quia hæc voluntas conditionata transit in absolutam: sed hoc patitur difficultatem, nam re ipsa talis assistentia non est moralis, uti colligetur ex dicendis à num. 646.

638 §. 7. Si quis pluribus titulis teneatur audire Missam, & non determinet, cui obligationi satisfacere velit, utriusque autem per eandem auditionem satisfacere non possit, dicendum est, quod satisfaciat urgentiori, sive illi, quæ vel ratione temporis vel aliunde exigit præferri, quia tum valet voluntas interpretativa, secundum quam quisque præsumitur velle prius satisfacere graviori obligationi.

639 Q. 155. *Qualis presentia corporalis requiratur.*
 ¶. Talis, per quam quis sit ita præsens physice vel moraliter loco, in quo fit Missa, ut possit dici esse unus è numero eorum, qui circumstantur cum Sacerdote offerunt Sacrificium, hinc

640 §. I. Non est opus videre vel audire Celebrantem, sed si nec videre nec audire possis immediate, satis est, si adsis aliis, qui vident vel audiunt, & te conformes illis in surgendo aut flectendo.

§. 2. Sufficit, si sis in loco, qui communicat ⁶⁴¹
cum templo, v.g. in Choro post Altare, aut in loco
per murum separato, ex quo fenestra vel foramen
fert in templum, aut in Odæo seu Iorica superiori,
ubicunque in templo fiat Misfa, dummodo id scias
& possis percipere saltem aliis mediantibus,
quid agatur, atque ita dici pars communitatis
infrà flectentis.

§. 3. Etiam sufficit esse extra templum, ⁶⁴²
dummodo scias Misfam inchoari seu fieri, & sis
aliis junctus, cum quibus facias unam multitu-
dinem in templum vel ad altare usque protensam,
ut communitè habent Auctores cum *Gob.* à n. 22.
& *Pasq.* à quæst. 1300. Quòd si quis non esset junctus
multitudini, sed solus staret ad murum extra tem-
plum, licèt audiret Sacerdotem, putat *Pasq.*
non auditurum Misfam, quia non esset corporaliter
præfens Ecclesiæ seu illi Congregationi Fidelium;
contradicunt tamen alii apud *Dian.* P. 4. T. 4. R. 154.
& P. 10. T. 14. R. 47.

§. 4. *Lug. Gord. Dicast. Tamb. Gob.* num. 172. & alii, ⁶⁴³
quos refert *Pasq.* q. 1303. dicunt illum adhuc esse
sufficenter præsentem & audire Misfam, qui etiam
per interjectam parvam plateam è domo sua
in templum vel ad altare potest respicere, sed
occurrit hæc ratio in oppositum, nam si excommu-
nicatus ex altera parte plateæ è fenestra suæ domus
videret & audiret te celebrantem, non ideo pecca-
ret, neque tu ideo tenereris desistere à Misfa, ergo
signum est, quòd ex communi judicio non censea-
tur moraliter præfens. Addunt *Lug. & Escob.*
apud *Gobat* num. 174. non obstare distantiam
triginta passuum, quod tamen *Tamb.* non admittit,
ut nec *Gobat*, nisi Misfa fieret sub dio, tum enim
admittit, licèt nullus homo esset interjectus;

hinc si magna sit distantia, rectè dicit *Gobat* num. aliquem non censerì præsentem, licèt domi sua audiret totum cantum aut etiam Missam altà voce pronunciatam.

644 §. 5. Putat *Dicast.* cum *Gob.* n. 173. eos, qui manent in navi, si Missa fiat in litore; item Milites in castris suis, quamvis utrique distant ad 30. passus, adhuc esse moraliter præsentès corpore Missam audire.

645 §. 6. Si quis etiam ad afferendum aliquid ad Missam necessarium recederet à templo ad locum remotum, qui non communicat cum templo, v.g. ad domum Pastoris, & emaneret per notabile tempus, aut negligeret actionem substantialem, v.g. Consecrationem, probabilius est contra *Leand.* & *Dicast.* non audivisse Missam, quia non mansisset corporaliter præsens, nequidem moraliter, hinc si posset, teneretur audire aliam Missam, vel supplere, quod neglexerat; si autem non posset, excusaretur propter necessitatem rei adferendæ. Si autem iret ad Sacristiam aliquid allaturus, aut ad campanile tracturus campanas, censeretur manere moraliter præsens corpore, quia hæc loca communicant cum templo, cum sint quasi aliquid templi; & pulsatio campanarum, quæ quibusdam locis fit ad Evangelium vel sub Elevatione, ordinatur ad illum Dei cultum, qui per Sacrificium exhibetur, ita AA. communicat cum *Pasq.* Quæst. 1275.

646 Q. 156. Qualis assistentia requiratur. R. Moraliter per quam quis adsit tanquam homo ratione præditus, & non ut brutum vel inanimatum aliquid, debet enim assistere humano modo liberè & religiosè, hinc,

§. 1. Non audit Miffam, qui coactus intereft, ⁶⁴⁷
 v. g. ligatus & reluctans, uti habet communis
 cum *Cob. T. 5. n. 212*; fi quis tamen violentè detentus,
 fuppolitâ detentione liberè applicaret animum
 ad actionem Sacerdotis, fatisfaceret, quia affiftentia
 efferet libera fub ratione advertentiæ, *Illf. T. 5. n. 154*;
 neque etiam obfaret, fi quis intereflet ex metu,
 quia metus non tollit libertatem, ergo nec impedi
 affiftentiam moralem, uti habet communior
 eum *Pafq. q. 1307.* contra sex alios.

§. 2. Ebrius vel dormiens non audit Miffam, ⁶⁴⁸
 quia non adefl humano modo: quod verum efl,
 fi dormitet per vices, ita ut per notabilem partem
 nequeat attendere, quamvis dormitatio efferet
 involuntary, ita *Dicaf. & alii cum Gobat num. 244.*

§. 3. Si quis tempore Miffæ in altam contempla- ⁶⁴⁹
 tionem five in ecftafin à fenfibus abripiatur, putant
Suar. Fill. Ledefm. & alii adhuc audire Miffam, quia
 manet moralis affiftentia per præcedentem volun-
 tatem necdum revocatam, fed hoc probabilius
 negant *Lug. Aver. Leand. Tambur. hic c. 2. §. 1. n. II.*
Illfing n. 154, quia tam parum videtur moraliter
 affiftere, quàm qui dormit: *Pafq. quæft. 1306.* proba-
 biliter diftinguit, fi in illa ecftafi pergat contemplari
 myfteria, quæ peraguntur in Miffa, putat durare
 moralem affiftentiam; fi autem rapiatur in aliam
 contemplationem, putat non durare, adeoque
 nec audire Miffam.

Q. 157. Qualis attentio requiratur. R. §. I. ⁶⁵⁰
 Attentio efl duplex, externa & interna; externa, efl
 omiffio actionum exteriorum incompossibilem
 cum attentione interna; interna, efl advertentia feu
 applicatio animi ad aliquid, v. g. ad illa, quæ
 in altari geruntur, certum autem efl requiri
 attentionem externam, ut fatisfiat Præcepto.

Deinde communis sententia est ex *Soto, Suar. Log. Graff. Bonac. Laym. & aliis* cum *Gobat* T. 5. num. 220. contra *Mendo* in Stat. D. 7. q. 1. n. 6. non requiritur tantam attentionem ad Missam, quantum ad Breviarium; quæ autem & quanta ad Breviarium requiratur, dicemus Lib. IV. à n. 1340. Et hoc supponimus cum communiore, quòd aliqua attentio interna requiratur, saltem talis, per quam dicar religiosè existere sub specie & cultu exterioris Deum respectu Sacrificii, uti rectè explicat *Pasq.* q. 1315, ubi etiam multos Authores adducit, qui requirunt majorem aliquam attentionem internam ad Missam vel ad Deum, & è contra alios etiam multos, qui dicunt sufficere solam attentionem externam; quidquid sit de hoc, de quo dicitur, quando de *Horis Canonicis*, Lib. IV. q. 220. & seqq.

651 §. 2. Ministrantes Missæ sufficienter attendunt exhibendo suum ministerium, nam hoc est actualis cooperatio ad Sacrificium, imò est exhibitio partis ipsius Sacrificii, ita *Gobat* num. 220. Illi tamen, qui diebus solennibus accendunt candelas per totum templum tempore Missæ, si simul non attendant ad Missam, non satisfaciunt, quia hoc non est ministerium Missæ, sed vel prærequisitum vel per accidens concomitans, ita *Pasq.* Quæst. 1287.

652 §. 3. Musici, Chelystæ, Organædi, Tympanistæ, Tubicines audiunt Missam, dummodo firmè attendant ad hoc, quod in ara geritur, nam cantus vel lusus ipsorum refertur ad hunc Dei cultum, nec necessariò tollit requisitam advertentiam ad illa, quæ in ara geruntur. Idem dicit *Lesf.* in *Auct. v. Missa*. Cas. 3. de collectoribus elemosynarum, si simul attendant ad Missam; idem contra *Pasq.* Q. 1317. dicunt cum aliis *Dicast.* & *Gob.* à n. 305. de illo, qui

qui deambulando aut se comendo in templo Misfam audiret, nam potest quis deambulans aut se vestiens orare, ergo multò magis ad Misfam attendere.

§. 4. Non audiunt Misfam, qui scribunt vel ⁶⁵³ pingunt sub illa, uti rectè *Navar. & alii* communiter cum *Gobat* num. 307, quia hæ actiones ita occupant animum, ut cum illis attentio interna videatur esse impossibilis: Neque illi audiunt, qui per notabile tempus de re seria confabulantur, vel res alias fixè aspiciunt & considerant, ita ut moraliter loquendo nequeant attendere ad ea, quæ geruntur in ara, quia etiam hi carent attentione externâ, *Gob. n. 288. Pasq. q. 1323. Illsung T. 5. n. 158*; si tamen ista interruptim tantùm fiant, & relinquunt attentionem internam, quamvis illam minuant, erit veniale tantùm, uti iidem docent cum *Sot. Medin. Suar. Dicast. Basf.*

§. 5. Non satisfaciunt, qui per notabilem partem ⁶⁵⁴ Misfæ legunt attentè librum profanum, v. g. Poëtam, Philosophum; item literas, Gasettas &c. ita *Regin. Lug. Tambur.* aliique cum *Gob. num. 245.* Ratio est, quia actio illa profana ex natura sua avertit animum ab attentione ad res sacras. Idem tenet *Suarez* apud *Gob. à n. 254.* de illo, qui historiam sacram legeret animo indifferenti aut volens discere stylum, item qui Lektionem Catechetica mandaret memoriæ, item qui preces latinas in gallicum mente verteret, ut sic linguam disceret.

§. 6. Qui sub Misfa conscientiam examinat, ⁶⁵⁵ potest audire Misfam, quia potest attendere, uti habet communis: multò magis audit, qui sub Misfa elicit dolorem vel aliis piis actionibus se præparat ad Confessionem; an autem ille, qui sub Misfa per longum tempus confitetur,

Misam audiat, variæ sunt sententiæ, nam 1. *Suar. Azor, Tanner. & alii* dubitant, quia incertum est an habeat attentionem debitam. 2. Alii absolute negant, sed diversas rationes afferunt, nam *Bonar. & Basf.* dicunt ideo non audire, quia non orat, sed hæc ratio non stringit, nam non præcipitur Oratio uti dictum est num. 634; & quamvis præciperetur habebitur sufficienter per externam compositionem corporis, quâ colatur Deus; hinc *J. March. Tambur. Dicast. Steph. & alii* dicunt ideo non audire, quia enarratio peccatorum ita distrahit, ut cum illa non videatur stare posse attentio ad Misam; *Pasq. Q. 1318.* dicit, quamvis mentaliter attendere, tamen non audire, quia non habet præsentiam seu assistentiam moralem respectu Sacrificii, nam Confitens non habet se per modum alicujus, qui cum Sacerdote offert Sacrificium, sed per modum Rei, qui se accusat, accusatio autem aut persona Rei non spectat ad Sacrificium. 3. *Regin. Castrop. Leg. Rhod. Escob. & alii* cum *Gob. num. 258.* absolute affirmant, quia habet intentionem audiendi, uti suppono, adest corpore, quia confiteretur in templo, assillit moraliter, quia adest humano & religioso modo; denique etiam attendere potest ad Misam; & licet fortè actu non attendat, tamen occupatur actione piâ, adeoque adhuc censetur cum Sacrificante & circumstantibus Deo cultum exhibere. 4. Alii distinguunt & dicunt, si per experientiam sciat te cum enarratione peccatorum adhuc aliquo modo attendere, satisfacies; si autem scias, te non attendere, non satisfacies, quia hæc narratio peccatorum non est res ad Misam spectans, ergo qui per illam ita occupatur, ut ad Misam attendere non possit non videtur habere attentionem externam. Omnes hæc sententiæ sunt probabiles, in praxi autem

suadendum, ut si Confessio deberet esse longa, potius fiat extra Missam; si autem sit brevis, curandum ut potius fiat sub aliqua parte non ita substantiali, v.g. sub Orationibus, *Gloria, Epistola, Credo*, non verò sub Offertorio, Consecratione vel Communione: Si tamen etiam sub his partibus fiat, debet confitens ita simul attendere ad Missam, ut dicere possit, quousque Celebrans pervenerit. Quòd si Confessio alioquin esset omittenda, uti sæpe fiet ancillis & famulis, suaderi potest, ut fiat sub Missa, quia voluntas Ecclesiæ præsumitur esse potius, ut sic audiatur Missa & Confessio fiat, quàm ut attentius audiatur Missa & Confessio non fiat, uti rectè *Lesf.* in Auct. v. *Missa*. c. 3, si enim damnum temporale possit excusare ab auditione Missæ, magis excusabit damnum spirituale in omissione majoris attentionis: denique si quis sub musico vel cantabili Sacro confiteatur, non est tanta difficultas, nisi Confessio esset valde longa, facile enim advertet, quousque Celebrans pervenerit, aut confitebitur sub aliqua parte, quæ per cantum longius trahitur, vel ubi Celebrans sistit.

§. 7. *Pasq.* suprà absolutè dicit eam, qui Confessio- 656
nes audit, non posse audire Missam, quia non assistit veluti unus offerentium, sed velut Judex, cujus actio non spectat ad Sacrificium: Oppositum communiùs docent alii cum *Gob.* num. 269, quia quòd simul fit Judex in Confessionali, non impedit, quò minus etiam sit unus illorum, qui circumstant & cum Sacerdote Sacrificium offerunt; certum quòque videtur, quòd Confessarius possit faciliùs simul attendere ad Missam, quàm Confitens.

§. 8. *Sporer* de Poen. num. 579. putat Celebrantem 657
non posse audire Missam, quæ ab alio legitur eo tempore, quo ipse celebrat, ideòque
non

non satisfactorum debito, si promississet unam Missam audire & unam dicere, vellétque ea facere eodem tempore; sed probabilius est Celebrantem posse sufficienter attendere ad suam & alienam Missam, si autem non satisfaciat isti promisso, idem erit, quia qui promittit Missam unam audire & alteram dicere, censetur promittere actus successivos, non aliter ac ille, qui promittit duas Missas audire, nisi enim fuerit alia intentio promittentis, censetur promississe duas diverso tempore.

658 §. 9. Qui voluntariè toto tempore habet distractiones, & simul attendit ad ea, quæ in ara geruntur, audit Missam, quamvis peccet venialiter ratione irreverentiæ, si simul oret, est communis cum *Suar. Castrop. Basf. Pasq. Quæst. 1321. Gob. n. 228. Illsung n. 59*; nec quenquam movere debet, quòd Author Anonymus contra Archi-Episcopum Mechliniensem anno 1691. editus dicat opinionem illam non esse admodum conformem genuinis regulis pietatis & Justitiæ Christianæ, nam, uti demonstrat *Oropet.* evidens est attentionem ad Missam posse stare cum tali distractione, possumus enim ad plura simul attendere, uti experientia docet, quamvis minùs attentè ad singula; esse autem talem distractionem tantùm venialem, communis est sententia omnium, unde liber ille Anonymi propter insolentiam, quâ Archi-Episcopo illi insultat, combustus est Ruræmundæ jussu supremi Senatûs Geldrici.

659 §. 10. Quamvis communis sit sententia, quam supponunt *Côn. & Lugo de Euch. D. 22. Sect. 2. n. 46*; quòd distractio involuntaria non impediat, quòd minùs aliquis satisfaciat Præcepto Missæ, quia communiter non impedit, quin ita attendas, ut possis esse testis Sacrificii peracti, aut reddere rationem de iis, quæ geruntur ad aram.

Si tamen evagatio esset talis, ut redderet hominem veluti abreptum & nullo modo attendentem ad Sacrificium, impediret auditionem Missæ, sive esset voluntaria, sive involuntaria, ita *Pasq. supra & Castrop. T. 22. P. 16. num. 3.* Ratio est, nam somnus involuntarius ideo impedit, quia tollit moralem, humanam & religiosam assistentiam, atque illam æquè tollit talis extra-ordinaria evagatio animi, ergo.

§. II. Pueri aut alii rudiores *in actu secundo* 660 non tenentur ad tantam attentionem, ad quantam alii, quia talis attentio est illis moraliter impossibilis.

§. 12. Pro habenda attentione & devotione 661 in audienda aut etiam celebranda Missa, juvabit hanc considerare tanquam memoriale Passionis Christi, respiciendo singulas actiones Missæ veluti repræsentativas cujusdam mysterii: & pro imaginatione ad hoc disponenda, potest Sacerdos considerari veluti sustinens personam Christi patientis, nam *velum*, quod imponit capiti vel humeris, significat velum, quo tecta est ejus facies ab illudoribus: *Alba*, vestem ab Herode injectam: *Cingulum, stola, manipulus*; funes, vincula & catenas, quibus ligatus est & raptatus: *Tonsura capitis sacerdotalis*; spineam coronam Christi: *Casula*; crucem &c.



Missæ

*Missa memoriale Passionis Christi.**Sacerdos.*

Ingreditur ad aram.
 Inchoat Missam.
 Dicit: *Confiteor* &c.
 Ascendens osculatur
 altare.
 Abit ad locum Epistolæ.
 Legit introitum.

 Dicit *Kyrie eleison*.

 Dicit, *Dominus vobiscum*.

 Legit Epistolam.
 Dicit, *munda cor meum*.
 Legit Evangelium.

 Denudat calicem.
 Offert Deo panē & vinū.
 Tegit calicem.
 Lavat manus.

 Dicit: *Orate Fratres*.
 Dicit secretas orationes.

 Dicit Præfationem,
 usque ad *Sanctus*.

 Facit *memento* pro vivis.

 Prosequitur actionem.

Christus.

Ad hortum Gethsemani.
 Orat in horto.
 Stratus sudat sanguine.
 Traditur osculo Judæ.

 Ligatus trahitur.
 Tunditur pugnis
 apud Annam.
 Negatur à Petro
 apud Caipham.
 Respiciens convertit
 Petrum.
 Ducitur ad Pilatum.
 Ducitur ad Herodem.
 Illusus reducitur
 ad Pilatum.
 Vestibus spoliatur.
 Flagellis cæditur.
 Coronatur spinis.
 A Pilato pronunciat
 innocens.
 Pilatus dicit, *ecce homo*.
 Conspuitur, facie vela-
 tur, luditur.
 Postponitur Barabbæ;
 clamatur, *crucifige*,
 morti adjudicatur.
 Portat crucem ad Cal-
 variam.
 Occurrit Veronicæ.

Bene

Sacerdos.

Christus.

Benedicit oblationes.

Elevat hostiam consecratam.

Elevat sacrum calicem.

Prosequitur Canonem.

Dicit : *Nobis quoque peccatoribus.*Dicit : *Pater noster.*

Dividit hostiam.

Immittit particulam in calicem.

Dicit, *Agnus Dei.*

Prosequitur Orationes.

Sumit Christum.

Purificat calicem.

Iterum operit calicem.

Dicit, *Dñs vobiscum.*

Dicit ultimas Collectas.

Dicit ultimū *Dñs vobiscū*.

Benedicit populo.

Dicit, *Ite ; Evangelium S. Joannis.*

Clavis affigitur cruci.

Elevatur in cruce.

Profundit è vulneribus sanguinem.

Videt afflictam Matrem.

Orat pro genere humano.

Dicit 7. verba in cruce.

emittit spiritū è corpore.

Secundū animam descendit ad limbū.

Convertit multos adstantes.

Ex aperto Latere fundit sanguinem & aquam.

Deponitur in sepulchrū.

Ungitur à piis mulierib.

Resurgit cum corpore.

Apparet Matri & Discipulis.

Conversatur 40. diebus cum suis.

Ascendit in cælum.

Mittit Spiritum S.

Facit ab Apostolis circumferri Evangelium.

Piè auditur Missa , si hæc nudè considerentur, utilissimum autem erit, si breves affectus admisceantur , prout suggerent mysteria & propria cujusque devotio.

Q. 158. *Quandonam peccetur graviter vel leviter non audiendo integram Missam , sive omittendo partem. R. Distinguendum est inter partes Missæ, nam*

nam *pars essentialis*, in qua consistit Sacrificium, probabiliter est sola Consecratio: *pars substantialis* est oblatio & sumptio: *partes principales* sunt Canon, qui incipit statim post *Sanctus*, usque ad *Pater noster*, item *utraque oblatio*, Evangelium &c. *Partes non regulares* seu non ordinariæ sunt, *Gloria, Credo, plures Epistola, plures Collecta &c.*, hæ enim non sunt in omni Missa, sed tantum aliquando; *partes regulares* seu ordinariæ sunt, quæ communiter sunt in omni Missa. Hoc notato:

663 §. 1. Veniale saltem est quamcunque partem etiam parvam omittere absque rationabili causa, est communis cum *Gob. num. 132. Pasq. quæst. 1270. Mendo in Stat. D. 7. Q. I. N. 3.*, quia Ecclesia præcipit Missam, non tantum prout est Sacrificium, sed etiam prout est cerimonia sacra, sic autem complectitur omnes actiones sacras. Probabile tamen est Evangelium S. Joannis non esse partem Missæ, quia ante illud dicitur, *ite, missa est*, & datâ benedictione licentiatur populus.

664 §. 2. Qui omittit tertiam partem Missæ, peccat mortaliter secundum omnes: quod aliqui dicunt de omittente quartam partem: partes autem non regulares facilius omitti possunt, nec tam cito constituent unam tertiam vel quartam partem Missæ, uti constituerent principales etiam minores, quia partes non debent tantum considerari secundum diuturnitatem, sed maximè secundum dignitatem, uti habet communis.

665 §. 3. Quid vel quantum omitti debeat, ut censetur esse tertia vel quarta pars Missæ, variant Authores, secundum *Paxjord. & alios* sufficienter omittis ad mortale, si omittas ab initio ad Epistolam exclusivè. Secundum *Navar. Bonac. Tol. Turv. & alios* tum prius peccas mortaliter, si omittas ab initio

cum

cum Epistola, quamvis multæ & longæ essent Epistolæ, cum sint partes non regulares. Secundum *Sot. Suar. Henriq. Rodriq. Graff. Kôn. Dicast. & alios* tum prius peccas mortaliter, si omissas ab initio cum Evangelio: imò *Az. Suar. Rodriq. Castrop. Dicast. Tambur. & alii* apud *Pasq. Quæst. 1282.* excusant te à mortali, si statim post Evangelium veniens maneat usque ad finem ultimi Evangelii S. Joannis: Et licet simul omittatur *Credo*, adhuc dicunt non fore mortale *Henriq. Lug. Burgh. Cent. 2. Cas. 86. aliique* apud *Mendo n. 1.* quia, *Credo*, est pars non regularis, unde iidem cum *Lay. L. 4. T. 7. c. 4. n. 3. & Illsung T. 5. num. 160.* non damnant te mortalis, dummodo venias ante Offertorium, quia olim ibi incipiebat Missa teste *Isidoro*. Probabilius tamen & ad sensum vulgi magis accommodatum viderur esse, si dicamus Missam non audiri, si quis non veniat sub initium Evangelii, & permaneat usque ad finem, quis enim diceret, inquit *Mendo*, eum audivisse Missam in Dominica Palmarum, qui post Passionem pro Evangelio lectam veniret ad templum.

§. 4. Qui omittit sola illa, quæ sunt post Communionem Sacerdotis, non peccat mortaliter, *Suar. Fagund. Illsung* supra *aliique* communiter: item qui omittit omnia ante Epistolam & omnia post communionem Sacerdotis, etiam non peccat mortaliter secundum eosdem Authores & alios apud *Mendo* supra contra *Trull. Leand. Pasq. q. 1383;* qui autem omittit omnia ante Evangelium & omnia post Communionem, peccat mortaliter secundum *Suar. Côn. Castrop. Tann. Illsung & alios* contra *Baun. & Llamas* apud *Pasq.* supra, qui dicunt non peccari mortaliter, quia sunt partes ferè similes,

quæ non tam facile constituunt tertiam vel quartam partem Missæ.

667 §. 5. Qui solum Offertorium, sive ante Præfationem, sive post Consecrationem omittit secundum *Pasq.* Q. 1275. tantum venialiter peccat, qui autem omittit Consecrationem & Sumptionem, mortaliter peccat, quia essentia Sacrificii in alterutra harum actionum consistit, est communis cum *Gob.* num. 132. Communior quoque sententia est cum *Ledesm. Henriq. Regim. Bonac. Cuius March. Lug. Avers. Dicast. Dian. & aliis* esse mortale, si omittatur utraque Consecratio, imò *Pasq.* supra putat, si quis non adesset uni tantum Consecrationi, v. g. solius panis, fore mortale: idem plerique è supradictis cum *Bonac. Castrop. & Illung* num. 100. dicunt de eo, qui solam Communionem omittit, quia omitteret partem ratione dignitatis notabilem; è contra *G. Hurtad. & alii* cum *Burgh.* supra dicunt non peccari mortaliter, si tantum omittatur tota Consecratio, & in hanc sententiam inclinant *Suar. Fagund. Garz.* saltem quoad rudes, quam *Lug.* dicit probabilem: quod autem Communionem attinet, *Hurt. Cass. Pelliz. Leand. Laym. & Burgh.* supra dicunt non esse mortale illam solam omittit, quia quamvis sint partes valde dignæ, tamen sunt pars non magna: Sed quod ad utramque Consecrationem attinet, prior sententia videtur verior, & eam tenent plurimi cum *Pasq.* Quæst. 1276. & *Herinx* de Pecc. D. 7. num. 48, quia pars illa est dignissima, ergo meritò censetur notabilis: deinde Missa ab Ecclesia præcipitur principaliter, prout est Sacrificium, quo colitur Deus, sed si omittatur utraque Consecratio, longè probabilius est omitti rationem Sacrificii, ergo. Addunt *Hurtad. Leand. & Pasq.* Quæst. 1284. peccari mortaliter, si

si omittatur ab elevatione calicis usque ad *Pater noster*, quia est pars principalis, dignitate notabilis.

§. 6. Qui non potest interesse nec Consecrationi⁶⁶⁸ nec Sumptioni, eum non teneri ad alias partes, docent *Lug. Tamb. & alii* cum *Gobat* num. 140: sed probabilius videtur oppositum, quia potest audiri major pars *Misæ*, prout est cerimonia sacra, qualiter etiam præcipitur ab Ecclesia; unde à potiori is, qui venit ad ultimam *Misam* paulò ante Consecrationem, tenetur ad hanc & reliqua audienda, uti habet communior cum *Gob.* num. 139. & *Pasq.* q. 1292. contra *Molf. & J. Sanch*; si quis autem veniat post Consecrationem, eum non teneri ad reliqua, docet *Tamburin.* c. 2. §. 1. n. 6, quia deficit pars præcipua & essentialis; sed probabilius est oppositum, tum quia multi docent essentialiam Sacrificii consistere in Sumptione, tum præcipuè, quia audiri potest pars notabilis ceremoniæ sacræ ab Ecclesia præceptæ; & quamvis pro utraque sententia Authores multos adducat *Pasq.* supra, nunc tamen videtur tenendum cum illis, qui obligant, uti rectè *Illsung* num. 165, hoc enim videtur ob paritatem Præcepti & rationis colligi ex hac prop. 54. ab *Innocentio XI.* damnata: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

§. 7. Si Sacerdos concionem interponat, vel⁶⁶⁹ faciat *memento* unius semi-horæ, illo tempore abesse poteris, *Tambur.* num. 4. *Gobat* n. 149. Item *Gloria, Credo & Kyrie*, quæ canuntur à Musicis; item alia, quæ hi interponunt, non sunt pars *Misæ*, hinc omitti possunt sinè peccato, dummodo assistatur ad *Kyrie, Gloria & Credo*, quæ recitat Sacerdos, *Pasq.* Quæst. 1287.

670 §. 8. Quando casu vel ex justa causa venisti serb, sed non notabiliter, secundum *Suar. Fill. Fagund. Dicast. Gobat* num. 140. *Pasq. Quæst.* 1293. non teneris nequidem sub veniali supplere partem illam parvam : in sententia tamen illorum, qui dicunt satisfieri Præcepto per partes Missarum auditas successivè, quam probabilem esse diximus n. 611, teneris sub veniali supplere, quia teneris totam Missam audire, sed potes totam audire supplendo, & non supplendo non audis totam, ergo teneris supplere. Quòd si quis notabilem partem neglexisset, sub mortali teneretur aliam Missam audire, vel saltem partem neglectam supplere, uti omnes fatentur.

671 §. 9. Multi Missam audiunt, quia casu satis mature veniunt, qui tamen peccarunt mortaliter, quia per negligentiam exposuerunt se periculo multum seroveniendi, unde circa hoc examinandi sunt illi, qui confitentur se serovenisse, inquit *Castrop. T. 22. P. 16. n. 14*, idemque notant *Suar. & Gobat* n. 156, sæpe enim seroveniunt sine, & sæpe cum culpa gravi, quamvis non neglexerint notabilem partem Missæ.

D U B I U M IV.

*An sit obligatio audiendi Missam in Parochia
Dominicis & Festis majoribus.*

672 **R**esp. I. Etsi id quidem decens sit, non tamen est obligatio. Est communis Authorum (quos vide superiore Dub. Casu ult.) & ut ait Cardinalis Lugo *D. 22. S. I. n. 2. certa*; etsi Marchant in *Candelabro Mystico T. 4. c. 7. Et in Resolutionibus Pastoralibus*, in forma Manualis editis *Tr. 4. Cap. 7. in dubium vocet, scrupulumque movere conetur*

Ratio

Ratio est. 1. Quia nullum extat de hac re Præceptū. 2. Quia *Cap. Ut Dominicis, de Parœciis* jubetur Parochus ante Missam ejicere eos, qui proprio Parochæ contempto, isthic Missam audire velent: ergo sine contemptu (formali) licet. 3. Quia *Cap. Si quis, de Consecrat.* jubentur ii, qui habent Oratorium domi, in majoribus festivitibus audire Sacrum in Parochia, vel in civitatibus. 4. Quia universalis Fidelium, & ipsorummet etiam Parochorum, Doctorum, & Confessariorum (qui Pœnitentes hac de re non interrogant) consuetudo id non tantum, (ut loquitur *Marchantius l.c.*) insinuat, sed manifestè docet. 5. Quia *Trid. Sess. 22. Cap. 8.* tantum dicit, populum debere moneri, (non autem teneri) ut frequenter adeant Parochias, saltem Dominicis, & Festis majoribus. *Vid. Fagund. P. 1. L. 2. c. 3. n. 8. & seqq. Lugo, Barbosa, Zenedo, Trull. L. 3. c. 1. D. 6. n. 4.*

Néque obstant, quæ *Marchantius* objicit, ut:

I. Quòd Jura antiqua decernant contrarium; eò quòd *Sixtus IV. de Trenga, & pace*, præcipiat, ne Mendicantes prædicent, non teneri audire Missam in Parochia Dominicis & Festis: nam in primis ex illo Sixti Decreto nihil sequitur, cum is non dicat teneri, sed tantum prohibeat, ne publicè prædicetur, non teneri: Cum enim honestissimum sit, populum audire Missam in Parochia, idque suadere deceat, minimè deeret, id (publicè præsertim) dissuadere, nam inde scandala, & proprii Parochi contemptus sequi possent. Et hoc est, quod *Sixtus* cavere voluit. Deinde, esto antiqua forsàn aliqua Jura id habeant, eis, posterioribus temporibus, per varia privilegia, receptamque consuetudinem universalem, est derogatum. *Lugo & ceteri A.A. citati.*

» Nec obstat 2. Quòd multos Canonistas
 » eam opinionem secutos asserit : Esto enim
 » olim quidam sic senserint, hoc tamen tempore,
 » post tot & tam ampla privilegia, post tam claram
 » & diuturnam consuetudinem, post Eminentissimi-
 » morum Cardinalium declarationes, & ipso-
 » rum etiam Pontificum nota Decreta contraria,
 » (ut vide sequenti Resp.) an aliqui id doceant,
 » nescio.
 » Nec obstat 3. Locus Tridentini paulò antè
 » in Resp. citatus, quem objicit : ut patet ex ipsis
 » verbis & declaratione Eminentissimorum
 » Cardinalium Auctorumque communi explica-
 » tione.
 » Resp. 2. Episcopus non potest censuris, mulctis
 » aliisque pœnis cogere ad audiendam Missam
 » in Parochia. Est contra *Marchant. l. c.* ubi ait,
 » *Regulares ita communiter respondere, ut privile-*
 » *giorum suorum simbrias magnificent, & dilatent*
 » *phylacteria : & contra Auctorem Parochiani*
 » *obedientis.* Ratio autem est : quia (ut ait *Navar.*)
 » Episcopus non potest tollere (nec restringere)
 » Jus commune, & generalem totius orbis consue-
 » tudinem. Ita docent præter *Auth. supra citatos*
 » *S. Antonin. P. 2. Tit. 9. Cap. 10. §. 1. Dub. 4.*
 » *Sylv. V. Missa. Tolet. Laym. L. 4. T. 7. c. 3. & c.* Et
 » communiter omnes Theologi & Canonista moderni
 » afferuntque *Azor Tom. 1. L. 7. c. 8. q. 6. & Card. Lugd.*
 » *D. 22. S. 1.* pro hac sententia, declarationem Cardi-
 » naliū in Trid. quæ expressè habet ; *Non posse*
 » *Ordinarium mulctis & pœnis cogere ad audiendam*
 » *Missam, vel Concionem in propria Parochia, etiam*
 » *in casu negligentia & contumacia.* Et si his duobus
 » tanquam Regularibus minùs fidat, legere potest
 » eandem declarationem apud *Barbosam in Trid.*

Sess. 22. c. 8. de Sacrif. Misſæ, & Sess. 24. de Reformat. cc
 Cap. 4. n. 12. Item Tractatu de officio & potestate cc
 Parochi, ubi eandem ſententiam Barboſa ipſe cc
 ſequitur, & pro ea ſupra viginti Auctores celebres, cc
 partim Theologos, partim Canoniſtas, quâ Regu- cc
 lares, quâ non Regulares citat. Vide ejuſdem cc
 Remiſſiones in Tridentinum impreſſas Colonia cc
 Anno 1700. Et Zerolam in Praxi Episcopali P. 2. cc
 v. Parochia, & P. 1. v. Miſſa. §. 6. Idem diſertis verbis cc
 confirmat Clemens VIII. Anno 1592. 22. Decembris cc
 Decreto ſuo, circa hanc ipſam controverſiam cc
 Duaci excitatam, quo eam dirimit, his verbis: cc
 Preſenti noſtro Decreto ſancimus, licere Secula- cc
 ribus, Chriſtiſque Fidelibus univerſis, Miſſas cc
 diebus Dominicis & Feſtis aliis majoribus audire cc
 in Eccleſiis tam Fratrum Prædicatorum, quàm alio- cc
 rum Mendicantium, nec non etiam Collegii cc
 Societatis JESU, juxta eorum privilegia, & cc
 antiquas conſuetudines, dummodo id in contemptum cc
 Parochialium Eccleſiarum non faciant: & tam cc
 dictis Patribus Prædicatoribus, ac Presbyteris cc
 dictæ Societatis, quàm aliis Privilegiatis, quibus cc
 id à Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, cc
 & ab Ordinario approbatis, peccata ſua, etiam cc
 Quadrageſimali, & Paſchali, & quovis alio tempore cc
 conſiteri licite poſſe, &c. Quòd ſi verò dicta privi- cc
 legia, & alia ſimilia clariùs cognoscere lubet, cc
 inſpiciatur, (ut alia taceam) Compendium Privi- cc
 legiorum Societatis JESU, ubi præter Leonis X. cc
 clara ſunt verba Pauli III. in Extravag. data cc
 anno 1549. Calendis Novembris, quæ incipit: cc
 Licet debitum, quâ omnibus Chriſti Fidelibus, cc
 cujuſcunque conditionis, qui verbi Dei prædica- cc
 tionibus, in templis ejuſdem Societatis interſuerint, cc

» concedit, ut ibidem Missas audire, & Sacramenta
 » recipere, liberè & licitè valeant ; neque ad
 » Parochiales Ecclesias accedere teneantur. Potest
 » ne quis miretur tam ampla privilegia Regulari-
 » ribus concessa à variis Pontificibus , placeat
 » inspicere eorum Bullas , in quibus reperit
 » motiva gravissima : aut si nec inspicere lube-
 » recogitet saltem, DEUM ipsum Innocentio III.
 » (dum vidit Ecclesiam Lateranensem jamjan-
 » ruituram) ostendisse eam sustentari à S. Dominico
 » & à S. Francisco. Consideret ; quòd sicut olim
 » in varias Orbis plagas, & in ipsam Germaniam
 » doctrina Christi translata est operâ Regularium
 » ita finè eorum subsidio conservata diu non fuis-
 » set, vel saltem minùs floruisset. Et denique
 » ne Regularibus succenseat quisquam, quòd privi-
 » legia sua tueantur, sciendù est, quòd finè consensu
 » Sedis Apostolicæ iis renunciare, aut cedere
 » non possint. Vid. L. 2. Decret. Tit. 43. de arbit. c. 1.
 » Imò etsi facerent, irritum fore, & peccaturos
 » quia injuriam inferrent Ordini, & Ecclesiæ totius
 » Nunc ad argumenta Marchantii breviter respondeo.
 » I. Affert auctoritatem cujusdam P. Capucini
 » qui Parochianum obedientem scripsit. Et
 » huic quidem me paulò antè sat multa
 » gravesque auctoritates opposuisse existimo.
 » II. Ait, quorundam Episcoporum praxin
 » esse contrariam, eamque fundari in Jure antiquo
 » & novo Trid. loc. cit. Sess. 22. & Sess. 24. ubi dicitur
 » Teneri unumquemque Parochia sua interesse
 » ad audiendum verbum Dei & rudimenta Fidei.
 » Hæc autem in plerisque locis ruralibus docentur
 » in Missa ; ergo etiam ad Missam postulare
 » compelli.
 » Resp. I. Praxin istam (sicubi est) paucorum est

& contrariam praxi communi Episcoporum, et in omnibus Regnis & provinciis, & insuper et Præfulis summi.

II. Praxin istam nec fundari in Jure antiquo, et cum illi (si quod fuit) per privilegia sit derogatum et & abrogaverit consuetudo; nec in novo, tum et quia *Tridentinum l. c.* loquendo de concionibus et & Catechesi, nullam facit mentionem Missæ: & et in pœnalibus non valet illatio. Tum quia et Tridentinum expressè addit, (quod *Marchantius* et in sua citatione omittit, cum tamen ad rem et plurimum faciat) *si commodè fieri potest*. Tum et quia nec illam quidem obligationem, quoad et conciones, esse receptam, ostendit universalis et Ecclesiæ consuetudo, eò quòd fortè regulariter et *commodè fieri non poterat*, ut notat *Card. Lugo l. c.* et Neque Catechesis communiter docetur in Missa, et nisi fortè in pagis, ubi rariùs contendunt Regu- et lares cum Parochis de re præsentis. Denique et nescio, an non Episcopi, de quibus loquitur, et ex numero fortè sint eorum, de quibus *Pius V.* et in Bulla: *Etsi Mendicantium*, queritur, quòd et etsi Episcopi Ordines Mendicantes meritò colere, et & adjuvare deberent, non solùm id negligant; et verùm etiam Concilii Tridentini verbis et in pravum sensum detortis, eos incommodis et & perturbationibus afficiant.

III. Citat Decreta Synodi Leodiensis, & et Namurcensis, subjungitque: *Qui verò audeat et hac condemnare, & Patres istius Synodi, inter quos et multi Theologi fuerunt?*

Resp. Decreta ista (& si quæ fortè sunt similia) et intelligenda esse, ne cum contemptu proprii et Parochi audiant Sacrum extra Parochiam: aut et si quæ sensum alium habent, non esse recepta, et

» vel esse usu abrogata. Ita *AA. citati communiter*,
 » Videri potest *Card. Lugo l.c. Barbosa & Zerola l.c.*
 » & dignissimus lectu libellus *Francisci Fontani*,
 » Congionatoris Regii, cujus titulus: *Responsa*
 » *ad quæstia cujusdam Primarii Prælati*, &c.
 » excusus primùm gallicè Nancæi, anno 1625,
 » postea verò latinitate donatus, & recusus
 » Viennæ Austriæ, typis Michaëlis Rictii,
 » Anno 1634. Mitto rationes ceteras, quibus
 » frequentationem Parochiæ (finè obligatione
 » tamen) persuadere conatur; cùm eam, utpote
 » honestam inprimis atque decentem, minimè
 » improbare, sed erroneam tantùm conscientiam
 » impedire contendam; ne videlicet cum persua-
 » sione obligationis Parochialis, vel cum appre-
 » hensione peccati, Regularium templa frequen-
 » tentur.

673 Eandem quæstionem pluribus tractant
Archdekin P. 3. T. I. de Opin. prob. Quæst. 22. & 23.
Nicolaus Du Bois in Motivo Juris, (libellus verò ille
 additus est ad Tract. ejusdem Authoris super pro-
 positiones 45. ab *Alexandro VII.* damnatas.)
Leurenus P. I. Q. 438, qui videri possunt.

DUBIUM V.

Quæ excusent ab auditione Sacri.

674 » *R Esp.* Duæ sunt causæ, quarum altera, si adsit,
 » non teneris curare celebrari privatim
 » in portatili cum privilegio, neque
 » (etsi id consilii sit) preces interim alias loco Missæ
 » dicere, ut habet *Navar. c. 13. Suar. Fill. T. 5. c. 7. q. II.*
 » Prima causa est *impotentia*, vel simpliciter, vel
 » moralis, aut difficultas ex notabili incommodo,
 » proprio vel Proximi, corporis, vel bonorum,
 » vel

vel etiam honoris : quia hæc est mens Ecclesiæ cc
 præcipientis instar discretæ & benevolæ Matris. cc
Bon. Tom. 1. D. 4. Q. ult. P. ult. Nav. Fill. l. c. Suar. D. 85. cc

Secunda causa est quodcunque motivum ratio- cc
 nabile, quo quis bonâ fide putat se excusari. cc
Vid. Suar. in 3. p. Sect. 6. c. 5. Laym. & Bonac. l. c. cc
 Unde resolves :

I. Excusantur, qui sunt in navigatione vel cc
 in carcere. Item in morbo, vel convalescentia, cc
 in qua obsit prodire foràs : Item qui sunt cc
 in excommunicatione, vel Interdicto ; de quo cc
 suo loco.

II. Item, qui custodiunt, castra, urbem, gregem, cc
 infantes, (vel puerum, qui in templo quietus & cc
 sinè perturbatione aliorum contineri non potest) cc
 vel domum, aut ægris solatio sunt, aut coquere cc
 debent, & familia curare, quæ omitti non possunt. cc
Bonac. Kôninck num. 86. & 314.

III. Item, cui periculum est gravis offensionis cc
 Mariti, Parentum, vel Dominorum. *Henriq. Suar. cc*
Fill. num. 227. Si tamen id ferè semper fieret, cc
 de alio medio laborandum esset.

IV. Item, si quis alioquin omisurus esset cc
 occasionem commodam itineris, v. g. socios, cc
 cum viam ignoret, vel pericula metuat: aliàs verò cc
 tenetur ad Missam ante iter, vel in itinere. *Suar. cc*
Rodrig. Bonac. l. c.

V. Si sit gravis difficultas eundi ad Ecclesiam cc
 ob distantiam, v. g. unius vel alterius milliaris cc
 Germanici, vel etiam minoris spatii ; maximè cc
 si via sit molesta, cælum pluvium: ubi habenda est cc
 ratio personarum, loci, temporis, & consuetu- cc
 dinis. *Bonac. Suar. Fill. n. 226. Marchant. Resol. Past. cc*
V. 4. c. 6. num. 7.

VI.

- VI. Si ex consuetudine Patriæ feminæ egræ
 non soleant tempore luctûs, vel etiam post partum
Sylv. Cajetan. Fill. num. 229.
- VII. Si quis non habeat vestes statui
 convenientes. *Navar. Henriq. Sa, Azor, Bonac. l. 1. c. 1.*
- VIII. Si quæ ex occulta fornicatione prægnans
 metuat, ne id advertatur, si prodeat, *Laym. l. 1. c. 4. num. 3.*
- IX. Si quæ sciret alteri, à quo perditè amari
 retur, secururam occasionem peccati, si prodiret
Sa, Fill. num. 227.

A D D E N D A.

675 Q. 159. Quæ sit regula generalis ad dignoscendum
 sitne aliquis ab audienda Missa excusatus nec
 non. Hanc dant *Suar. Azor, Tann. Fill. Castrop. Dic. de
 Mastrio, Reiffenst. & alii cum Gob. T. 5. n. 441. & alii.*
 Illa omnis & sola causa excusat, quæ est medio-
 criter gravis, sive quæ involvit notabilem
 saltem mediocrem incommoditatem in bono
 animi, corporis, honoris aut fortunarum, propriæ
 vel Proximi, uti pluribus exponitur in *Vind. Gob.
 P. 2. Prop. 5.*

676 §. I. Si quis habeat privilegium in Oratorio
 domûs suæ Missam audiendi, non tenetur quidem
 sibi Missam dato stipendio procurare, uti habet
 communis cum *Dian. P. 9. T. I. R. 19. Tamb. L. 4. c. 1.
 §. 2. n. 4. contra aliquos apud Fagund. in I. Præc. Eccl.
 L. 2. c. 9. n. 9, si tamen Missa nihilominus legatur,
 aut si gratis haberi possit, tenetur ibi audire, si alibi
 non possit, ita *Lugo & alii* communiùs cum *Tamb.
 & Gobat n. 352. contra Suar. Merol. Homob. Escob.
 Pelliz. Delbene de Immunit. Eccl. c. 3. D. 2. Sect. 2. n. 3.
 & Dian. supra. Ratio est, quia talis tenetur
 audire, & finè incommoditate mediocriter gratè
 audire.**

audire potest, ergo. Si dicas: Nemo tenetur uti suo privilegio. & Non tenetur vi ipsius privilegii, *Transseat*, vi alterius Præcepti postulantis actum, qui poni potest per privilegium, N. Dixi, *Transseat*, quia Clericus per privilegium habet, ut conveniri non possit coram Judice laico, vi cujus privilegii tenetur non comparere, si citetur; similiter si per privilegium sis exemptus à Decimis, & incidas in casum, ut si solveres Decimas, non posses solvere debita Justitiæ, teneris uti privilegio non solvendi Decimas, ut debita Justitiæ solvas. Et quod dictum est de Missa in privato Oratorio, intellige de Missa tempore Interdicti, si quis privilegium habeat tum audiendi, uti faretur *Dian. supra* contra *Avil. Con. & alios apud P. sq. Quæst. 134.*

§. 2. Fœminæ, quæ non solent ad Ecclesias ire nisi famulis comitantibus, tenentur hos modico stipendio conducere, ut Missam adeant, quia quisque tenetur ad impletionem Præcepti adhibere media facilia, etiam si non sint ita ordinaria, si ex sola ipsius voluntate sint requisita, ita cum aliis *Fagund. supra.*

§. 3. Quando infirmitas impedit egredi domo ad negotia magni momenti, etiam excusat à Missa, *Suar. Castrop*; imò *Sanch. Dicast. Gob. n. 470.* dicunt, etsi ad negotia alia, ad quæ afficeris, exire posses, te non ideo statim teneri adire Missam, si hanc adiens cum repugnantia naturæ alterari posses & pati non leve incommodum.

§. 4. An in hoc vel illo casu, v. g. ratione valetudinis, sit mediocriter grave incommodum nec ne, *Suar. & Reginald.* dicunt standum esse iudicio viri prudentis; *Sily. & Tann.* dicunt standum iudicio Medici aut boni viri; *Hénriq.* iudicio Medici aut Superioris aut Parochi; *Sanch. Bonac. & Dicast.*
judi-

iudicio vel Medici vel Superioris vel Parochi
 vel etiam proprio, si æger ipse sit ita prudens
 ut possit per se ferre iudicium, & consentit *Gob.*
num. 474, addens dari posse iudicio Medici, etiam
 acatholici, nisi peculiaris sit ratio iudicandi cum
 hic non respondere fideliter: Si verò omnibus his
 & tibi ipsi adhuc permaneat dubium, *Suarez* dicit
 petendam esse dispensationem, *Bonac. Casp. &*
Gobat num. 479. negant id opus esse, quia est
 contra praxin universalem. *Nec obstat*, quòd
 Præceptum videatur esse in possessione con-
 tra excusationem dubiam, *nam* dicunt tum tantum
 obligare ratione possessionis, quando ex observa-
 tione illius non aditur periculum damni notabilis,
 si enim adeatur tale periculum, non est paritas
 inter Præceptum & illum, qui Præcepto obligatur,
 Regula autem Juris tantum dicit in pari causa vel
 delicto meliorem esse conditionem possidentis, &
 ita illam explicat *Lugo in Resp. Mor. L. I. Dub. 4. n. 3.*
 hinc *Gob. n. 463.* universaliter sic dicit, quoties dubi-
 tas, an habeas causam sufficienter excusantem nec ne,
 & non habes, quem interrogas, si simul dubites,
 an auditio Misæ non sit tibi allatura grave
 incommodum, judica, quòd Ecclesia, benigna Mater,
 non obliget ad exponendum te periculo gravis
 incommodi; imò *Dicast.* dicit talem dubitantem
 non debere egredi domo, quia tenetur sibi prospicere
 in re gravi: Addunt *Præp. Casp. Pasq. q. 137.*
 eum sufficienter excusari, qui exeundo posset
 retardare sanitatem, rectè tamen monet *Gob. n. 479.*
 has similésque sententias non esse cuius proponendas,
 quia nimium proni sumus ad credendum
 aliquid multum obfuturum, quod tamen
 minimè oberit; præsertim quando agitur de re,
 quam illubenter facimus.

§. 5. Si Cajus æger nolit à se dimittere Titium, 680
 quamvis ipsi ab alio, qui Misfam audivisset,
 æquè bene deserviri posset, peccat Cajus, nisi fortè
 apprehenderet eam Titii assistentiam sibi esse
 necessariam aut multùm proficuum, Titius tamen
 poterit ex Misfa emanere, si aliàs in Cajo oriretur
 gravis turbatio, tristitia & indignatio, tum enim
 excusat grave incommodum Proximi, ita
Pasq. Quæst. 1328.

§. 6. Multi negant propter lucrum notabile 681
 posse omitti Misfam, affirmant tamen *Az. Basf.*
Jord. Tambur. num. 7. Gob. à n. 492, qui etiam putat,
 si sis tenuis fortunæ, te excusari ob lucrum duo-
 rum ducatorum; si sis verè pauper, unius ducati,
 quia hoc lucrum respectu illorum est notabile,
 quo non censeatur Ecclesia velle eos privari.

§. 7. Si Misfam negligas, ut iter agas cum aliquo, 682
 qui faciet expensas itineris, aut multùm subleva-
 bit, excusant te *Suar. Dicast. & alii cum Gob. n. 496;*
 imò (secundùm aliquos) sola derelictio sociorum
 itineris videtur esse causa sufficienter excusans,
 quòd alii cum *Pasq. q. 1339.* limitant ad iter longum
 & solitarium; consentiunt *Henriq. Tamburin. Gob.*
Illsung T. 5. num. 164, si socius levaturus est tædium
 longæ viæ, nam tale diuturnum tædium ferre,
 videtur esse grave incommodum, & ferè
 conjunctum habet timorem vel periculum
 gravis incommodi, uti fatetur *Pasq.*

§. 8. Communior sententia tenet cum *Pasq. q. 1342,* 683
 quòd major utilitas spiritualis non excuset, nisi sit
 conjuncta cum necessitate, quia Præcepta habent
 vim obligandi, major autem utilitas pendet
 à libera electione nostra, atque omittere
 aliquod Præceptum ex libera electione est
 violare Præceptum. Admittit tamen *Illsung*
 consti-

constitutum in peccato mortali posse Confessionem præponere Missæ, si hanc vel illam debere omittere, quod intellige, si aliquamdiu in statu peccati mortalis esset alioqui permansurus.

684 §. 9. Aurigæ, qui per consuetudinem habent Jura vehendi aliqua die festo, etiam habent Jus omitterendi Missam, si hanc auditâ vehere non possint, quia quando aliquid conceditur, conceduntur omnia necessaria ad illud, *Dicast. & Gob. num. 9.* ideoque etiam *Suarez* cum *Gob. num. 500.* dicit molitorem excusari à Missâ, qui excusatur in labore servili, si auditâ Missâ non posset exercere laborem sibi licitum, ex quo omisio sequeretur mediocriter gravis jactura: Addunt aliqui, etsi tu posses vecturam omittere sine notabili damno, tamen plerosque non posse, & ideo te posse cum illis uti privilegio consuetudinis præterea si alter Jus habet curandi, ut vehantur sua, tu habes potestatem vehendi, quia vehi & vehere sunt correlativa, regula autem correlativorum est regula partium, inquit ex Jure *Gobat num. 10.*

685 §. 10. Famuli, qui ut ministrent Dominis suis omittunt Missam, tum excusantur, si ministerium illud secundum communem æstimationem & vivendi modum sit necessarium, & non permittat audiri Missam, uti sunt: educere greges, domum custodire &c, neque tum peccant Dominis, si sic impediunt, quia est moralis necessitas ministerii cum Missâ impossibilis: quod si talia sunt ministeria, quæ præveniri possint, non tenentur famuli extra-ordinariam adhibere diligentiam, v. g. notabiliter decurrere somnum, ut sic Missam audiant, si tamen ministerium non sit necessarium Domini mandantes omittere Missam peccant, famuli verò excusantur saltem pro aliquot vicibus.

si sine gravi incommodo detrectare non possint ; si autem tale impedimentum non ordinarium neque per se necessarium foret continuum, tenerentur deferere talem Dominum, uti dictum est L.2. à n.103. Denique si famuli cum mediocri vigilia seu molestia prævenire possent tale impedimentum, tenerentur, *Castrop. T.22. P. ult. N.6.*

§. 11. Si vir vel uxor debeat custodire domum 686 & sic Misfam omittere , quamvis vir sit caput mulieris , adeoque possit jubere hanc manere domi , tamen cum etiam sit socia & consors, non potest jubere manere semper , sed tenetur aliquando permittere accessum ad Misfam , ipse manens domi , vel ponens alium domus custodem : Si autem famulum aut famulam habeant , poterunt jubere hanc semper manere domi, non peccant tamen, si quandoque permittant adire Misfam, & illorum unus domi maneat, quia tanta utilitas famuli excusat : quod si ipsorum unus expigrizia maneret, foret veniale, *Steph. cum Gobat num. 494.*

§. 12. Communiter non excusat distantia 687 mille passuum ; nobiles tamen & teneras feminas non obligat *Dicast.* ad mille quingentos passus, ad quos obligat feminas mediæ sortis ; rusticas verò similes viris etiam ad longius spatium : Si autem pluat aut ningat, spatium proportionatè minus excusat singulos ; & universaliter loquendo de hominibus mediocriter valentibus, abstrahendo à malignitate tempestatis, secundum *Suar. Fag. Eill. Dian. P.10. T.15. R.35. Gobat n.486.* videtur excusare distantia ter mille passuum, id est, unius bonæ horæ apud nos seu ferme quinque quadrantium : Et licet Superiores in Germania punirent illos, quos scirent ferè semper abesse ob distantiam sesqui-horæ,
C c néque

néque excusarent emanentes semper ob distantiam
duarum horarum, tamen prudens Confessarius,
inquit *Gob. n. 487.* non movebit scrupulum, et si tales
crebrò maneant domi. Quòd si quis horà distet
& sit pluvia vel auræ intemperies, *Gobat num. 488.*
eum excusat: imò *Burgh. Cent. 3. Cas. 1.* ait univer-
saliter sufficere unius horæ distantiam, ut Missa
subinde omittatur intra annum, sed videtur debere
alia causa accedere, v.g. debilitas, pluvia aut
similis incommoditas.

688 §. 13. Ex rationabili causa, v.g. in pœnam justam
delicti, potest pater filio negare vestes, vel Dominus
servo prohibere egressum, detinendo domi veluti
clausos, licet per accidens non sint audituri Missam,
ita *Fagund. & Tamb. num. 4.*

689 §. 14. Timens, ne propter delictum comprehen-
datur, si foras prodeat, potest manere domi, *Henric.
Dicast. Gob. num. 501.*

690 §. 15. Non statim condemnandi sunt moralis
adolescentes vel puellæ emanentes è Missa, quando
pro eorum Matrimoniis fiunt proclamationes,
nisi aliam Missam aut in alio templo audire possint,
nam si adsint, aspiciuntur, ridentur, verecundantur,
& consuetudo tum emanendi, si alicubi sit,
eos excusat, *J. March. in Candelab. Ref. Cas. c. 6. q. 1.*

691 §. 16. Nè Papa quidem potest absolutè & totaliter
dispensare cum aliquo super obligatione audiendi
Missam, saltem quoad illam partem, in qua consistit
essentia Sacrificii, quia colere Deum per Sacrificium
spectat ad Jus naturale, & in Lege Nova spectat
etiam ad Jus positivum divinum, in neutro autem
per se potest dispensare Papa, nec potest esse causa
deobligandi absolutè & totaliter eum, qui est &
manet potens, *Pasq. quæst. 1324.* docentque *March. &
Sporer T. 3. c. 4. n. 36.* excusatos à Missa die Dominico
tenuerunt

teneri sub mortali Deum colere aliquo speciali cultu saltem interno, quia Præceptum divinum est, ut in Sabbato, quod apud nos est Dominica, Deus specialiter colatur. Hoc vult S. Augustinus Serm. 251. de Temp. *Observemus diem Dominicam & sanctificemus illum Qui verò hoc non potest, saltem in domo sua oret & non negligat Deo solvere votum & reddere pensum servitutis suæ; satis tamen erit abstinere à servilibus eâ intentione, ut colatur DEUS, qui in Sabbato quievit; nec obligatio illius intentionis est in Fæstis purè ab Ecclesia institutis.*

C A P U T II.

De Quarto Præcepto:

Honora Patrem &c.

D U B I U M I.

Ad quid teneantur liberi erga Parentes.

Resp. Tenentur vi hujus Præcepti, tum geni-^{cc 692}toribus, tum Superioribus, in iis rebus, ^{cc} in quibus quisque & quamdiu subjectus iis est, ^{cc} amorem, reverentiam, & obedientiam præstare; ^{cc} ita ut si notabilis horum defectus sit in re gravi, ^{cc} graviter peccetur: quod facilius fiet respectu ^{cc} Parentum, quàm aliorum. *Ita communiter.* ^{cc} *V. Fill. T. 28. P. 2. c. 1. Regin. L. 2. c. 1. &c. Unde resolves:* ^{cc}

1. *Contra amorem graviter peccat filius, I.* ^{cc} *Si signa odii Parentibus ostendat, & asperè tractet.* ^{cc}
 2. *Si torvo oculo ferè semper eos intueatur,* ^{cc} *ac ita asperè loquatur, ac si odio haberet.* ^{cc}

Cc 2

3. Si

» 3. Si non subveniat in gravi necessitate spiritali,
 » vel corporali. 4. Si non impleat eorum testamenta
 » & legata, modò heres fit. 5. Si grave malum, v.g.
 » mortem illis optet. *Navar. Reginald. L. 20. num. 8.*
 » *Fillinc. Quæst. 3. & 7.*

» II. *Contra reverentiam* graviter peccat filius,
 » 1. Si percutiat etiam leviter; & secundùm *Regin.*
 » 2. Si manum ad percutiendum deliberatè attollat.
 » 3. Si graviter contrister. *Regin. num. 24. Fill. num. 17.*
 » & 18. 4. Si animo deliberato ad gravem iram
 » provocet verbis contumeliosis, vel talibus, quibus
 » sciat graviter offendendos. 5. Si maledicta,
 » convitia, &c. in eos conjiciat. *Navar. Fillinc. &c.*
 » 6. Si pauperes despiciat, vel nolit agnoscere.
 » Quòd si tamen exteriùs tantùm dissimulet se nòsse,
 » & nolit apud se habere, ex justa causa, dummodo
 » provideat de necessariis, *Bonac. Tom. 2. D. 6. P. 2.*
 » excusat à peccato gravi, eò quòd rationabiliter
 » non sint invitati. 7. Si in foro externo, etiam
 » de vero crimine accuset; extra crimen hæresis,
 » proditionis, vel conjurationis in Principem,
 » cùm non est alius corrigendi modus. *V. Bonac.*

» III. *Contra obedientiam* graviter peccat, 1.
 » Si in re gravi fit inobediens circa ea, quæ perti-
 » nent ad gubernationem domùs, ad bonos mores,
 » vel ad animæ salutem. *Fill. n. 20. 2.* Si contra volun-
 » tatem Parentis ducat uxorem se indignam.
 » Indigna autem dicitur, cum qua non potest con-
 » trahere sinè dedecore, juxta suæ regionis usum;
 » non tamen potest exheredari idcirco. 3.
 » Si sinè justa causa nolit eam ducere, quam vult
 » Pater; maximè si inde sopirentur odia, aut
 » Parentum necessitas levaretur. Erit autem
 » justa causa, v.g. si sit impar familia, si infirma,
 » si deformis, si fatua, vel immorigera.

4. Si inconsultis Parentibus nubat, ut habet *Sanch.* cc
Potest tamen, ubi consuluit, ipsis invitis prudenter cc
contrahere cum se digna; cum circa electionem cc
statûs sit sui Juris. *Lesf.* L. 2. c. 40. n. 63. *Sanch.* L. 4. c. 15. cc
Fill. n. 20. An & quomodo peccent liberi furando cc
Parentibus, vide infra L. 3. *Tract.* 5. c. 1. *Dub.* 4. Item cc
an alienare possint bona, vide ibidem c. 3. *D.* 2. cc
& c. 4. *D.* 5.

IV. Tenetur proles alere Parentes egentes, adeo cc
ut si in gravi necessitate aliter juvari non possint, cc
teneatur manere in sæculo (nisi tamen in hoc illi cc
certum, vel certè valde probabile periculû salutis cc
immineret) & si Religionem sit ingressus, teneatur cc
egredi, & juvare Parentes: dummodo eorum cc
necessitas ejus professionem antecesserit. *Fill.* n. 9. cc
Bonac. P. 5.

V. Si verò necessitas post professionem cc
superveniat, si ea extrema sit, tenetur egredi cc
petitâ prius, licet non obtentâ veniâ. Si autem cc
sit gravis tantum, in qua utcunque possint vivere, cc
non tenetur quidem, potest tamen egredi, cc
si Prælati permittat. Quo casu tenetur, cc
in quantum non obstat suo intento, deferre cc
habitum, & observare substantialia Religionis: cc
at postquam Parentibus subventum est, redire. cc
Vid. *Lesf.* L. 2. c. 41. *Dub.* 3. num. 34. Et vide infra cc
Tract. 5. c. 1. *Dub.* 1. *Resol.* 6.

A D D E N D A.

Q. 160. An liceat filio optare vel gaudere de morte 693
patris propter commodum sibi inde proveniens.
R. Negativè, hinc ab Innocentio XI. damnatæ sunt
sequentes propositiones, 14. Licitum est absoluto desi-
derio cupere mortem patris, non quidem ut malum
patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ipse

Cc 3

obventura

obventura est pinguis hereditas. 15. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas. Circa has damnationes dicenda sunt omnia illa, quæ habentur Lib. 2. à n. 183. Si enim non sit licitum, nequidem ineffaciter optare damnum Proximo, aut gaudere de ejus malo, quamvis ejus malum sit conjunctum cum nostro emolumento, multò minùs id erit licitum filio respectu patris, cum id specialiter repugnet etiam pietati, quam patri debet filius, unde præter ibi dicta non est opus hic quidquam addere. Vide tamen *Vind. Gobat* P. 2. ad Prop. 8. & 9.

694 Q. 161. Quid addendum sit circa obligationem filii jam in statu religioso professi, si Parentes egeant. R. Hoc resolvetur Lib. IV. Num. 180.

DUBIUM II.

Ad quid teneantur Parentes erga filios.

- 695 PARENTES, quo nomine etiam intelliguntur
 „ ascendentes, v. g. Avus, Proavus, &c. tenentur
 „ gravi obligatione Juris naturalis, conserva-
 „ tionem & educationem liberorum curare.
 „ Circa quod ex *Bonac. Tom. 2. D. 6. Q. unic. P. 6.*
 „ *Azor P. 2. L. 2. Q. 17. Fill. Tract. 28. P. 2. c. 2. resolvuntur*
 „ *hi Casus:*
 „ I. Graviter peccant Parentes, qui sine justa causa
 „ prolem hospitali, vel locis publicis exponunt.
 „ *V. Bonac. h. c. & Fill. Q. 1. & infra Tract. 5. c. 1.*
 „ II. Mater tenetur (sub veniali tamen) lactare
 „ proprio lacte, nisi habeat justam excusationem;
 „ tunc verò tenetur sub gravi peccato bonam
 „ nutricem querere, *Bonac. & Laym.* Item
 tene;

tenetur secundum Jura prolem alere ad finem
anni tertii: postea educatio usque ad emancipa-
tionem spectat ad patrem. *Excipe, nisi hic esset*
pauper, & mater dives, Fill. Lay. L. 5. T. 10. Part. 3. c. 5.
Regin. L. 20. num. 32.

III. Pater tenetur proli, non tantum legitimæ
sed etiam (in quo Jus Civile à Canonico correctum,
juxta *Cap. Cum haberet, De eo, qui duxit*) spurix
curare alimenta, hoc est, cibum, potum, vestitum,
& honestas artes, juxta suum statum: nisi tamen
aliunde se alere possit, & non indigeat; deinde
etiam dotem filix. Et quidem Clerici, etiam
ex fructibus Ecclesiasticis, possunt hæc suis spuris
præstare. *Fill. n. 31. Laym. l. c. V. infra Tr. 5. c. 4. D. 5. q. 2.*
Hinc peccant, 1. Si non adhibeant diligentiam
saltem mediocrem, ut acquirant bona, quibus filii
alantur, habeantque hereditatem secundum suum
statum. 2. Si bona dilapidando impotentes se
reddant ad liberos honestè secundum statum suum
educandos, ac dotandos. *Bonac. l. c. Azor, Fill. & c.*
3. Si sine legitima causa filix dotem negent;
(vel filium exheredent) v. g. quia vult ingredi,
vel est ingressa Religionem, vel quia ipsis invitis
nupsit, licet se indigno. *Bon. §. 2. ex Azor, Regin. & c.*
vel quia filius Ordinem sacrum suscepit:
Sicut enim pater tenetur dotare suas proles
pro Matrimonio vel ingressu Religionis,
ita etiam ad suscipiendos sacros Ordines.
Neque hæc donatio est revocabilis: imò sic donata
non posse computari in legitimam, aut divisionem
cum fratribus, docet *Barbosa c. 17.* Contrarium
tamen tenet *Molin. & c. cum Dia. P. 8. T. 6. R. 91. & 92.*

IV. Parens tenetur proli subvenire relicta Reli-
gione, iisdem casibus, quibus proles Parenti;
quos vide *superiore Dubio. Cas. 4. & 5.*

V. Parentes gravi obligatione tenentur
 instruere liberos per se vel per alios, in necessariis
 ad salutem. Hinc graviter peccant, 1. Si quantum
 in ipsis est, non curent, ut bonis moribus imbuantur,
 Doctrinam Christianam seu Fidei rudimenta
 addiscant, pravorum consortia vitent, Mandata
 Dei & Ecclesiæ observent, Sacramenta frequen-
 tent, à peccatis abstineant. *Azor, Filliuc. Bonac.*
 2. Si occasiones peccandi ab iis non avertant,
 vel in locis, aut domibus suspectis habitare per-
 mittant, *Trull. L. 4. c. 1. D. 3. n. 4.* 3. Si consilio, vel
 exemplo malo depravent. 4. Si non objurgent,
 puniantque dissolutos; moderatè tamen: nam
 peccant etiam verberando immoderatè, v. g.
 ut notabiliter lædantur. *Sot. Sylv. Bonac. l. c.*
 & *D. 3. de Contr. Q. ult. P. 3.*
 VI. Tenetur etiam proli relinquere libertatem
 circa electionem status: Unde peccant, invitos
 ad Matrimonium, vel Religionem cogendo, vel
 abstrahendo. Et quidem *Trid. Sess. 25. de Reg. Cap. 26.*
 excommunicat cogentes ad Monasterium filias.
 VII. Etsi frater fratri vel sorori, saltem
 in extrema, vel quasi extrema necessitate teneatur
 subvenire, Lege tum Charitatis, tum pietatis:
 non tamen est ea obligatio, quæ inter Parentes &
 liberos; cum non sit ista dependentia. *V. Lesf. L. 2.*
c. 41. n. 34. Unde si professus est in Religione,
 non tenetur egredi, ut succurrat. *Trull. L. 2. c. 2.*
Dub. 24. n. 9. ex Suar. & c.
Quæres. An filius aliquando possit à patre
 privari hereditate.
Resp. Potest ex justa causa, aliàs non; eaque
 in testamento debet exprimi. *Auth. Sed hodie,*
C. de inoff. testam. Talis autem censetur:

1. Ingra-

1. Ingratitudo, (nisi in gratiam patris redierit, ce ipsúmque pœnituerit ante testamentum con- ce ditum) ùt si affecit patrem gravi injuriâ, vel ce ejus vitæ insidiatus est, vel manus iniecit, vel ce maleficis se immiscuit. *Bonac. §. 1. ex Cœn. Sanch. ce Azor, Molina &c.*

2. Si novercam, seu patris uxorem cognoverit ce carnaliter: Si parenti furioso, vel carcere detento ce noluit succurrere fide-jubendo: Si impediêrit ce patrem testari: Si bona Parentum dilapidaverit, ce cum gravi ipsorum dispendio.

3. Si filia minor 25. annis luxuriosam vitam ce elegerit, &c. Circa quas,

Nota. Valere has causas, quando filius aliunde ce habet, unde vivat: nam alimentis ad vitam ce necessariis privari non potest, cum debeantur ce Jure naturæ, quod à Jure Civili tolli non potest. ce *Bonac. §. 3. ex Sanch. Molin. Azor, Reginald. Fill. ce Trull. L. 4. c. 1. Dub. 3. n. 15. Et Tom. 2. L. 7. c. 18. T. 10. ce*

A D D E N D A.

Q. 162. *Quid notandum sit circa obligationem 696*
alendi vel aliter juvandi proles, aut proximè agnatos.

R. §. 1. Apud aliquos Authores legitur patrem teneri curare, ut filii literis operam dent, quod *Gobae in Quin. T. 5. c. 28. n. 15.* sic intelligit, Parentes teneri dare operam, ut filii imbuantur iis artibus, quibus secundum statum suum postmodum honestè se possint alere, hinc infert n. 17. Parentes Nobiles aut Doctores, qui tenuioris sunt fortunæ, obligari ad curandum, ut filii instruantur literis, ut sic postmodum conformiter suo statui vivere possint.

§. 2. Mater primo triennio nihil tenetur dare 697
præter lac, unde si proli alia necessaria subministra-
verit sinè animo donandi, potest repetere à patre,

non tantum si proles sit legitima, uti vult *Layman*, sed etiam si sit illegitima, Jura enim non distinguunt, ergo nec nos debemus distinguere. Quod si mater ipsamet nequeat lac præbere proli, pater tenebitur suis impensis nutricem conducere. Si autem possit ipsamet, tenetur præbere vel suis impensis nutricem conducere, *Azor, Bonac. Gob. num. 19.*

698 §. 3. Filii etiam spurii alendi sunt ab heredibus Parentum, uti habetur in Jure apud *Gobat num. 31*; aut à Fisco, si bona patris ei sint addicta ob crimen distinctum ab hæresi vel à læsa Majestate.

699 §. 4. Uxor filii est alenda à patre mariti, si filius eam alere non possit, nec alius velit, quia filius, si uxores habent, incumbit alere uxores, pater autem in defectu supplere debet vices filii, *Sanchez & Gobat num. 32.*

700 §. 5. Frater, si dives est, secundum *Gob. num. 33* tenetur fratrem etiam illegitimum alere, secundum Jus, *L. Mariti ff de Jure dotium*, testaturque *Bonac. de Leg. D. 6. P. 6. §. 1. n. 2.* sæpius ita decisum in Rota Romana.

701 §. 6. Si pater in filium Studiosum majores fecit impensas sine animo donandi, potest eas detrahere de parte ejus legitima, quia ad eas non tenebatur. Si tamen ante mortem non statuerit, ut illi filio subtrahantur, censetur condonasse, uti re ipsa condonare potuit, neque possunt fratres illi fratri ideo aliquid detrahere, ita cum aliis communiter *Azor & Gobat num. 36.*

702 §. 7. Si pater nequeat alere proles, tenetur mater, prius tamen tenetur Avus paternus, uti habent *Layman & alii apud Gob. in Exp. T. 10. num. 782.* quamvis addat usum præsentium temporum esse contrarium.

§. 8. Patrum probabilis videtur esse opinio 703
 quorundam Juristarum apud *Gob. supra in Quin.*
num. 39, qui dicunt filios spirituales esse alendos
 à patribus spiritualibus, v. g. à patris suis, si Paren-
 tes naturales desint, nulla enim Lex vel consuetudo
 hoc habet.

Q. 163. Si dubitetur, quis è duobus sit pater, 704
 à quo proles sit alenda. R. Casus tum habet locum,
 si duo eandem mulierem cognoverint, ita
 ut ipsamet nesciat aut probare non possit, an ex hoc
 an ex illo conceperit; in hoc casu AA. communiter
 apud *Lugo de Just. D. 13. n. 19. & cum Bardi de Consc.*
D. 6. c. 9. §. 21. n. 2. dicunt partialiter teneri alere,
 quia saltem unus tenetur, & æquale est de utroque
 dubium, ergo debent æqualiter sustinere onus,
 non aliter ac si duo sagittam conjecerint in bovem
 alterius, & nesciatur, utrâ sagittâ sit confixus,
 uterque tenetur contribuere, uti argumentatur
Molina; aut uti si quis dederit consilium furti,
 inquit *Bardi*, & secutum sit furtum, tenetur
 ad damnum, quamvis dubitet, an furtum
 ex suo consilio sit secutum, quia ob furtum secutum,
 cujus dedit causam, præsumi debet ex illa causa
 esse secutum, nisi probetur contrariû, uterque enim
 posuit causam generationis. Addunt *Salas, Castrop.*
Oviedo & Diana, si unus eorum sit ditior vel nobi-
 lior, debere plus contribuere, quia obligatus fuisset
 proli suæ dare meliora alimenta: quod si unus illo-
 rum non possit vel nolit, *Az. Villalob. & Bonac.*
de usu Matrim. Q. 4. P. 15. dicunt alterum teneri
 ex integro, quia probari potest alterutrum esse
 patrem, quod autem determinatè dici non possit,
 an sit hic vel ille, oritur ex malitia & peccato ipso-
 rum, ex quo non debent referre lucrum: Contra-
 dicunt plurimi alii apud *Gob. in Quin. T. 5. c. 28. n. 41,*
 quia

quia videtur esse iniquum, ut ex dubio fundamen-
 oriatur certa obligatio, fundamentum autem
 istius obligationis est paternitas, quæ respectu
 utriusque est dubia: *Salas & Vasq.* dicunt, si filius
 respectu unius esset spurius, id est, natus à tali patre
 cum quo mater tum non potuisset inire Matrimo-
 nium, & respectu alterius naturalis tantum
 præsumi debere esse tantum naturalem, adeoque
 ab eo solo patre debere alii, cum quo mater tum
 potuisset inire Matrimonium, quia in dubio debe-
 præsumi in favorem prolis, sed contradicit *Lug. n. 4.*
 nam si ideo deberet judicari esse naturalis tantum
 quia sic postulat favor prolis, ergo semper debet
 judicari, quòd natus sit è ditioze vel nobilitate
 hoc enim etiam est favorabilius proli; itaque
 neutrum determinatè debet judicari, ideoque etiam
 talis proles nec excludi debet ab iis favoribus,
 à quibus excluditur spurius, neque tamen etiam
 admitti potest ad illos, ad quos admittuntur illi
 qui probare debent se non esse spurios: hinc con-
 tendit *Lugo*, quem cum aliis sequitur *Gobat* à n. 4.
 neutrum teneri aliquid dare ad alendam talem
 prolem, uti talis proles à neutro posset aliquid
 occultè rapere, ideoque debere illi provideri
 à matre, non aliter ac si planè nesciret, quis eam
 cognovisset. Rationem dant, quia singuli sunt
 in possessione contra prolem exigentem alimenta,
 & cum ipsi sint Rei, proles autem sit Actor,
 huic incumbit probatio, quòd ille sit pater, à quo
 aliquid ideo exigit, quia dicitur esse pater: quod
 post *Lesb. & Foll.* admittit ipsemet *Bonacina*, si proles
 ex matre adultera sit genita, in hoc enim casu dicit
 adulterum ad nihil teneri, quia pro ipso est possessio
 libertatis & pecuniæ suæ; quod *confirm.* Nam
 sola malitia matris videtur esse causa illius dubii
 viri e
 non f
 ipsa p
 ergo i
 Hæc
 iterum
 pro
 dubi
 Sente
 argum
 tamen
 habe
 quòd
 posse
 quæ
 expo
 in Ex
 C
 prole
 dian
 A
 T
 con
 Qua
 hac
 dan
 (&
 yit

viri enim, qui cum ea copulam habuerunt, non sciverunt esse cognoscendam à pluribus, & ipsa per suam malitiam admisit coitum plurium, ergo ipsa potius est obliganda ad alendam prolem. Hæc sententia est probabilis, quamvis contradicat iterum *Rebel.* obligans etiam adulterum ad expensas pro alimentis faciendas secundum quantitatem dubii, de quo plura videri possunt apud *Gob.* à n. 47. Sententia *Bonac.* etiam videtur probabilis, ideoque argumenta *Lugonis* solvit *Bardi* à num. 4; admittit tamen *Bon.* apud *Gob.* num. 49, si unus aut uterque haberet rationem positivam & probabilem de eo, quod non esset pater, etiam non teneri alere, quia posset se suæ opinioni probabiliter accommodare: quænam autem possint esse rationes probabiles, exponit *Gobat* S. 4, & de his omnibus iterum agit in *Exp. T.* 10. à num. 19.

Quomodo peccent Parentes, qui cogunt proles suas ad Monasteria, vel impediunt, ne ingrediantur, dicitur *Lib. IV.* à num. 43.

DUBIUM III.

Ad quid teneantur Tutores & Curatores, qui Parentum sunt loco.

TUTOR (idem est de Curatore) tenetur cc 705 curam gerere Pupilli, ejusque bona rite & cc fideliter administrare. Ratio, quia in hunc finem cc constituitur & assignatur pupillo patris loco. cc Quare si delinquat, vel notabiliter sit negligens cc hac in re, peccat graviter, & ad compensationem cc damni, quod pupillus ex eo accepit, obligatur, cc (& saltem de dolo & culpa lata) imò etiam, cc **si**

- » si Tutoris officium exercet pretio, (quod tamen
 » si ab initio non est constitutum, censetur susceptum
 » gratis) tenetur etiam de levi culpa. *Bonac. Tom. 1.
 » de Contr. d. 3. q. 19. p. 4. Unde resolves:*
 » I. Tutor tenetur tueri personam pupilli,
 » dum opus est, eumque bonis moribus imbuet,
 » & bene educare per se vel per alios. *Bonac. l. c.*
 » II. Tenetur bona pupilli fideliter administrare,
 » ideoque (officium tutoris suscipiens) inventarium
 » conficere; alioqui damna ex ejus defectu secum
 » refarcire: nec licet illi pupillo pecuniæ nimiam
 » ad usus inutiles concedere.
 » III. Tutor (uti & Curator) tenetur conservare
 » omnia Jura, bona, & actiones pupilli, (vel minoris)
 » & bona aliàs peritura vendere, pecuniãque
 » convertere in emptionem bonorum stabilium
 » vel in censum, &c. prout fuerit utilius. *Ibidem
 » ex Rebel. P. 2. L. 17. Q. 1.*
 » IV. Si Tutor vel Curator pecuniam pupilli
 » convertit in suos usus, tenetur ad restitutionem
 » totius lucri cessantis, vel damni emergentis, quod
 » inde accepit Pupillus vel Minor. *l. c. Rebel. Q. 1.*
 » V. Tenetur item ad restituendos fructus
 » (deductis expensis) quos ex bonis pupilli percipere
 » poterat, & suã culpã non percepit. *Sylv. v. Tutor. §. 4.
 » Rebel. l. c.*
 » VI. Tenetur nomina debitorum exigere, &
 » debita pupilli persolvere, ita tamen, ut quantum
 » fieri potest, bono pupilli consulat, *Sylv. Rebel. l. c.
 » Tabiena ibidem.*
 » VII. Tutor vel Curator non potest donationes,
 » vel remissiones gratiosas facere de bonis pupilli
 » quia non ad destruendum, sed tuendum est con-
 » stitutus. *Ibidem.* Excipe donationem remunera-
 » toriam; sic enim potest v. g. stipendio debito pro

pro liberali servitio aliquid addere, ex liberali
donatione. *Molin. Lugo D. 23. Sect. 10. Sanch. cc
Trull. L. 7. c. 28. D. 3. num. 6. V. Dian. P. 8. T. 6. R. 17. cc*

VIII. Denique tenetur (officio finito) reddere
rationes : quia hoc onus est commune eorum, qui
bona aliena administrant. *V. Bonac. l. c. Et infra
hoc libro Tract. 4. Cap. 4. Dub. 1. Resol. 9. cc*

D U B I U M IV.

*Qua obligatio Dominorum & famulorum,
aliorumque Superiorum & inferio-
rum erga se invicem.*

Resp. 1. Domini & Superiores tenentur habere 706
curam famulorum, aliorumque suorum
subditorum. Patet ex 1. ad Timoth. 5. v. 8. cc

*Si quis suorum, & maximè domesticorum curam
non habet, Fidem negavit, & est infideli deterior. cc*

Et ratio est, quia sunt ipsorum caput, & vices
Parentum gerunt : ideòque tenentur quodammodo
ad eadem, ad quæ Parentes. In primis verò curare
tenentur, quantum in ipsis est, ut servant Præcepta
Dei, & Ecclesiæ. *Bonac. Tom. 2. D. 6. Q. un. P. 8. cc
Unde resolves :*

I. Peccant Domini graviter, 1. Si sine justa causa
impediant famulos, ne Festis Missam audiant :
vel si Festis opera servilia imponant ; vel si jubeant
ea, quæ sine peccato fieri non possunt. *Nav. cap. 14. cc
& c. 2. Si peccandi occasionem permittant, cc
cum possint impedire ; aut si graviter delinquen- cc
tes non corrigant, vel negligentes necessaria cc
ad salutem non moneant, non corripiant. Bon. l. c. cc*

II.

II. Peccant item graviter, 1. Si gravibus injuriis
 afficiant; diabolos, canes, &c. appellent. *Bonac. l.c.*
 & *Trull. l. 4. c. 1. D. 6. n. 2.* licet *Diana P. 7. T. 7. R. 47.*
 excuset à peccato talem contumeliam, quòd ex ira
 & indeliberatione soleat proferri. 2. Si alimentis
 convenientia non præbeant; mercedem justam
 (dummodo fideliter serviverint) non solvant, vel
 differant abique rationabili causa. *Ibidem.*
 Si ante elapsum terminum temerè domo expel-
 lant; in quo casu (nisi gravissima ex causa id fecerint)
 tenentur ad solutionem integræ mercedis
Lesf. Azor, c. 14. q. 1. Fill. T. 28. P. 2. n. 79. Regin. Mol. &c.
Escob. T. 3. E. 3. n. 39. 4. Si eum, qui liberos
 aliòsve domesticos, verbis, exemplo, vel moribus
 praviscorruptit, & reprehensione non emendatur,
 è domo non dimittant. *Navar. c. 14. Azor,*
Trull. l. c. D. 6. num. 2.

III. Herus non tenetur famulo infirmo
 (quamdiu ægrotat) dare salarium, (nisi in extrema
 vel gravi necessitate; tunc enim debet ex charitate)
 imò sumptus in ejus curationem impensos
 potest repetere. *Mol. l. 1. T. 28. c. 4. n. 8. Escob. T. 3. c. 9.*

Ressp. 2. Famuli, ceterique subditi tenentur
 suis Dominis & Superioribus aliquo modo eadem,
 quæ filii Parentibus, nimirum amorem, reverentiam
 & obedientiam præstare. Ratio patet ex dictis,
 quia sunt illis quasi loco Parentum. *S. Th. 2. 2. q. 303. Regin. l. 20. n. 62. Unde resolv.*

I. Peccant famuli graviter, 1. Si non laborent,
 vel serviant fideliter, tenenturque ad compensationem
 damni. *Mol. Lesf. l. 2. c. 24. 2.* Si grave damnum
 inferant, vel inferri permittant; cum possint
 impedire. *Navar. Cap. 4. n. 22. Regin. l. c.* Et quidem
 si damnum inferatur, (sive à confamilis, sive ab
 extraneis) in rebus, quarum cura eis commissa est,
 à restitu-

à restitutione non possunt excusari. *Molin. Lesf. c. 13. num. 75. Fill. T. 36. n. 114. 3.* Si absque gravissima causa discendant à Domino ante terminum elapsum, ultra hunc verò manere non tenentur, etiamsi morbo impediti servire aliquamdiu non potuerint. *Molin. l. c. Reginald. n. 517. Escob. E. 7. num. 57.*
4. Si Domino in rebus magni momenti non obediant. *Bonac. l. c.*

II. Famuli non peccant, si sustentationem, vel mercedem justam Domino negante, utantur compensatione occultâ. *Molin. loc. cit. Fill. n. 105.* dummodo tamen alius modus non sit impetrandi; nec plus accipiatur, quam debetur; neque scandalum, aut aliud incommodum grave timeatur. *V. Bonac. T. 2. de Restit. D. 1. Q. ult. P. 2. n. 16.*

III. Similiter pro obsequiis, ad quæ non tenebantur, præstitis (si quidem illa non gratis & liberaliter, sed animo mercedis exhibuerint) licere ex rebus Domini accipere compensationem, quæ aliter obtineri non possit, docet *Nav. Cap. 17. n. 108. Lesf. l. c. Plura de his vide infra Tract. 5. c. 1. D. 4. Et c. 3. D. 10. & Bon. Tom. 2. circa 4. Prac. D. 6. Q. un. P. 8.*

A D D E N D A.

Q. 164. *An Superiores religiosi graviter peccare possint dissimulando leves defectus subditorum.* 707
R. Possunt, uti rectè *Lugo de Just. D. 9. à n. 21,* nam si Superior dissimulando sit causa, quòd subditi passim peccent venialiter, peccat ipse mortaliter, quia notabile malum est, si in communitate religiosa, cujus perfectioni graviter tenetur studere Superior, invalescat consuetudo peccandi venialiter. Similiter peccat mortaliter Superior, si per ejus dissimulationem passim negligatur observantia alicujus Regulæ, v. g. Regulæ prohibentis ingressum in aliena cubicula, Regulæ silentii, &c.

D d licet

licet transgressio talis Regulæ nè veniale quidem
 esset. Ratio est, quia observatio talis Regulæ
 multum confert ad decorem, ædificationem & utili-
 tatem talis Communitatis, sæpe etiam præcave-
 gravia mala in subditis, ergo si Superior negligat,
 infideliter fungitur munere suo, nocetque graviter
 Communitati, ac gravius peccat, quam si in admi-
 nistrandis temporalibus gravem committere
 negligentiam; mortale tamen non erit, si tantum
 aliquando & non frequenter violetur Regula
 propter dissimulationem Superioris, aut si talis
 Regula negligatur, quæ non multum confert
 ad disciplinam vel ornamentum Monasterii, vel
 ad spiritualem profectum subditorum, sic v. g.
 si apud aliquos sit Regula, ut latinè loquantur,
 non videtur fore mortale, si per dissimulationem
 Superioris causetur negligentia istius Regulæ.

DUBIUM V.

*Quid teneantur Conjuges erga se mutuo
 vi hujus Præcepti.*

708

Resp. Uxor in iis, quæ spectant ad domus
 gubernationem & bonos mores, tenetur obe-
 dire marito; hic verò uxorem, non ut servam,
 sed ut sociam tractare. Ratio est, quia in maritus est
 caput, & uxor membrum. *Navar. c. 14. n. 20.*
Tolet. Fill. T. 28. P. 2. n. 144. & comm. Unde resolvitur
 I. Conjuges peccant. 1. Si debitâ intentione
 non contrahant Matrimonium. 2. Si sine dispensa-
 tione prætermittant proclamationes. 3. Si Sacra-
 mentum Matrimonii in statu peccati mortalis
 recipiant. 4. Si utantur Matrimonio contra nati-
 ram, vel modo indebito, vel cum periculo abortus.

5. Si debitum sine justa causa neget. 6. Si cum periculo pollutionis, tactus habeant impudicos.

II. Peccat graviter uxor, 1. Si maritum rixis, vel aliter verbis, ad gravem iram vel blasphemiam provocet. *Fill. num. 145. & Bonac. 2.* Si quid notabile expendat contra voluntatem viri, & consuetudinem foeminarum similis status; nisi tamen ex paraphernalibus, si habet. 3. Si spreto viro sibi imperium vendicet. 4. Si nolit sequi virum domicilium mutantem, dummodo possit sine periculo vitæ, & salutis; & contrarium non sint pacti; & maritus post nuptias non sit factus vagus. *Navar. Tol. Bonac. ad Decal. D. 6. P. 7. v. infra T. 5. c. 1. Dub 4.* 5. Si sine sufficienti indicio malè judicet de mariti incontinentia. 6. Si sine justa causa debitum neget. *V. infra Lib. 6.* 7. Si se ingerat in administrationem domus sine justa causa, qualis est, si v. g. maritus prodigus bona familiæ dilapidet. *Sylv. Trull. L. 4. c. 1. D. 4 n. 16. 17. 18.*

III. Peccat graviter maritus, 1. Si verbis contumeliosis, vel infamatoriis afficiat uxorem. 2. Si impediat illam circa Præcepta Dei vel Ecclesiæ sine justa causa. *Sayr. l. 7. c. 7. Nav. c. 14.* Si verò impediat, etiam sine causa, circa ea bona, quæ consilii tantum sunt, ut est *Confessio, Communio, &c.* communiter tantum peccat venialiter, nisi constet, quòd magnam ex iis utilitatem percipiat. *Sayr. Fil. Bon. l. c. Trull. n. 2.* 3. Si cædat graviter; moderatè tamen castigare verbis, vel etiam ex gravi causa moderatis verberibus, habità ratione conditionis & status, quandoque potest. 4. Si alimenta neget; nisi tamen uxor à consortio mariti propriâ culpâ disceserit. 5. Si negligat gubernationem domus, & rem familiarem. 6. Si uxori non cohabitet, vel

- » finè justa causa diu absit. 7. Si cùm possit, alimenta
 » non procuret. *Fill. n. 140. & 141. Navar. c. 14. num. 19.*
 » *Tel. L. 5. c. 2. Sanch. L. 10. de Matr. Diss. 18. n. 16. Bon. L.*

A D D E N D A.

709 Q. 165. *Quid sit circa alimentationem Conjugii notandum. R. Seqq. §. 1. Vir tenetur alimenta præstare uxori, uti habetur L. Si cùm dotem. §. Sin autem ff. Solutio Matrimonio.* Per alimenta autem intelliguntur victus, vestitus, habitatio, lectus, medicina, aliâque ad vitam, item ad ludos & recreationes honestas necessaria, juxta personæ conditionem & qualitatem, ita *Gob. in Quin. T. 5. c. 24. n. 42. & c. 28. n. 12.* addens id intelligendum esse etiam de uxore, quæ dotem non attulit, si maritus scivit non habere dotem; imò *c. 24. n. 12.* docet cum *Covar. & Rodriq.* contra *Sanch. & Bonac.* teneri alere etiam indotatam quamvis ipsa sit dives, quia ducendo tacitè se ad hoc obligabat, cùm hic sit mos apud omnes: ex quo infert *Dicast.* hominem implicitum debitis, quibus solvendis est impar, peccare, si ducat uxorem indotatam, quia assumit in se novam obligationem contra Jus priorum creditorum, sed merito contradicit *Gob. n. 13.* alioqui etiam peccaret Pater qui cùm impar sit debitis solvendis, habet actum conjugalem, nam & hic novam assumit obligationem alendi prolem generandam. Quòd si dos sit marito promissa & non solvatur, non tenetur alere uxorem, quia non obligabat se ad alendum, nisi sub pacto dotis; si autem dos marito soluta calumpniè pereat, adhuc tenebitur vir alere uxorem, quia ipsa ex parte sua præstitit hoc, ad quod tenebatur, *Sanch. Bonac. Gobat c. 28. num. 5.*

710 §. 2. Si ob culpam mariti fiat divortium, adhuc tenetur uxorem alere, quia ab illa obligatione non liberatur per separationem ipsius culpæ debiti.

si tamen causa divortii cesset, & uxor renuat redire, maritus non tenebitur ulterius, quia ipsa tum est in culpa, *Gob. c. 39.* Statuit quoque Jus apud *Gob. c. 40. num. 5.* si divortium fiat propter adulterium mariti, ut uxor acquirat proprietatem dotis & omnium donatorum propter nuptias, saltem post sententiam Judicis.

§. 3. Si divortium fiat ob culpam solius uxoris, 711 maritus non tenetur eam alere, quia ipsa non fecit, quod debuit. *Nec refert, quod dotem attulerit: quia non obligavit se ad alimenta, nisi ipsa satisfaceret suo officio.*

§. 4. Si divortium sit factum ob utriusque culpam, 712 *Sanch. & Gob. c. 28. num. 13.* dicunt videndum esse, utrius culpa sit posterior, & putant virum si non peccaverit ultimus, habere Jus negandi alimenta; sed probabilius videtur maritum manere obligatum alere, quia culpa unius compensatur per culpam alterius, ergo Jura & obligationes manent æquales, uti antè: denique si divortium fiat sine culpa alterutrius, v. g. quia maritus cœpit esse leprosus, maritus, uti antè, tenetur uxorem alere.

§. 5. Si vir otio, lusu aut potu reddat se impotentem 713 ad alendam uxorem, peccat graviter: è contrà si vir se alere nequeat, tenetur eum alere uxor: *Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum vel uxorem viri participem fieri, inquit Lex si cum dotem. 22. §. 7. ff. Solutio Matrimonio. Videri potest Gobat in Exp. T. 10. n. 781.*

Q. 166. *An uxori adulteræ debeantur alimenta, 714 pars acquiritorum, restitutio dotis saltem per heredes, si maritus obiêrit. R. §. I. Vir certus de adulterio uxoris, in foro conscientia non tenetur ad alimenta, Castrop. de Spons. D. 3. P. 6. §. 5. Sanch. de Matr. L. 10. D. 8. n. 25, uti enim negare potest convictum, ita &*

alimenta, maximè si adulterium sit notorium, & quamvis ipsa dotem attulerit.

715 §. 2. *Gob. in Quin. T. 5. c. 24. n. 13.* dicit spectato Jure naturali, Canonico & Cæsareo, ea, quæ maritus tempore Matrimonii lucratur suâ arte, labore bonis, per mutuum, elocationem, venditionem &c. esse ipsius, ac posse de iis liberè disponere, ideòque non esse communia, quia spectatis iis Juribus non magis competit Jus uxori in ea bona, quam marito in parapherna, id est, in ea, quæ uxor acquirit propriâ industriâ, donatione &c. hæc autem sunt uxoris, ergo: ita *Bonac. de Restit. D. 2. Q. 10. P. 2. n. 1.* *Dicast. de Just. L. 2. D. 9. n. 195.* & alii contra pleròsque Juris-Consultos, qui volunt esse communione bonorum quasi ex contractu societatis inter Conjuges: Si tamen in quibusdam provinciis hæc communitas speciali Lege sit statuta, est observanda, neque bona communia per adulterium perduntur, quia Jus circa illa nihil statuit; illa autem bona hæc dicuntur communia, quæ communi labore acquiruntur, vel durante Matrimonio è bonis communibus accedunt, vel quæ ex pacto aut statuto sunt utriusque Conjugis.

716 §. 3. Dos adulteræ non pertinet ad maritum ante sententiam Judicis, quia spoliatio dotis est pœna; hinc tenebitur maritus dotem uxori restituere, à qua propriâ autoritate separavit se propter adulterium, ita *Castrop. supra.* Oppositum tenet *Sanch. num. 13,* quia marito competit exceptio contra uxorem ratione adulterii, & in *Cap. Plerùmque, de donatione inter virum & uxorem,* dicitur, si mulier ob causam fornicationis iudicio Ecclesiæ aut propriâ voluntate à viro receserit, nec reconciliata postea fit eidem, dotem vel dotale- rium, id est, quod donatur propter nuptias, repetere non

non valebit : verùm hæ rationes non convin-
cunt, quia potest retineri id, pro quo per Jura habe-
tur exceptio, ne solvat, at adulterium non excipit
ipso Jure à solutione dotis, néque ipso Jure
dotem marito concedit, sed mediâ sententiâ, unde
quamdiu hæc non habetur, non habet maritus Jus
retinendi dotem : quòd autem adulteræ negetur
judicialis repetitio dotis, non probat maritum
ante sententiam posse retinere, uti ex eo non infertur
acquiri, sed tantùm infertur in foro externo uxore
nullû Jus habere, ut sibi dos concedatur, cùm potiùs
posito adulterio veniat dote privanda : unde verius
videtur non posse maritû ante sententiâ Judicis reti-
nere dotem, si propriâ authoritate recedat ab adul-
tera, licet uxori repetenti possit opponere exceptio-
nem adulterii, & facere, ut sibi applicetur, uti rectè
Abbas dicto Cap. Plerumque & alii cum Castrop.

§. 4. Cùm hæc sententia *Castrop.* sit tantùm 717
probabilis, si dos uxoris non ampliùs extet,
quamvis bona mariti defuncti, cujus possessionem
habent hæredes, fuerint tacitè hypothecata pro dote,
tamen nunc videtur esse melior conditio hæredum,
utpote possidentium, unde sequi poterunt senten-
tiam *Sanchez*, & retinere dotem ac dotalitium,
cùm successerint in Jus defuncti, cui licitum fuisset
retinere; item poterunt curare per Judicem decla-
rari dotem esse amisam ob adulterium, & sic
dotem irrevocabiliter acquirant. Ante senten-
tiam autem retinere poterunt propter exceptionem
adulterii, quæ marito competebat, licet propriâ
authoritate fecisset divortium, uti docent *Abb. Ang.*
Sily. Tabien. apud *Sanch.* suprâ : Differentia autem
inter retentionem irrevocabilem post sententiam,
& retentionem ratione exceptionis ante senten-
tiam, est, imprimis quia si uxor possideat bona,

non tenetur dare ante sententiam; deinde si ante sententiam vir fornicetur, non habet Jus excipiendi nec retinendi dotem, quia mutua delicta compensantur; posse autem etiam hæredes retinere ratione exceptionis, docent *Tancr. & Sanchez.*

718 §. 5. Opponi potest, quòd sit certum debitum, quia dos certò fuit reddenda; incerta autem est excusatio. R. Excusationem fieri certam, si per Judicem feratur sententia in favorem hæredum, qui certò habent Jus opponendi adulterium uxori repetenti dotem.

719 Q. 167. Cui Conjux teneatur primò subvenire. V. G. Potest esse hic casus: Titius prævidet orituram filii totique familiæ, imò & Patriæ extremam inopiam, hinc petit, cui primò teneatur subvenire, si ipse, Pater, Mater, Uxor, Filii, Fratres, Cognati improbi, extranei probi, Benefactores, Creditores, Confessarius egeant.

R. §. I. Titius potest sibi primò providere neglectâ aliorum quorumcunque vitâ, si sibi simul & alteri providere nequeat, quia ordinata Charitas incipit à se ipso, cum sibi ipsi sit conjunctior: potest tamen, si velit, neglectâ suâ vitâ subvenire vitæ alterius, uti probabiliter dictum est Lib. 2. num. 177.

720 §. 2. Conjunctio naturalis præferenda est spirituali, adeoque Titius tenetur priùs subvenire sanguine junctis, quàm Confessario aut alteri ob spiritualem titulum conjuncto, ita *Suar. Cón. Castrop. T. 6. D. 1. P. 19.* contra *Valenc. Bonac. & alios.* Ratio est, quia conjunctio naturalis est magis intrinseca, antiquior, immutabilior, & fundata in natura ipsa ac majore beneficio: consentit *Burg. Cent. 1. Cas. 41.* putat tamen cum *Cón. Prælatum* teneri priùs subvenire suis Religiosis subditis, quàm quibusvis Consanguineis, exceptis Parentibus, sunt

sunt enim Filii in Religione, estque Religio etiam ideo obligata, quia Religiosos, cum Patrem carnalem & Matrem desererent, suscepit in Filios, uti recte *Ovid. de Charit. Contr. 8. n. 119*, quod certum videtur, si subveniat ex bonis Religionis, hæc enim magis obligata sunt Religioso, quam cuicumque Consanguineo Prælati.

§. 3. In extrema vel gravi necessitate debet Titius 721 potius subvenire Patri & Matri, quam Uxori, Filiis vel cuicumque alteri, *Tambur. L. 5. c. 3. §. 5.* Ratio est, quia Titius plus habet à Patre aut à Matre, quam ab ullo alio, nempe *primum esse*, quod est fundamentum ad recipienda ab alio beneficia.

§. 4. Titius in pari necessitate potius subvenire 722 debet Patri quam Matri, quia quamvis Mater plus passa sit, tamen absolute loquendo Pater est principalior & nobilior origo totius *esse*, quod est in Titio, *Tamb. Castrop. & alii communiter.*

§. 5. In communi necessitate tenetur Titius potius 723 prolibus subvenire, quam Parentibus, quia proles sunt sub cura Parentum, & ab illis etiam extra gravem necessitatem jure postulant alimenta, non item Parentes, *Tamb. & alii cum Dian. in Comp. v. Debitum. num. 12.*

§. 6. Titius in communi necessitate debet 724 uxorem præferre Parentibus & prolibus, ita *Tamb. contra Castrop*, qui dicit uxorem esse quidem præferendam prolibus, sed non Parentibus; ratio nostra est, quia vir & uxor civiliter sunt quid unum, ergo extra necessitatem extremam vel gravem, ubi Lex Naturæ non dictat aliud, uxor ceteri debet conjunctior, ergo præferri debet; & ad hoc alluditur *Genes. 2. v. 24. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhaerebit uxori sua.*

Dd5

§. 7.

- 725 §. 7. In quacunq[ue] necessitate priùs subvenire debet Parentibus, filiis & uxori, quàm fratribus & sororibus, quia illis est conjunctior, ergo ad illos est major obligatio.
- 726 §. 8. Tenetur priùs succurrere sanguine junctis, licèt improbis, quàm non junctis sanguine & probis, quia conjunctio sanguinis inducit naturalem obligationem, non autem probitas vitæ, *S. Th. Suar. Cón. Castrop.* Nec obstat, quòd probi sint conjunctiores Deo : Nam ex eo tantùm sequitur oriri in nobis obligationem eos præ improbis amandi amore complacentiæ, non autem priùs subveniendi in necessitate.
- 727 §. 9. Sanguine junctus per se loquendo præferendus est benefactori extraneo, quia ad illum est major conjunctio, ergo & obligatio : potest tamen esse casus, in quo magnus Benefactor possit præferri etiam fratri, quamvis non sit obligatio præferendi, v. g. si frater violasset Jura fraternitatis, tum magnus benefactor posset illi præferri, & gratitudo in illis circumstantiis esset virtus honestior, quàm pietas, *Suar. Cón. Valent. Castrop. supra.*
- 728 §. 10. Debet Patrem, Matrem, Uxorem, filios, fratres in extrema necessitate præferre creditoribus, *Bonac. Lesf. Cón. & alii cum Dian. supra.* Ratio est, quia in extrema necessitate cessat obligatio solvendi, & urget sola obligatio alterius virtutis, v. g. Charitatis, Charitas autem magis urget ad magis conjunctos: idem putat *Castrop.* fieri debere in necessitate tantùm gravi.
- 729 §. 11. Si Titius ordinem inter proximè & ferme æqualiter junctos invertat, subvenièdo uni præ altero, cui priùs subvenire deberet, v. g. Matri priùs quàm Patri, non peccaret graviter, quia inter tales obligationes non est tantum discrimen,

ut una alteram notabiliter antecellat, *Suar. Bonac. Castrop. Tamb. & alii.*

§. 12. Haecenus dicta intelligenda sunt, ceteris 730
paribus uti rectè notant *S. Th. Bonac. Castrop. & alii*,
cujus exemplum dedimus n. 727. Similiter si pater
esset homo crudelis, & mater benigna, mater abso-
lutè posset præferri patri, & ita de aliis.

Q. 168. *Quis viro teneatur prius subvenire, 731*
an Uxor, an Pater, an Filius. R. §. 1. Aliqui apud Dian.
P. 10. T. 13. R. 3. dicunt patrem prius teneri, quia
qui genuit filium, etiam jure tenetur eum alere; sed
communior est sententia cum *S. Thoma* in extrema
necessitate prius teneri filium succurrere patri suo,
ratio est, quia æquè vicina est connexio naturalis
filii ad patrem suum, quàm patris ad suum filium,
filius autem plus habet à patre suo, quàm pater
à filio, ergo est major obligatio naturalis
filii erga patrem, quàm patris erga filium: quòd
si uterque vellet persistere in sua opinione probabili
sibi favente & se deobligante à succurrendo prius,
onus in utrumque esset dividendum, uti docet
Tamb. L. 5. c. 3. §. 2. n. II, aut per Judicem alteruter
cogendus esset, prout ex circumstantiis videretur
æquius. *Nec obstant dicta n. 704. Nam non videtur*
hic esse par ratio, cum incertitudo non causetur
per delictum, sed ex natura rei.

§. 2. In extrema necessitate, si desit filius, 732
pater tenetur prius subvenire, quàm uxor, quia
conjunctio naturalis, quæ est inter patrem & filium,
magis est intrinseca, ideòque etiam post se trahit
majorem obligationem ad conservandum esse filii,
quod pater genuit, quàm civilis tantùm &
extrinseca conjunctio uxoris, quæ illud esse mariti
non genuit, ergo nec ita arctè obligatur vindicare
ab interitu.

§. 3.

733 §. 3. In communi necessitate tenetur uxor prius subvenire marito, quam pater vel filius, quia in communi vita vir & uxor sunt unum, & tanta est inter eos conjunctio, ut debeant se semper comitari & adesse, ergo etiam ad ipsos primo spectat ad invicem levare difficultates communes in quotidianis casibus occurrentes.

734 Q. 169. Quomodo liceat marito uxorem percutere.
 R. Gobat in Exp. T. 10. n. 773. habet sequentia: *Observa non videri objurgatione dignos maritos, qui plebejas (etenim inter has & nobiles facio discrimen cum Castrop.) uxores, ebrias aut sectantes consortia suspecta, post gravem increpationem bis terve frustra factam ita castigant fuste vel pugnis, ut sensus doloris duret ad 4. aut 5. dies: è contra Steph. T. 4. D. 6. n. 7. dicit maritum raro uti debere verberibus, & in casu necessitatis magis moderatè; quod etiam habet Busenb. relatus n. 708, & ipsemet Gobat in Quin. T. 5. c. 29. Sect. I. etiam mollius loquitur, nam docet in hunc sensum, verba, quibus uxorem corripit maritus, possunt quandoque continere convitium & contumeliam materiale, uti habet S. Th. 2. 2. q. 72. art. 2. ad 2, sic enim Christus vocavit Discipulos stultos, Apostolus Galatas insensatos; non debent tamen continere formalem, id est, non debent proferri ex intentione inhonorandi, quamvis in se contineant inhonationem, uti rectè S. Chrystost. S. Th. Tol. Regin. & alii: item non debent continere infamiam, quia uxor non cessit Juri ad famam, S. Thom. Navar. Covarr. Lesf. Molin. Fill. Unde communiter peccant mortaliter mariti, qui uxores valde honestæ familiæ temerè vocant sagas, meretrices, adulteras; aliud est, si plebejas, hæ enim communiter talia non curant, nisi re ipsa putarent*
 serio

seriò dici, tum enim meritò graviter apprehenderent: Marito etiam competit Jus uxorem verberandi, uti docent passim Canonistæ, quos refert ac sequitur *Sanch. de Matrim. L. 10. d. 18. n. 16.* itémque Theologi, quia vir est Superior mulieris & familiæ, ad illum autem spectat etiam pœnis exigere debitum; non est tamen licita percussio sæva sive gravis, & verberatio illa moderata debet esse etiam rara, hinc tum censetur maritus graviter, adeoque illicitè uxorem verberare, quando eam cædit gravius, quàm consuetudo loci permittat: nec referret, si biduo triduoque duraret verberum aliquis sensus.

Quid possit maritus circa bona uxoris, vel uxor circa bona sua, dicetur postea à num. 1017.

DUBIUM VI.

Quæ obligatio Parochorum erga suos.

Resp. CURATUS, sive Parochus Jure divino tenetur.

1. Residere in sua Parochia. *Trid. Sess. 23. c. 1. cc 735*

de Reformat. Barbosa. de Off. Paroch. c. 8. n. 1. alioqui in conscientia fructus non facit suos, tenenturque pro rata absentia restituere fabricæ Ecclesiæ, vel causæ piæ. Potest tamen ex justa causa & licentia Episcopi ad breve tempus abesse, v. *Navar. Cap. 25. Arz. T. 2. L. 2. c. 4. Possev. Barb. Trul. L. 4. c. 1. D. 8. n. 9.*

2. Tenetur administrare Sacramenta. Quoties & quanto cum periculo, v. *infra. Et Bonac. ad Decal. D. 6. P. 8. Possev. Barbosa. ll. cc.*

3. Orare pro populo, & celebrare, ut populus audiat Missam: quam etiam teneri eum eidem applicare diebus saltem festis, & aliquot aliis, docet *Tol. L. 3. Cap. 5. Sed negat Suar. Kôn. in 3. P. q. 83. a. 1. d. 11. cum nullo Jure id cautum sit, v. Bonac. n. 4. Barb. l. c. cc*

4. Docere

4. Docere populum, concionando, arguendo
 &c. per se vel per alios. *Tolet. L. 5. c. 5. Possev. Barbos.*
Trull. II cc. Vide supra.
5. Tenetur singulis diebus Dominicis, & Festis
 solennibus populo Doctrinam Christianam
 explicare, per se vel per alium, ut constat ex *Trull.*
Sess. 24. c. 4. de Reform. idque sub gravi obligatione
 etiam Juris divini, ob summam necessitatem,
 propter quam eos ab Episcopis, aliisque Praelatis
 ad id cogi posse sub poena excommunicationis
 (omnesque alios, ut eam audiant, discant & sciant)
 docet *Trull. L. I. c. 1. D. 4. n. 7. & 8. Baldel. Tom. 2. L.*
D. 48. ex Sanch. Palao, Barbos. &c.
6. Tenetur infirmos visitare, Pauperum curam
 habere, peccata corrigere, &c. de quibus *Possev.*
Regin. T. 2. L. 20. c. 5. Sect. 3. Barbos. c. 7. Vide infra.

A D D E N D A.

736 Q. 170. *Quomodo Parochus teneatur residere,
 & quanto tempore possit abesse à Parochia.*

R. §. 1. *Trid. Sess. 23. c. 1. de Reformat. statuit*
 non licere illi ultra bimestre intra annum abesse
 sine causa & licentia Episcopi, alioquin teneri
 restituere fructus; & quidem ante sententiam
 Judicis, uti putant *Bonac. de oblig. Benef. D. 5. P. 3. n. 5.*
 Et *P. 4. n. 7.* aliique communiter cum *Castrop. T. 3.*
D. 5. P. 3. N. 3. stando in Jure Tridentini, putat tamen
Lay. L. 4. T. 2. c. 6. n. 6. verba Tridentini, licet expressè
 sic habeant, non esse in eo rigore recepta, ut obligent
 ante sententiam saltem declaratoriam, dummodo
 per absentiam damnum non sit illatum Ecclesiae,
 in quam sententiam etiam inclinatur *Nav. teste Bonac.*
 Alias poenas non residentiū vide apud *Castrop. supra*
 & apud *De Luca de Benef. Disc. 77,* quomodo autem
 debeat Episcopus procedere cum Parocho negli-
 gente Residentiam, habet *Castrop. à num. 10.*

§. 2. Quamvis communior sit sententia, quòd 737
Parochus, qui absque causa & licentia ultra bimestre
abest, teneatur restituere totos fructus, tamen etiam
probabile est non teneri restituere nisi illos, qui
respondent Residentiæ neglectæ, quia non tantum
percipit fructus pro Residentia & oneribus illi
annexis, sed etiam pro recitatione Horarum,
aliisque Officiis, ergo si Horas oret, & Officia illa
per alios expleat, poterit fructus his correspon-
dentes percipere, ita *Bonac. & alii. De pœnis Parochi*
non residentis, vide Leurenium P. 1. Q. 388. & seqq.
Item dicenda Lib. IV. à num. 864.

§. 3. Causa absentiae debet esse justa & vera, 738
alioquin Parochus non facit fructus suos :
néque satis est, si juret Episcopo se habere causam
justam, quam nolit ob rationes graves revelare, quia
causa debet esse Episcopo cognita & approbata,
Barbos. de Off. Paroch. c. 8. n. 59.

§. 4. Licentiam emanandi ultra bimestre 739
debere esse expressam & scripto datam ab Episcopo
tenent communis Authores cum *Castrop. n. 8*, quia
scriptum à Trid. requiritur veluti forma Concessio-
nis ; probabile tamen est secundum *Navar.*
Bonac. P. 4. n. 12. Less. de Just. L. 2. c. 34. n. 68. in foro
conscientiæ sufficere esse datam ore : imò *Côn. Sanch.*
Regin. & alii putant sufficere tacitam, saltem si talia
concurrant signa, ut constet Superiorem actu
consentire; nemo autem dicit sufficere præsumptam
vel interpretativam licentiam : quòd si causa esset
evidenter justa, & tamen Episcopus negaret licen-
tiam, *Abb. Lott. L. 3. q. 27. n. 213. Garz. & Castrop. n. 6.*
dicunt ex decisione Sacræ Congregationis adhuc
non esse Parocho licitum abesse, quia à grava-
mine illo conceditur appellatio ad Superiorem,
ergo signum est non ideo haberi licentiam,
&

& consequenter Parochus, si absit, tenebitur fructus restituere, non aliter ac si causa non fuisset iusta. Ad quantum autem tempus possit Episcopus cum Curato dispensare quoad Residentiam, relinquendum est arbitrio boni viri juxta exigentiam necessitatis vel rationabilis causæ, *Lay. ad Cap. Licet de elect. restringit ad annum. Vide Leuren. Q. 374.*

740 §. 5. Si occurrente subitâ & evidente necessitate Parochus nequeat Episcopum adire, potest absque licentia abire, sic enim per Episcopiam explicandum esse *Trid. censent Bonac. Fill. & alii*; sed ex quacunque causa absit, semper substitui debet idoneus, qui vices absentis agat, potestque esse vicinus Parochus, *Barbos. n. 53*; putat etiam *Castrop. P. 5. n. 2.* pro absentia unius vel alterius diei ferialis, si nullus sit in Parochia infirmus, non esse opus substituere aliquem, quia non adest morale periculum necessitatis ejus præsentia. Alias causas excusantes à petenda licentia, vide apud *Leur. Q. 374.*

741 §. 6. Si Parochus cum causa, sed sine licentia, & absque damno gravi Oviium absit per bimestre tantum in anno à Parochia, non peccat graviter, quia hoc per se non est malum, alioquin *Trid.* nunquam permetteret etiam cum licentia fieri ex eo autem, quod non petatur licentia, non est materia peccati gravis: imò *Navar. Garz. Bonac. Barbos & alii* excusant à mortali, si abeset sine causa, quia talis absentia ad duos tantum menses censetur modica, sive sit continua sive interrupta.

742 §. 7. Probabile est, quod ad emanandum tantum per bimestre extra Parochiam, nunc non sit opus licentiâ Episcopi, dummodo causa subsistat, ita *Nav. Bonac. & alii* multi apud *Barbos. n. 54*, quorum sententiam *Lesf. num. 159. & Castrop. n. 3.* dicunt esse probabilem, licet oppositam teneant cum *Vasq.*

Sancti

Sanch. Regin. Garz. Fill. Barbof. & aliis. Probatum, quia usu est receptum, ut ad brevem absentiam non petatur licentia Episcopi, neque Episcopi rescientes contradicunt. Vide *Leuren. Quæst. 372.* Rectè autem notat *Laym. num. 7.* securissimum esse cuiusvis Diœcesis, in qua quis est, in hoc consuetudinem sequi: universaliter autem putat *Castrop.* licentiam Episcopi petendam, ubi est dubium de iustitia causæ, & n. 5. addit cum *Garzia*, ad absentiam bimestrem sufficere quamlibet honestam causam, etiam recreationem in invisendis amicis, quod tamen non admittit *Gobat* in *Exp. T. 5. n. 602.* Lit. L, si ad hoc, bimestre impendatur, *Trid.* enim videtur requirere aliam causam æquam.

§. 8. Si Parochus per bimestre tantum vel 743 per brevius tempus absit, non tenetur ad restitutionem ullorum fructuum, ita *Bonac. & alii* contra *Garz.* Ratio est, quia non peccat graviter, *Trid.* autem videtur tantum illos obligare ad restitutionem fructuum, qui graviter peccant & emanent ultra bimestre: unde consequenter inferunt *Navar. Azor, Bonac. & alii* cum *Castrop.* supra, eum, qui iusta de causa, sed absque licentia Episcopi absit ultra bimestre, teneri quidem restituere, sed tantum illos fructus, qui respondent tempori, quod excedit bimestre, quia *Trid.* absentiam duorum mensium impunè permittere videtur, si fiat ex iusta causa, si autem absit ultra duos menses, requirit & iustam causam & licentiam Episcopi.

§. 9. Si Parochus habeat duas Ecclesias unitas, 744 tenetur residere in digniori; si non constet, quæ sit dignior, in frequentiori: & si una fuerit extra, altera intra urbem, residere debet in ea, quæ est intra urbem, licet sit minùs frequens, providendo externis pro nocte de Ministro Sacramentorum

in necessitate secundum consuetudinem antiquam
loci, *Barbos.* num. 9. & 28. *Castrop.* P. 2.

745 §. 10. Parochus censetur residere in Parochia
in quocunque loco illius commoretur, v. g.
apud Parentes vel fratrem extra parochialem
domum: item quamvis consideret extra fines
Parochiæ, sed parum distans, uti docet *Ricov.*
apud *Dian.* P. 3. T. 4. R. 156. *in fine*, nam quod parum
distat, nihil distare videtur, inquit *Bonacina*,
si autem extra Parochiam distet ad bis mille
passus, non censetur residere, licet singulis Festis
& Dominicis ad eam accederet & præterea relin-
queret Vicarium loco suo, ita *Barbos.* num. 39.
potestque videri *Gobat* Lit. I. Quod si esse
intra fines Parochiæ, sed in tali loco, ad quem
Parochiani non semper accedere possint, v. g.
in arce noctu clausâ, resideret quidem, non tamen
suffICIENTER ad usus, ad quos residere debet, nempe
ad promptè inserviendum populo in necessitate,
adeoque non satisfaceret, *Luca* ad *Trid.* Disc. 4. n. 11.
Lott. L. 3. Quæst. 27. n. 39. *Paxjord.* L. 10. T. 4. num. 56.
Leuren. Quæst. 371.

746 §. 11. Continuæ Residentiæ non obstat, si quis
aliquibus diei horis extra Parochiæ fines exeat,
v. g. recreationis causâ, quia manet moraliter
præfens, ita *Bonac.* & alii cum *Barbos.* n. 44; item
manet residens, qui eâdem die reversurus excurrit
ad vicinum oppidum, nullus enim sibi in hoc
peccati conscientiam facit; & ratio suggeritur
à *Trid.* suprâ: *Quia qui aliquantisper tantum absunt,*
ex veterum Canonum sententia non videntur absente,
quia statim reversuri sunt: Aliud tamen est, si mor-
tali sæpe emaneret, uti rectè *Gobat* Lit. D. & seqq.

747 §. 12. Justa causa obtinendæ licentiæ
ad non residendum pro aliquo tempore etiam
ultra

ultra duos menses est quadruplex ex *Trid.* supra,
 1. *Christiana Charitas*, uti si alibi sublevanda sit
 gravis necessitas Proximi, odia & lites compo-
 nendæ. 2. *Urgens necessitas*, v.g. ob gravem corpo-
 ris infirmitatem, ob causam prosequendæ litem
 de Juribus beneficii, ob piam peregrinationem.
 3. *Debita obedientia*, uti si absit ex mandato Papæ,
 vel occupetur in servitio Sedis Apostolicæ. 4.
Evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas, uti si nego-
 tium commune ab alio geri non possit.
 Notat autem *Gob. Lit. K.* non licere ob alias causas;
 possuntque plura videri apud *Barbos.* supra &
Leur. q. 376, item quæst. 382. & seqq, ubi Quæst. 386.
 agit de occupato in servitio Episcopi.

§. 13. Nunc Jure novo *Trid.* non est licitum 748
 Parocho abesse, nec Episcopus dare potest licen-
 tiam, ut absit à Parochia, per septennium vel quin-
 quennium studiorum causâ, quia antequâ adeant
 Parochiam, debent examine prævio esse judicatum
 habere sufficientem scientiam ad curam animarum,
 ergo causa studii non potest illos excusare, ita
Bonac. Fill. Garz. Gonzal. Paxjord. Leuren. Quæst. 380.
Engel de Cler. non resid. n. 11. aliique nunc commu-
 nissimè cum *Barbos. n. 47.* & *Castrop. T. 7. D. 3. P. 9.*
 §. 9. n. 8, qui tamen à n. 9. oppositam sententiam
 censet probabilem, pro qua citat multos, & quam
 absolutè tenent *Lefs. num. 104.* *Laym. supra num. 5.*
Lotter. num. 152. *Zerola P. 1. v. Studium*, qui docent
 ex Cap. *Cum ex eo*, de *Electione in 6*, Episcopum
 posse dispensare cum promotis ad Ecclesias
 parochiales, ut usque ad septennium, quo in studiis
 morari possunt, non teneantur promoveri
 ad Sacerdotium, dummodo intra annum
 post adeptam Parochiam fiant Sub-Diaconi,
 sed sententia illa videtur per *Tridentinum* elisa,

E e z

nec

nec ipse *Laym.* textui illi multum fedit, nam requirit, ut adlit necessitas vel major Ecclesie utilitas, quod nunc difficulter in praxi habebit locum: adhuc tamen sunt aliqui Episcopi, qui ad biennium quandoque dispensant, quo Parochus se ad curam melius disponat ac perficiat, sed etiam quoad hoc servanda est consuetudo cujusque Diocesis: requiritur tamen etiam pro hoc casu dispensatio Episcopi in scripto, *Leuren. Quæst. 379.* Vide dicenda Lib. IV. à num. 864.

749 Q. 171. *An Parochus teneatur ad curam per seipsum.*
 R. §. I. Putant *J. Sanch.* in *Select. D. 47.* & alii apud *Dian. P. 3. T. 4. R. 156.* Parochum, si per seipsum non exerceat curam, non tantum peccare mortaliter, sed etiam teneri fructus restituere, quia qui non facit, quod debet, non percipit, quod oportet; deinde, quia fructus beneficii sunt propter officium, denique quia stipendium, quod datur propter causam, causam non subsecutam retinere non potest, uti habent Regule communes Juris. Sed quoad fructus, contradicunt *Garz. Ugol. Bonac. & alii*, quia *Trid.* secundum dicta *Quæst. præced.* eos tantum privat fructibus, qui non resident: quod autem attinet ad obligationem, videtur aliquam distinctione opus, hinc

750 §. 2. Supponendum cum communi, beneficium illud dici principaliter curatum, cui à principio cura animarum est annexa tanquam principale onus: potest autem annexa esse cura, vel actualis, si Beneficiatus eam actu per se teneatur exercere, vel habitualis tantum, si non teneatur actu per se habere exercitium illius curæ, quia per fundationem, privilegium vel consuetudinem onere illo ipse levatus est, & à Sacellanis vel à Vicario præstari debet.

§. 3. Qui suscipit beneficium principaliter 751
curatum, quamvis habitu tantum sit tale, debet
habere omnia requisita ad hoc, ut per se, saltem
in necessitate, possit curam exercere, sic enim habet
*Trid. Sess. 7. Cap. 3. de Reformat. Inferiora beneficia
Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia,
personis dignis & habilibus, & quæ in loco residere
ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant, conse-
rantur, aliter autem facta collatio sive provisio
omnino irritetur*: Itaque *Trid.* hic ad omne benefi-
cium curatum, quod est inferius Ecclesiâ Metro-
politana seu Cathedrali, postulat industriam personæ,
ideoque etiam *Sess. 24. c. 18. de Reformat.* mandat
collationi ejusmodi beneficiorum præmitti examen
pro approbatione &c, ita ut debeat posse exercere
curam,

§. 4. Si beneficium sit tantum habitu curatum, 752
potest tota cura committi Sacellanis; è contrà
si sit actu curatum, communior sententia est, quòd
sit obligatio aliquando per se exercendi curam,
v.g. excipiendo Confessiones, cum hæc sit prima &
præcipua pars curæ, hinc *Bonac. in Dec. D. 5. P. 2.
Barbos. de Off. Paroch. c. 8. n. 41.* aliique plures dicunt
eum peccare mortaliter, si ipsemet commodè
possit exercere curam, & semper faciat per alium,
quia cum Ecclesia ad officium Parochi prærequi-
rat capacitatem & industriam personæ, hujus
quòque obligatio est personalis, uti etiam argu-
mentatur *Pirh. L. 3. T. 4. n. 3*: addunt tamen posse
etiam frequenter & ad difficiliora adhibere Sacel-
lanum, & quandoque etiam alios, præsertim
si Parochiani sint contenti, & per alium æquè bene
fiat. An autem Parochus per se ipsum teneatur
concionari, dicitur num. 765. Vide etiam *Leuren.
P. 1. Q. 371. N. 3.*

753 §. 5. Si ille, qui bonâ fide suscepit beneficium curatum, sit illiteratus & imperitus, id est, inhabilis ad ea, quæ incumbunt officio curæ, uti explicat *Barbos.* in Collect. ad Trid. Sess. 21. c. 6. de Reform. ita ut non possit se qualificare ad curam per se gerendam, *Trid.* ibidem permittit illi, si quidem aliâs honestæ vitæ sit, substitui Vicarium, assignat huic parte fructuum secundum proportionem onerum, quæ supplet: Si autem ejusmodi illiteratus & imperitus turpiter ac scandalosè viveret, vulgè moneri, & si non emendet, permittit privari beneficio.

754 Q. 172. Quæ sit obligatio Parochi tempore morborum & belli. R. Hanc rem bene tractat *Chapeville* in Lib. de ministrandis tempore pestis Sacramentis, ex quo *Gobat* in Exp. T. 1. à num. 121. pleraque desumpsit. Excerpto aliqua:

§. 1. Potest Parochus grassante peste cum licentia Episcopi se subducere, dummodo substituat æque profuturum, & subsistat in loco, ex quo possit gerere providentiam pro grege suo: Si autem substituere non possit idoneum, non potest uti privilegio *Tridentini* emanando ad bimestre, néque potest resignare beneficium, est enim conductus pro tali necessitate, sicut miles pro futuro prælio: quid autem agere possit & debeat Episcopus, si Parochus fugiat, & defint, qui se offerant, habet *Gob.* suprâ. Vid. *Leur.* p. 1. q. 384.

755 §. 2. Certum videtur Parochum teneri etiam vitam exponere, non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate spiritali alicujus sibi subjectæ Oviculæ, uti dictum est Lib. 2. num. 174; si tamen unicus esset Sacerdos vel Parochus, quo sublato deesset Communitati Minister Sacramentorum, hic non debet singulis ministrare Sacramenta,

si sit probabile periculum infectionis, sine quo aliis ministrare posset, quia salus omnium præferri debet salutis unius particularis, & Parochus obligatus Communitati tenetur se illi conservare, *Barbos, de Off. Parochi. c. 17. n. 15. P. March. in Trib. T. 3. P. 1. T. 9. T. 2. Q. 6. §. 2. R. 1. vocans communem.*

§. 3. Parochus tenetur ingredi domum peste infectorum, si nequeat aliter administrare Sacramenta necessaria: Si autem possit aliter, v. g. si æger possit exire foras, non tenetur: quod si bis terve accessit ædes peste infecti, & tamen reperit imparatum, obligatur ad redeundum, quando erit paratus: Si verò æger malitiosè Parochum repulit, aut debito tempore noluit Sacramenta suscipere, debet nihilominus ad eum redire, si intelligat resipuisse, vel adsit magna spes illum ad frugem reducendi, quia certum periculum damnationis præferri debet illi molestiæ & periculo Parochi obligati ad procurandam salutem Oviu.

§. 4. Si Parochus moraliter certus sit peste infectum non esse in peccato mortali, *Cardm. Chapeville* aliique apud *Gobat* num. 138. dicunt non teneri accedere pro Sacramento Pœnitentiæ, *Verjuys* in *Past. Mission. T. 14. art. 4.* dicit teneri, si perat infectus, habet enim Jus confitendi, ergo alter obligationem ministrandi, præsertim cum sciri non possit, an quis sit in gratia: utrum autem, quando & quomodo teneatur pestiferis ministrare Eucharistiam & extremam Unctionem, dicemus, quando de illis Sacramentis, potestque videri *Verjuys* art. 8. & seqq.

§. 5. Si peste infectus nolit ultimum peccatum altè & à longè confiteri, tenetur Parochus propè accedere; non tenetur autem totam Confessionem excipere, sed potest uno vel altero peccato audito

E e 4

absolvere,

absolvere, uti communiter docent AA. apud *Verj.* Art. 5, qui art. 9. inter cautelas etiam hanc numerat, ut Confessarius nunquam se constituat inter infectum & ignem vel fenestram, quia aër ab infecto trahitur ad ignem vel ad fenestram, adeoque inficiet Confessarium, hinc optimum erit, si interponat ignem aut saltem candelam inter se & ægrum: deinde nunquam debet se directè ponere contra infirmum, sed ad latus aversâ facie.

759 §. 6. *Suar.* putat in contagione Parochum ipsum teneri sibi providere de præservativis & remediis, sed *Chape. Gob. & March. R. 3.* dicunt ipsi providendū esse à Magistratu, quia hic est casus extra-ordinarius & pro necessitate communi.

760 §. 7. Non plenè officio suo satisfacit Parochus, qui postquam moribundum munivit extremis, eum deserit, nec ulterius vilitat, ita *Gobat & Steph. T. 5. D. 6. n. 9.* Ratio est, quia quò vicinior est mors, eò majus salutis periculū ingruit à dæmone infestante, & tantò major est corporis ac animi infirmitas, ergo tunc maximè tenetur ex officio Parochus salutem suorum providere. Quòd si semel confessus & munitus, peteret iterum confiteri, putans se indigere, quamvis esset peste infectus, Parochus tenetur audire toties quoties, uti rectè *Verjuys art. 6.*

761 §. 8. Tempore belli, ubi speciale periculum non magis imminet Parocho quàm Parochianis, tenetur Parochus adesse Orbibus, ne destituantur Sacramentis, Officiis Divinis & solatio necessario, est communis & patet.

Plura addit *Gobat* in *Exp. T. 2.* à num. 236, qui videri potest, uti & *Verjuys* toto T. 14. Generatim autem, quomodo teneatur Parochus admi-

administrare Parochianis Sacramenta, videri potest *Leurenus Quæst. 425.*

Q. 173. *An Parochus teneatur aliquando Missam offerre pro Parochianis.* R. Affirmant cum aliis *Sot. Gavant. Bonac. Barbos. ex Trid. Sess. 23. c. 1. de Ref. Cum Præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, Oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre:* deinde S. Congregatio apud *Barbos. de Off. Paroch. c. 11. & de Off. Episc. Allegat. 24. n. 23. declaravit Parochum non posse accipere eleemosynam manualem pro Missa, quando tenetur celebrare: denique Parochus à Parochianis habet sustentationem, & ideo alicur, ut pro eis Missas offerat. E contra negant Navar. Suar. Vasq. Cón. Regín. Castrop. Lugo & alii apud Barb. supra & cum Burgh. Cent. 1. c. 27, quorum sententiam Steph. T. 5. D. 4. n. 66. defendit velut probabilē, Gobut de Sacrific. num. 492. velut probabiliorem, hi dicunt Parochum non teneri applicare Parochianis illas Missas, quas certis diebus, aut in Festis & Dominicis tenetur legere, sed posse pro eis accipere stipendium, quia sufficit, quòd populum pascat verbo Dei, Sacramentis, lectione Sacrificii, licet fructum eis specialiter non applicet, obligatio enim applicandi eis fructum est distincta ab obligatione legendi: unde ad *Trid.* dicunt tantum velle, ut Parochus in Sacrificio generaliter oret pro suis; Sacra autem Congregatio loquitur de Sacerdote, qui aliàs tenetur celebrare pro aliquo, ut pluribus ostendit *Lugo de Euchar. D. 21. n. 21.* Utraque sententia est probabilis, prima tamen videtur esse conformior *Tridentino,* & ut agnoscit *Gob.* declarationi Sacræ Congregationis, ac nititur quâdam æquitate, præsertim secundum limitationem, quam apponit *Barbosa,**

quòd Parochus teneatur aliquando pro Parochianis Missam legere, *secundum arbitrium boni viri*: notat tamen rectè idem Barb. de Off. Paroch. c. II. n. 8. cum multis aliis, quòd Festo Nativitatis Christi non teneatur legere tres Missas, sed satisfaciat legendo unicam, & consequenter reliquas poterit applicare, cui volet. Vide *Leuren. P. I. Q. 427.*

763 Q. 174. *Quæ sit obligatio Parochi circa conciones.*
 R. §. 1. *Trid.* sic præscribit Sess. 5. de Reformat. c. 2. *Pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oportet, ut pœnam æternam evadere & cœlestem gloriam consequi valeant.* Ex quibus verbis patet non requiri conciones oratorias, uti etiam rectè notat *March*, quia communiter parum profunt Parochianis.

764 §. 2. Peccat graviter Parochus diu omitteus conciones diebus festis & Dominicis, hinc *Bonac.* in Dec. D. 5. p. 2. n. 31. dicit, si omittat per integrum mensem continuum, vel per decursum totius anni duobus tribusve mensibus, fore mortale, & si pergat sequente Dominicâ vel Festo omittere, toties de novo peccaturum mortaliter, uti & illum, qui per culpam suam, uti per intemperantiam, se reddit ineptum, quò minus concionari possit ad tam diuturnum tempus.

765 §. 3. *Barbos.* de Off. Par. c. 14. n. 9. *Bon.* & alii docent Parochum non satisfacere officio coram Deo, si toto anno ipsemet nunquam concionetur; nam *Trid.* Sess. 5. c. 2. de Ref. dicit *Omnes Ecclesiarum Prælati teneri per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum S. JESU Christi Evangelium.* *Fol.* tamen de Instruct. Sacerd. L. 5. c. 5. n. 9. dicit

satis

satis esse, si per alium semper concionetur,
in quam sententiam etiam inclinatur *Possev. c. 3. n. 3.*

§. 4. Major est obligatio catechizandi quàm 766
concionandi, uti omnes docent, & non tantum
pro pueris, qui nunquam sciverunt, sed sæpe etiam
pro adultioribus, qui vel non sciverunt satis, vel
obliti sunt: unde pro concione valde utiliter
proponet Parochus res spectantes ad Præcepta
Fidei, Spei, Charitatis, Sacramentorum,
Justitiæ Christianæ. Vide *Leur. p. 1. q. 429. 430. 440.*
Item quæst. 436, ubi norat, quos admittere possit
ad concionandum in sua Parochia. Item Q. 439,
ubi examinat, an suos cogere possit ad conciones
in parochia.

Q. 175. *Quandonam potissimum ratione officii sui 767*
graviter peccet Parochus. &c. Ex communi sententia
peccat graviter, 1. Si deserat gregem, uti à n. 754.
dictum est. 2. Si ignoret ea, quæ necessaria sunt
ad officium & directionem spiritualem ovium,
cùm enim sit ex officio Pastor, Doctor, Judex,
Medicus & Consiliarius in iis, quæ animam ac
salutem concernunt, graviter peccat admittendo
Pastoratum, si ad ista desit ipsi scientia, & quando
insufficientiam advertit, nec potest sufficientiam
acquirere, tenetur dimittere, nisi bonâ fide
proceserit, uti n. 753. dictum est. 3. Si sit negligens,
ut si per negligentiam ipsius aliquis moriatur
sine Sacramentis; si rudes non instruuntur,
maximè in necessariis *necessitate medii*: Si peccata
non impediatur, ubi potest; *Synodus Aquisgranensis*
c. 36. ait: Sacerdotes pro popularum iniquitate
damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut
peccantes non arguant, testante Dño ad Prophetam,
speculatorem domui Israël dedi te, si non fueris
locutus, ut se custodiat impius à via sua, morietur,
sanguis

sanguis

sanguinem verò ejus de manu tua requiram. Hinc falluntur magnopere, si putent satis esse Misam populo legere, concionari, catechizare, ministrare Sacramenta, nam tenentur etiam alia adhibere media, quibus Parochianorum saluti prospiciatur; Parocho dicitur, quod Jerem. I. v. 10. *Ecce constitui te. . . . ut evellas & destruas & disperdas & dissipes & adifices & plantes:* Servire debent, ac privatim convenire etiam illos, qui ad templum accedere non possunt, eò quòd domum vel pecora custodire debeant, hi enim, cùm plerumque instructi non sint circa media salutis, sunt in gravi necessitate spirituali, quam levare tenetur Parochus secundùm dicta Lib. 2. Q. 174. Exemplo prævit Apostolus: *Vos scitis,* inquit Act. 20. *quomodo nihil utilium subtraxerim, quò minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice & per domos.* 4. Si sit malo exemplo, partim quia vita ejus longè majus præbet scandalum, eò quòd simplices putent se rectè omnia agere, si non agant pejus quàm Pastor suus; partim etiam quia auctoritatem, quam tenentur sibi facere & conservare, ut in concionibus & admonitionibus efficaciam habeant, prorsus amittunt, quòd potissimùm fit per immoderatas comotationes cum Parochianis.

Meritò legendus esset ab omnibus Parochis *Barbosa de Offic. Parochi. c. 3,* cujus titulus est: *De gravitate formidandi oneris, quòd Parochorum humeris imponitur, dum illis animarum cura committitur:* Item c. 6. *De vita & honestate Parochorum,* ubi explicat, quo habitu uti, quibus conviviis & ludis interesse, quibus negotiis licitè vacare possit Parochus. Quæ autem fit obligatio Parochi, ut certos libros habeat

& quædam annotet, videri potest *Leurenus*
p.1.9.432.

DUBIUM VII.

Quæ obligatio Præceptorum & Discipulorum.

Resp. Inter Præceptores (idem est de Pæda-^{cc 768}
gogis) & Discipulos est, quodammodo
eadem obligatio, quæ inter Parentes &
liberos. *Unde resolves:*

I. Discipuli peccant, 1. Si Præceptoribus &
Pædagogis non exhibeant honorem & reveren-
tiam. 2. Si non obediant in rebus pertinentibus
ad studia & bonos mores. 3. Si eos convitiis, vel
contumeliosis verbis traducant. 4. Si negligenter
studeant, scholarum aut studiorum tempore
lufui vacent, vel otio. 5. Si pecunias Parentum
dilapident vel inutiliter expendant. 6. Si malo sine
studeant. 7. Si Gymnasilii sui Leges, vel Academiæ
Statuta (si quidem ea ad peccatum obligent)
non servent. 8. Si scientias supersticiosas aut
veritas addiscant, vel libros prohibitos legant. 9.
Si stipendium debitum Doctori suo non solvant,
cum possint, v. *Navar. c. 23. & 25. Fill. Tract. 28.*
P. 2. c. 10. Q. 1.

II. Magistri & Pædagogi peccant, 1. Si peccata
Discipulorum dissimulent, & non corrigant,
quando possunt. 2. Si profectum eorum in literis
non sedulo promoveant. 3. Si non doceant
bonos mores. 4. Si ex proposito falsa doceant
ut vera, vel supersticiosa & saluti noxia. 5.
Si non studeant ipsi, ut officio satisfaciant.
6. Si

6. Si stipendium exigant majus justo, vel quam
 Gymnasia Leges, aut consuetudo permittat.
 7. Si Doctoratus insignia negent dignis, vel
 indignis conferant; quod Nav. dicit esse mortale;
 præsertim in Theologia, Jure Canonico, Civili,
 & Medicina: nam in Philosophia fortè veniale
 tantum esse censet Cajet. v. Doctoratus. 8. Si Disci-
 pulis malo sint exemplo. 9. Si malis moribus
 imbutos, & qui aliis perniciosi sunt, ad scholas
 admittant, vel ex iis non dimittant, v. Trull. L. 4.
 c. 1. D. II. num. 2.

TRACTATUS IV.

De quinto & sexto Præcepto.

CAPUT I.

Quid quinto Præcepto prohibeatur,

Non occides.

- 769 **P**rohibetur hominis occisio, mutilatio, verbe-
 ratio, aliæque similis afflictio injusta; de qua
 quæritur, quæ & quando fit injusta.

DUBIUM I.

*An aliquando liceat occidere vel
mutilare seipsum.*

- R**esp. Absque divina autoritate non licet
 se ipsum directè & ex intentione occidere.
 Ratio, quia est contra charitatem sui; &
 fit injuria Reipublicæ & Deo, qui est solus
 directus & absolutus Dominus humanæ vitæ.

Dixi 1. *Absque auctoritate divina*, propter Samsonem & quosdam Martyres, qui seipsos occiderunt, vel ex divina inspiratione, vel inculpata ignorantia. Dixi 2. *directè*: quia indirectè quandoque licet se occidere, hoc est, aliquid facere vel omittere, ex quo præter intentionem mors certò sequatur, quia Præceptum conservandi vitam, utpote affirmativum, non semper obligat, sed potest omitti propter bonum finem, necessitatem, vel magnam utilitatem. *S.Th. 2. 2. c. 64. Vid. Fill. T. 29. c. 4. q. 5. Et Becan. 2. 2. T. 3. c. 7. q. 8.* Unde resolves:

I. Miles potest, imò tenetur persistere in statione, etsi moraliter certus sit se occidendum. *Card. Lugo D. 10. Sect. 1.* Item posse ad evertendam turrim hostilem, aut ad perdendos hostes, pulverem incendere, etsi sciat se obruendum; uti & navem mergere vel incendere, ne hostis eâ portetur cum gravi Republicæ damno, docet *Lesf. L. 2. c. 9. n. 32. Fagund. Tom. 1. L. 5. c. 11.* Similiter licet se obijcere telo vel ictui, ad servandam vitam Principis, amici ad mortem injustè damnati vices subire. *Lesf. n. 30.* vel in naufragio tabulam cedere, ex *Tol. Lesf. loc. cit. Lopez 1. P. c. 65.* Item servire peste infectis, vel ad fugiendum incendium ex alto se præcipitem dare, cum certo periculo mortis. *Lesf. n. 31. & 35. Fill. l. c. Laym. L. 3. T. 3. P. 3. c. 1. n. 3. Lugo l. c.* Ubi tamen everisionem illam turris, & combustionem navis, (si quidem nulla sit spes evadendi) timidè, & non nisi ex gravissima, v. g. boni publici causa, videtur concedere, v. *num. 51. c. 52. & c. Malderum Tract. 3. c. 1. Dub. 19. Dian. P. 5. Tract. 4. Resol. 26. Fagund. P. 5. c. 11. num. 6. & seqq.*

II. Etsi virgini non liceat ad castitatem servandam directè se occidere, licet tamen ei certo

certo

» certo periculo mortis se exponere, etiam
 » pro sola integritate corporali, licet rationabi-
 » liter præsumeret se non consensuram: quia
 » integritas ista magni æstimatur, v. *Laym. l. c.*
 » III. Reo licet non fugere, imò etiam sponte se
 » sistere Judici plectendum; licet positivè seipsum
 » perimere non possit, etiamsi à Judice id ei
 » committatur, vid. *Less. n. 25. 26. & 28. Lugo num. 89.*
 » contra *Vasq. T. 2. D. 173. c. 3.*
 » IV. Etli Carthusianus in extrema ægritudine
 » possit servare vitam vescendo carnibus, idque
 » probabiliter ei tum liceat, (atque adeo non pec-
 » cet, qui inscio præberet cibos ex carnibus, *Sanch.*
 » *Dian. P. 8. T. 7. R. 70.*) licitè tamen & laudabiliter
 » etiam tum omittit, cum certo periculo mortis,
 » ut contra *Vasq. & Gran.* docet *Dian. P. 5. T. 4. R. 4.*
 » ex *Vict. Lorc. & c.* quia rationabiliter negligit
 » vitam pro bono communi Ordinis, *Lugo n. 33.*
 » contra *Azor & Escob. T. 6. c. 7.* ubi docet, teneri
 » carnibus vesci, si exigit necessitas, ita ut aliter
 » vitam conservare non possit: quod *Sanch. Conf.*
 » *L. 5. c. 1. D. 35.* cum aliis sex ita distinguit: Si neces-
 » sitas vescendi sit ab intrinseco v. g. morbo, ex quo
 » iudicio Medicorum convalescere non possit,
 » nisi esu carnium, ait probabiliter esse, non teneri
 » vesci, (tamen si licitè possit) quia morietur natu-
 » raliter ex morbo, cujus ipse non est causa: Si verò
 » sit ab extrinseco (v. g. si ob inopiam aliorum cibo-
 » rum fame moriendum esset) teneri vesci, quia
 » mors illa, cum sit violenta, ipsi imputaretur.
 » V. Licet carnem vigiliis & inedia moderatè
 » affligere: qui autem advertens vitam iis notabi-
 » liter minui, nihilominus continuaret, peccaret
 » graviter, ut notat *Laym. n. 5.* ex *Cajetan.* Et si hic
 » multi ob bonam fidem, & zelum Deo placenti
 excu-

excusentur, v. *Bonac. Tom. 2. de Restitut. D. 2. Q. ult. cc*
Secl. 1. P. 5. n. 9. Fill. l. c. Lugo num. 32. 33. 36. &c. Ubi *cc*
 rectè notat, aliud esse procurare abbreviationem *cc*
 vitæ, seu mortem positivè sibi afferre; aliud *cc*
 permittere, vel periculum ejus subire, vel *cc*
 non adhibere media ad avertendam: prius ait *cc*
 esse illicitum, v. g. pœnitentiis indiscretis, *cc*
 carnisque macerationibus vitam notabiliter *cc*
 abbreviare; posterius verò sæpe licere, ideòque *cc*
 non teneri Carthusianum carnibus vesci, *cc*
 nec aliquem alium uti pretiosâ & exquisitâ medi- *cc*
 cinâ, ad mortem vitandam; nec Secularem *cc*
 relicto domicilio quærere salubriorem aërem *cc*
 extra Patriam.

VI. Excusantur ægrî, qui paulò ante mortem, *cc*
 causâ humilitatis vel boni exempli, petunt humi *cc*
 collocari, quia non intendunt vitam abbreviare. *cc*
 v. *Vasq. l. c. Addit Laym. n. 5.* non teneri quenquam *cc*
 mediis extra-ordinariis, & nimis duris, v. g. *cc*
 abscissione cruris, &c. vitam conservare; *cc*
 nisi tamen ea communi bono sit necessaria, *vid. cc*
Lesf. l. c. Sanch. d. 34. ubi dicit, infirmum in periculo *cc*
 mortis, si sit spes salutis, non posse medicamenta *cc*
 respuere. Non videtur tamen virgo ægrotans *cc*
 (per se loquendo) teneri subire manus Medici, vel *cc*
 Chirurghi, quando id ei gravissimum est, & magis *cc*
 quàm mortem ipsam horret. *Escob. E. 7. Cap. 8. cc*
 v. *Turrian. Sum. P. 1. c. 263. Dub. 5.*

Resp. 2. Non licet se mutilare, nisi sit neces- *cc*
 sarium ad conservationem corporis totius; *cc*
 quia nemo est suorum membrorum absolutè *cc*
 dominus. *Lesf. D. 14. Unde resolves:*

I. Non licet se castrare ad conservandam *cc*
 castitatem, vel ad sedandas tentationes; quia *cc*

E f

hoc

- » hoc ad eum finem non est necessarium. *S. Th. 2. 2. q. 65. art. 1. Less. l. c. Molin. Fill. q. 3. & c.*
- » II. Peccant Parentes, qui filios etiam confertientes castrant, ut sint utiles cantui. *v. Laym. n. 2.*
- » • *Quæres.* An sepeliendus sit in loco sacro, qui seipsum occidit.
- » *Resp.* Id vetant Ecclesiæ Canones : qui tamen non sunt intelligendi de iis, qui ex furore, amentia, vel passione gravissimæ tristitiæ, turbatâ phantasiâ id fecerunt ; vel qui ante mortem verè de hoc doluerunt. Quòd si constet quempiam seipsum occidisse, & dubitetur, utrum deliberatè, an ex animo turbato factum sit, in praxi privatur sacrâ sepulturâ, cum præsumatur secundum opus externum voluntariè esse factum : nisi tamen ex circumstantiis contrarium colligatur : Si verò dubitetur, à se ipso, an ab alio *v. g.* si præcipitatus in aquam, delictum tam atrox & contra naturam non præsumitur finè evidentibus indiciis.
- » *Molin. T. 3. D. 20. v. Laym. n. 8. v. etiam Escob. E. 7. c. 8.*
- » ubi dicit, eum, qui moritur ex vulnere in duello accepto, si vivus ex loco discessit, non esse privandum Sepulturâ Ecclesiasticâ.

A D D E N D A.

- » 170 Q. 176. *Quanta sit obligatio servandi vel prolongandi vitam.* R. §. I. Circumcelliones hæretici tempore Constantini Imperatoris asserbant quemcunque hominem se interimentem esse Martyrem, sed damnati sunt in Conc. Bracharensi, uti refert *Lugo de Just. D. 10. n. 1. & Mendo in Stat. d. 4. n. 43*, unde relicto illo infano errore dicendum est, quandoque esse gravem, quandoque nullam obligationem servandi vitam vel prolongandi, uti explicat *Busenbaum*, quibus adde seqq.

§. 2. Quamvis possit aliquis mortem sibi directe 775
ex bono fine optare, v. g. ut liberetur ærumnis
morti ipsi æ qualibus, aut ut peccatis sit liber, uti
cum aliis docet *Tambur. Lib. 5. c. 1. §. 3. n. 34*, tamen
nemini licitum est directe sibi mortem inferre.
Ratio disparitatis est, quia actus optantis est
inefficax, id est, sistit in desiderio, quod suam mora-
litate desumit à motivo, quod potest esse bonum,
neque tendit in læsionem alicujus Juris alieni,
nam pro talibus circumstantiis præsumitur Deus
consentire seu non reprobare tale inefficax deside-
rium: è contrà occisio suâ esset actus efficax
tendens ad ipsum effectum externum mortis, quo
læderetur Jus, quod habet solus Deus in vitam
nostram. Neminem autem ad peccatum vitandum
posse se occidere, latè probat *Bonæpei in Noctua*
Dub. 21. n. 660; idem tenent *Diana P. II. T. I. R. 23.*
& *Lugo num. 23.*

§. 3. Non est eadem obligatio vitam prolon- 772
gandi, quæ est non abbreviandi seu conservandi,
ita *Pasq. in Praxi Jejun. Decis. 27. Sanch. in Conf.*
L. 5. c. 1. D. 33. Gobat in Quin. T. 5. c. 1. n. 30. Ratio est,
quia vitam prolongare importat singulare studium,
ad quod non tenemur, è contrà non abbreviare
& conservare importat commune tantum studium,
ad quod tenemur: unde non est idem non prolon-
gare & abrumpere vitam, uti rectè *Victoria Rel.*
de Temper. n. 9, qui cum *Pagund.* docet, quamvis
Medicus diceret aliquem, v. g. utendo vino, posse
ad decem annos vitam prolongare, tamen posse
ex mortificatione abstinere.

§. 4. Omnes docent non licere abstinere, v. g. 773
à vino, directe eâ intentione, ut etiam horâ citius
moriatur, *Lugo num. 32. Gobat num. 32*, quia
nemo etiam ad horam est dominus vitæ suæ:

Hfz

Idem

Idem tamen *Lugo* num. 31. docet strangulandum posse prius abstinere à cibo, ut sic debilior factus citius suffocetur, quod *Gobat* n. 75. dicit esse probabile, se tamen non suasurum, nisi esset periculum desperationis aut blasphemiae.

774 §. 5. Licitum est abstinere à parte etiam communis cibi & potus, quamvis mors inde sequatur citius, dummodo sumatur, quod necessarium est ad conservationem individui, *Sanch.* n. II. *Pasq.* num. 8. *Lugo* n. 34. *Gobat* n. 40. Ratio est, quia sic non tollo, sed tantum non prolongo vitam, ad quod non teneor, habens finem bonum, qui est utilitas spiritualis prævalens corporali, & ita fecerunt sancti viri: quod si hoc licitum non esset, peccarent plurimi per studia & artes laboriosas nativum calorem consumendo, nam sic etiam minuitur vita; unde universaliter docet *Granad.* apud *Dian.* P. 5. T. 4. R. 33. movendum non esse scrupulum, etiamsi quis pœnitentiis, vigiliis, mortificationibus ad obsequium Dei vitam suam abbreviet, hoc enim spectat ad gubernationem vitæ, quæ nobis à Deo commissa est, ut ita possimus illâ uti ad exercitium virtutum, & ad majorem in cælo obtinendam gloriam: hinc potest quis Religionem ingredi, nec tenetur ex illa aut è Novitiatu egredi, etiamsi advertat abstinentiam aliâque similia nocere valetudini, & sic abbreviandam vitam, *Lugo* n. 34. *Gob.* n. 54. Consequenter non tenetur Religiosus petere victum à communi diversum, licet communis noceat valetudini, *Gob.* n. 60; nec salubriorem locum, quamvis in eo, in quo est, minus diu sit victurus, *Vict.* *Sayr.* *Gob.* num. 59. Quod idem rectè asserunt etiam de homine sæculari *Vict.* & *Lug.* num. 36, quia applicatio rerum valetudini noxiarum aut

omissio

Omissio valetudini utilium à sapientibus non cen-
setur occisio sui, quando fit ex causa proportionata
statui suo, vel Sanctorum exemplo conformi:
Si tamen victus ordinarius inferret Religioso
grave incommodum, teneretur Superiori indi-
care, ut præveniretur majoribus incommodis,
non autem teneretur indicare, si tantum causet
leviora incommoda, uti catharros, somnum
inquietaorem &c. *Gob. n. 65. & 66.* Quod si indicarit,
& non provideatur, debet acquiescere & permit-
tere, quidquid secuturum est.

§. 6. Nemo, nisi postulet necessitas Reipublicæ 775
vel Ecclesiæ, teneretur vitam conservare mediis
extra-ordinariis aut pretiosis, *Sanch. Vict. Sayr. Lug.*
n. 36. Gob. n. 34. Ratio est, quia non tenemur conserva-
re nisi mediis ordinariis, secundum dicta *L. 2. n. 201;*
imò *Vict. n. 1. & Sayr. L. 7. c. 9. n. 28.* dicunt hominem
non teneri conservare vitam medicinis, quia
incertum est, an eam non plus minuant quam
prolongent: Similiter docet *Sanch. n. 4.* neminem
teneri quotannis sumere medicinam, v.g. ad præ-
cavendas febres, quamvis esset probabile peri-
culum febris & mortis, hæc enim non sunt ordi-
naria media vitam conservandi: addit tamen *n. 5.*
omnes teneri, dum ægrotant, si commodè possint,
consulere Medicos, & uti cibis salutaribus, quia
hæc sunt media ordinaria & facile parabilia,
ideoque etiam *Boudevvins P. 2. Q. 8.* dicit ægrum
periculosè laborantem, cui copia est Medicorum
& mediorum, teneri illis uti, si aliter sanari
non possit: addit *q. 9.* quoties notabile periculum
imminet ex omissione consilii, teneri ægrum
in licitis & honestis obedire Medico.

§. 7. Docet idem *Boudevv. quæst. 12.* si notabile 776
corpori damnun vel vitæ periculum imminet,

teneri Patientem admittere etiam inspectionem corporis ; rationem dat, quia erubescencia, quae deterret, habet ortum à peccato, & vincenda est per mortificationem, nam ratione illius, quod culpâ nostrâ contraximus, non est nobis licitum aliquid contra Jus, quo Deus nos obligat ad conservandam vitam : *Nav. tamen, Less. Baldel. Bonac. J. Sanch. Tambur. §. 4. n. 25.* cum *Busenbaum* docent puellæ licitum esse negligere curationē sui morbi, ne tangatur in partibus inhonestis, quia nemo tenetur admittere curationem, à qua non minus abhorret quàm ab ipso morbo: notant tamen rectè *Turrian. & Dian. P. 5. T. 3. R. 158.* teneri admittere sibi applicari medicinas ab alia honesta femina.

777 §. 8. Licitum est respuere medicinas, ut sic tolerantur graves doloris citra periculum mortis, *Sanch. n. 8, & sic Ludovic. de Ponte* rectè *Lamparin* in ejus vita L. 3. c. 4 §. 8. fecit, ut medicina non applicaretur oculo, quem falsus humor planè eripuit.

778 §. 9. Si tanta sit dejectio animi & appetitus, ut æger non nisi per summum laborem & cruciatum possit cibum aut potum sumere, *Vict. supra* excusat eum à mortali, si respuat, licet mors inde sequatur, quia tum est quædam impossibilitas moralis, quod maximè valet, si sit spes exigua vitæ.

779 §. 10. Damnatus à Judice, ut fame vel siti pereat, potest rejicere victum aut potum oblatum, ut docent *Less. de Just. L. 2. c. 9. n. 24. Laym. L. 1. T. 4. c. 18. n. 9. Gob. num. 68.* Si autem per vices repetitas sic possit tandem evadere mortem, *Lugo num. 30. & Gob.* dicunt teneri admittere, sed si sententia sit justa, videtur non teneri, potest enim permittere illius in se executionem, uti potest non fugere ex carcere, quamvis sciat se morte afficiendum,

ut docent *Sot. Azor, Mald. Lesf. & alii* apud *Dian.*
 P. 5. T. 4. R. 41. contra alios : imò *Lesf.* aliique
 cum *Lug. n. 38.* docent licere se Reum offerre Judici,
 ut secundum Justitiam de eo disponat: an autem
 liceat se, v.g. è turri præcipitare, ne acerbiorè morte
 afficiatur, videri potest *Lugo num. 50.*

§. 11. Si Titius injustè ad mortem damnetur, 780
 potest alius ex motivo alicujus virtutis loco illius
 se offerre, ut colligitur ex dictis *Lib. 2. num. 177.*
 Si autem Titius justè damnetur, non potest se
 offerre alius, quia sic Judicem volentem justè occi-
 dere nocentem, induceret ad injustè occidendum
 se innocentem, *Lugo num. 49. Tamb. L. 6. c. 2. §. 2. n. 5.*

§. 12. Si damnato ad mortem præcipiatur, 781
 ut exequatur in se sententiã, v.g. venenum bibat,
 venam sibi aperiat, se in ignem conjiciat, potest,
 si velit, illa facere, ut potest in se exequi pœnam
 exilii, quia tum constituitur Minister publicus
 suæ necis, ut docent cum aliis multis *Haunold.*
de Just. T. 1. T. 2. n. 613. & *Illsung T. 4. D. 3. num. 66.*
 contra *Salas, Lesf. Lug. n. 25. Busenb. & alios* apud *Dia.*
 supra R. 39 ; item potest facere omnia, quæ ipsi
 implicite præcipiuntur, v.g. scalas ascendere ;
 si tamen non jubeatur, non potest seipsum dejicere
 è scalis, quia sic se occideret autoritate propriã,
 & hoc tantum vult *S. Th. 2. 2. q. 64. art. 5. ad 2.* ut rectè
Illsung ; posse tamen, etiam si non jubeatur,
 collo circumligare funem, docet *Tamb. §. 1. n. 5,* quia
 hoc habet se indifferenter & remotè ad mortem.
 Quod si tamen nollet talia in se exequi, non obli-
 garetur, quamvis juberetur, quia nimis durum
 videtur aliquem sui ipsius carnificem agere, ita
 omnes communiter cum *Diana Resol. 40.*

§. 13. Catholico optanti Martyrium licitum est 782
 non fugere è carcere, quamvis posset commodè,

Ff4

quia

quia vix aberit scandalum; & quamvis abesse
tamen professio Fidei & testificatio fidelitatis
in Deum est sufficiens causa in eis circumstantiis
permittendi occisionem suam: quando autem
Christus Matth. 5. dicit: *Si vos persecuti fuerint
in una civitate, fugite in aliam*, vel non mandat
sed dicit, quid facere possint; vel si mandat
mandat illis, qui ad propagationem Fidei erant
necessarii: item non mandat hoc carcere clausis
sed adhuc à carcere liberis, quando nondum est
ocasio proxima profitendæ Fidei & testificandæ
suæ in Deum fidelitatis. Vide *Lugo* num. 47.
Non esse autem licitum ex sola cupiditate Martyrii
se ingerere in Martyrium, rectè docent *S. Th. Cap. 10.*
Sanch. aliique cum *Gob.* in *Quin. T. 5. c. 18. n. 51.* unde
nec absque necessitate licitum est infidelibus dari
occasionem suam occidendi; ex justa tamen causa
id liceret, uti rectè *Lugo* n. 39, apud quem circa ista
posunt plura videri.

783 §. 14. Circumforanei sumentes venenum,
ut ostendant efficaciam sui remedii, non peccant
graviter, si valetudinem non vitient notabiliter,
quia periculum vitæ excusatur per remedium
moraliter certum, *Dicast. Tamb. §. 2. n. 12. Dian. R. 10.*
& alii.

784 §. 15. Posset mulier non potens parere admitti
excisionem, ut infans baptizaretur, saltem
si aliqualis spes evadendi affulgeret, ad hoc tamen
non obligatur, *Boudevv. Quæst. 20*, quem casum
doctè tractat *Rayn.* de ortu infantium per sectio-
nem Cæsaream, ubi dicit spem semper affulgere,
nunquam sectionem esse per se lethalem, cuius ipse
tradit praxin. Quòd si infans in utero mortuus sit,
docet *Boudevv.* suprà, matrem non teneri, ut vitam
conservet, ejus excisionem pati.

§. 16. Dubium est, an tenearis admittere, v. g. 785
 sectionem rupturæ, vel tibie abscissionem, si præ-
 videas te alioquin ideo moriturum; aliqui affir-
 mant, quia non es dominus vitæ tuæ: alij negant,
 quia nemo tenetur media extra-ordinaria &
 valde difficilia adhibere ad conservandam vitam:
 quod si tibi à Superiore graviter mandaretur,
 secundum *Navar. Lesf. & alios* tenereris, quia
 obedientia etiam ad res arduas obligare potest:
 secundum *Salon. Sot. Dicast. Lug. Dia. Burgh. Cent. 2.*
 Caf. 39. non tenereris, quia restam arduæ, quæ
 communiter humanam fragilitatem superant,
 suntque ferme æquæ acerbæ ac mors ipsa,
 non cadunt sub obedientiam: excipiunt tamen,
 nisi talis homo esset necessarius Republicæ vel
 Communitati, remedium verò foret certum &
 securum, tum enim putant teneri admittere:
 omnes illæ sententiæ sunt probabiles.

§. 17. Potest quis sibi amputare manum, ut liber 786
 catenâ evadat mortem, pars enim meritò postpo-
 nitur toti, *Lugo num. 21. & 22. Steph. T. 4. D. 5. N. 6.*
 Potest etiam quivis alius tibi hoc facere cum tuo
 consensu, *Hurtad. & Dian. in Comp. v. Homicidium,*
 Num. 10.

§. 18. An & quomodo liceat militi navem, 787
 in qua est, ne in manus hostium veniat, accendere,
 aut turrim evibrare, prævidens se certò occidendū,
 videri potest *Mendo D. 4. Q. 6,* ubi tanquam proba-
 bilius defendit esse illicitum: *Lugo à num. 51.* putat
 in causa boni publici esse licitum, si ab hostibus
 eras occidendus.

DUBIUM II.

An & quomodo liceat occidere malefactorem,

- 783 **R** *Esp.* Extra causam necessariæ defensionis, de quo infra, nulli id licet, nisi auctoritate publicâ, & Juris ordine servato, ut patet
- Exod. 22. Et Rom. 13. Unde resolves :
- I. Non licet marito uxorem, aut patri filiam occidere in adulterio deprehensas, quia ad id non habent auctoritatem publicam, & Leges Civiles id permitrentes, à Jure Canonico sunt correctæ, tanquam iniquæ. Secus est de proscriptis, quos occidendi cuius auctoritas publica datur : idque non injustè, cum ad Reip. defensionem sit necessarium. Peccant tamen, qui non ex zelo Justitiæ, sed odio, aut privatæ vindictæ causâ faciunt. v. *Laym. L. 3. T. 3. P. 3. c. 1.*
- II. Peccat Princeps, vel Magistratus, (regulariter loquendo) v. *infra L. 4. c. 3. Dub. 1.* qui occidi jubet Reos non citatos vel non auditos, vel non damnatos, etsi privatâ scientiâ constet esse nocentes : quia ex Jure naturæ, actus publicus fieri debet ex scientiâ & auctoritate publicâ, v. *Cajet. v. Homicidium. Fil. Tr. 29. n. 27. Bonac. T. 2. de Restit. D. 2. Q. ult. S. 1. P. 2. n. 7. Et infra L. 4. c. 3. D. 1.*

A D D E N D A.

- 789 Q. 177. *An liceat marito occidere uxorem in adulterio deprehensam.* R. Non licet, hinc ab *Alex. VII.* damnata est hæc propositio 19. *Non peccat maritus occidens propriâ auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Circa quam damnationem notanda sunt aliqua,

§. 1. *L. Patri. 20. ff. ad Leg. Jul. de adult. datur Jus occidendi adulterum cum filia peccantem: ibidem L. Si adulter, & L. Marito, etiam conceditur potestas occidendi adulterum cum sua uxore deprehensum: item in quibusdam Regnis permittunt Leges maritis occidere uxorem non gravidam in adulterio deprehensam, uti referunt Lugo de Just. d. 10. n. 84. & Mendo in Stat. d. 3. q. 2. n. 17. Putantque multi Juristæ apud illos, item T. Hurt. & Caram. apud Nicol. Du Bois ad hanc propositionem damnatam, quod quibusdam etiam aliis apud Lugo videtur probabile, illos non peccare, quia videntur facere autoritate publicâ, quam à Legibus accipiunt, per quas videntur statui Ministri Justitiæ, Papa autem tantum damnat, si fiat autoritate propriâ. Opposita sententia est omnino tenenda, quam plurimi sequuntur cum Lugo n. 91. Mond. n. 21. Barbosa, qui refert pro ea Authores 48: probatur autem ex Jure Canonico, nam Nicolaus I. Cap. Inter hæc, 33. Quæst. 2. expressè declarat ejusmodi occisionem non licere secundum Leges Ecclesiasticas, esto liceat secundum Civiles, quæ non tollunt rationem culpæ, nec reipsa dant in conscientia Jus sic occidendi, sed tantum volunt, ut talis occidens non possit in foro externo puniri, permittunt enim impunè fieri, ut indulgeant vehementi & justo dolori, unde etiam rectè notat Lugo n. 96. eum, qui occidit ejusmodi adulterum Clericum, licet peccet, tamen non incurrere excommunicationem, à qua excuset vehementia justî doloris, qui impellit.*

§. 2. Leges Civiles, quæ darent facultatem 790
 autoritate publicâ occidendi adulterum aut
 adulteram, essent iniquæ, adeoque nullæ, Molin.
 Lugo num. 91. Ratio est, I. Quia permittunt
 occidi

occidi Clericum uti Laicum, est autem contra Jus Ecclesiæ, si potestas laica se constituat Judicem Clerici. 2. Quia quando delinquens capi potest, audiri, & servato ordine Juris condemnari, Jus Naturæ dicitur ita esse faciendum, nisi forte esse grave periculum in mora, aut aliæ circumstantiæ honestarent: hinc docent *S. Antonin. Sanch. & alii* cum *Lugo* num. 99. nè Judici quidem licere aliter procedere, si inveniret adulterum cum sua uxore, atqui ita est in nostro casu, oppositum autem est de Bannitis, uti dicitur num. 794. ergo. 3. Est contra Charitatem, aliquem extra gravissimam necessitatem occidere, qui scitur esse in mortalibus nec per tempus posse ad gratiam se disponere, hoc autem hic fieret, ergo. *Si dicas*, Deum Num. 3. concessisse potestatem Propinquis & Cognatis occisi, ut interficerent homicidam. & Id potuisse Deum, qui est Dominus absolutus vitæ & necis, deinde illa potestas à Deo data præsupponebat aliquam sententiam Judicis, uti ostendunt *Lycus* & *Lugo* num. 98.

791 §. 3. Ex his patet propositionem relatam rectè esse damnatam, dicit enim licere privata auctoritate, quod est omnino improbabile.

792 Q. 178 *An banniti publici grassatores vel criminosi possint ubique & promiscuè ab unoquoque occidi.* & Banniti dicuntur, qui publicâ auctoritate declarati sunt rei mortis, & de his aliisque criminosis resolvuntur seqq.

§. 1. Peccaret mortaliter filius, qui patrem suum bannitum occideret, quia id graviter repugnat charitati ex Lege naturali debitæ Parentibus, *Tambur. L. 6. c. 1. § 4. & alii.* Idem dicit *Laym. L. 3. T. 3. P. 3. c. 2. n. 2.* de Parentibus respectu filiorum, de

de uxore respectu mariti ; si tamen pater nullo modo aliter ab armis contra Patriam averti posset, putant *Jul. Clarus, Dicast. & Lay.* posse occidi a filio, quia prævalet bonum universale Patriæ, quæ est communis omnium mater.

§. 2. Clericus in majori Ordine constitutus 793 graviter peccat, si occidat bannitum, est communis contra *Riccium*. Ratio est, quia Ecclesia *Cap. Sententiam, ne Clerici vel Monachi*, graviter prohibet Clerico, ne se in causas sanguinis etiam justas immisceat, ideòque *Sot. & Tol.* putant etiam Clericum in minoribus Ordinibus constitutum peccare leviter, si talem bannitum occidar.

§. 3. Reliquis hominibus privatis licitum est 794 occidere bannitum, quia quivis publicâ auctoritate est constitutus Minister publicus Justitiæ in illo exequendæ ; cur autem à Republica fiat potestas hos occidendi sine peccato, è contrâ peccet maritus occidens adulterum vel uxorem, disparitas est, quia banniti sunt Reipublicæ hostes, qui nec capi nec accusari possunt, ideòque ob bonum commune conceditur ea facultas ; adulteri autem non sunt Reipublicæ hostes, & possunt capi atque accusari.

§. 4. Bannitus potest occidi solum in territorio 795 Principis, qui illum proscripsit, non autem in alieno, nisi ex tacito vel rationabiliter præsumpto consensu alterius Principis, in cujus territorio est, ita communior cum *Moya T. 6. D. 3. Q. 3.* Ratio est, quia existens in territorio alieno est sub alterius potestate, ergo si occidis hoc altero invito, facis huic injuriam, imò & bannito, quia illum occidis sine legitima auctoritate Magistratus, cui nunc subest: quia tamen AA. contrariæ sententiæ, quos referunt *Lay. suprâ, Dia. P. 5. T. 4. R. 24.*
Moya

Moya num. 2. & 3. putant communiter adesse consensum tacitum alterius Principis, ideo absolute docent licitum esse occidere in alieno etiam territorio: Bannitus autem à Papa potest occidi ubique, uti docent *Fill. Escob. Dian. supra, Moya n. 1.* quia Papa habet Jurisdictionem per totum mundum, saltem indirectam etiam in temporalibus, quantum necesse est ad administrationem spiritualium, uti tenent Catholici omnes, & demonstrat *Suarez contra Regem Angliæ Lib. 3. c. 23.*

796 §. 5. Si quis necdum sit bannitus, quamvis sit publicus Grasator & raptor, per se loquendo, non potest à quovis occidi, est contra *Dian. supra.* Ratio est, quia necdum publicâ authoritate est condemnatus, ergo qui occidit, privatâ authoritate occidit, ergo graviter peccat.

797 §. 6. Licetoribus vel satellitibus non est licitum occidere malefactorem, quem jussi sunt comprehendere, & qui se opponit, ne comprehendatur, nisi concurrant hæc sex circumstantiæ, I. Debent lictores habere certum & speciale mandatum à Magistratu de capiendo illo: 2. Capiendus debet armatâ manu resistere: 3. Crimen debet esse atrocissimum & capitale: 4. Capiendus non debet posse ullo alio modo capi: 5. Debent ab ipso, si evadat, graviora mala timeri: 6. Capiendus debet de crimine sufficienter esse diffamatus. Si horum unum desit, non est licitum occidere volentem se ex eorum manibus eripere, ita *Jul. Clarus, Facinor. Farinac. apud Dian. P. 8. T. 7. R. 44.*



DUBIUM III.

An & quomodo liceat occidere privatâ auctoritate iniquum aggressorem.

Resp. Jus naturæ permittit, ut vim vi repellas, ^{cc 728} & aggressorem, qui iniquè eripere tibi ^{cc} conatur vitam, aut quæ ad eam honestè ^{cc} agendam tibi sunt necessaria, ut bona temporalia, ^{cc} honores, pudicitiam, membrorum integritatem, ^{cc} prævenias & occidas: ita tamen, ut id fiat ^{cc} animo te defendendi, & cum moderamine ^{cc} tutelæ inculpatæ; hoc est, non inferendo ^{cc} majus damnum, nec utendo majore vi, quàm ^{cc} necessarium est ad arcendam injuriam. Ita ^{cc} communiter. S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7. Molin. & c. ^{cc} Less. L. 2. c. 9. n. 44. Unde resolves:

I. Non licet Reo occidere Ministros Justitiæ, ^{cc} à quibus ad carcerem, vel ad supplicium trahitur, ^{cc} uti nec licet id proscripto, ut notat ex com- ^{cc} muni Laym. L. 3. T. 3. P. 3. c. 2. quia non sunt ^{cc} iniqui aggressores.

II. Etsi ob contumeliam aliquam, v. g. ^{cc} si viro honorato dicatur, *mentiris*, non liceat ^{cc} alterum occidere, eò quòd aliter repelli possit, ^{cc} ac soleat. Less. n. 78. Azor. Hurt. & c. Dian. P. 5. T. 4. ^{cc} R. 12. & 13. licere tamen, si aggressor fustem, vel ^{cc} alapam viro valde honorato impingere cona- ^{cc} tetur, quam aliter avertere non posset, docent ^{cc} cum Dian. R. 4. Less. num. 77. Hurtad. & alii 12. ^{cc} Verùm & hoc videtur in praxi periculosum. ^{cc}

III. Si fuste, vel solo vulnere, vel amputatione ^{cc} brachii vel aliter arcere injustam vim potes, ^{cc} non

» non licet occidere. Unde si quis sit persona talis
 » cui non sit dedecus fugere, debet fugere potius,
 » si potest, & salvare se: secus autem, si turpe sit
 » fugere, v.g. Viro nobili, vel Officiali bellico,
 » nisi rursus hic & nunc id tali turpe non esse,
 » ob præstantiam in vasoris, vel alias ejus quali-
 » tates, v.g. quia ebrius est, vel amens; talem enim
 » occidere non licet, quando potest fugere. *Mol.*
 » *Dian. R. 9. v. Laym. c. 3.*
 » IV. Non licet occidere furem ob res exiguas:
 » licet autem, si quis auferat honorem valde nota-
 » bilem aut bona magni momenti: nisi tamen
 » aliâ viâ, v.g. Juris, vel aliter arceri aut recuperari
 » possint. Quare quando Jura significant, furem
 » nocturnum occidi impunè, non autem diurnum,
 » præsupponunt, quòd plerumque nocturni
 » non possint aliter arceri, diurni autem possint:
 » alioqui enim, si nocturnus potest capi, non debet
 » occidi; & si diurnus non potest capi, nec repeti
 » ab eo, quod aufert, nisi occidendo, id licet.
 » ea tamen non debent esse parvi momenti, &
 » minimum unius aurei, secundum *Molin. Tom. 4.*
 » *T. 3. D. 16. n. 7. v. Laym. c. 3* vel potius secundum alios
 » apud *Dian. P. 5. T. 4. R. 18.* duorum: quanquam &
 » hoc *Diana l. c.* nimis laxum videatur: imò *Bonac.*
 » *de Restit. D. 2. Q. ult. Sect. 1. P. 10.* rem non magni
 » valoris hic censet, etsi sit trium vel quatuor
 » aureorum. Si tamen talem (fur v.g.) usurpet
 » vidente ac resistente Domino, aut custode, aut
 » huic vim faciat. V. G. Repetentem incipit
 » ferro invadere, permittunt eadem *Bonac. Dian.*
 » *Et c. l. c.* uti etiam si dubium sit, an res possit aliter
 » servari, aut recuperari, *Bonac. l. c.* quia nemo
 » (inquit) tenetur se exponere periculo amittendi
 » res suas. *Vid. Laym. c. 3. Navar. Less. D. 11. Dian. l. c.*
 » V. Proba-

V. Probabilius est, hæc etiam licere Clericis & Religiosis, ob bona temporalia : Jura verò in contrarium afferri solita, intellige, quando non servatur moderamen inculpatæ defensionis. *Laym. l.c. Tann. Tom. 3. D. 4. Q. 8. D. 4. Escob. E. 7. c. 8.* Ubi etiam docet ex *Tanner. n. 68.* licere virgini occidere invasorem pudicitiae, si violationem nequeat aliter evadere.

VI. Cùm tamen iniquus aggressor sit in periculo salutis, potest quis ex charitate ei parcere, & injuriam potius pati, sed non tenetur, eò quòd alter, suâ malitiâ, sit in isto periculo. *Layman ibidem.*

VII. Non licet occidere, si injuria jam est contracta, vel aggressor jam fugit : quia id non esset se defendere, sed vindicare, ut docet *Tol. Rodrig.* Sed *Henriq. & Navar. Cap. 15. num. 5.* *Fernandez P. 1. c. 9. §. 1.* dicunt, si læsus magnam faceret jacturam honoris, nisi fugientem mox persequeretur, posse eum persequi, & percutere, quantum esset satis ad defensionem honoris: quod *Laym. Bonac. Lefs. n. 79. & 80.* *Fill. Lugo &c.* putant practicè vix posse fieri sine vindicta; etsi speculativè videatur esse probabile, *v. Dian. P. 2. T. 1. R. 15.* Concedit tamen *Lugo, Mol. Lefs. n. 74. &c.* cum *Dian. P. 8. T. 7. R. 47.* licere furem fugientem v.g. cum equo tuo, concessere telo vel sagittâ; quia invasio adhuc durat. Etsi verò id non liceat, postquam in tutum se recepit, si tamen per Judicem non possis recuperare rem tuam, potes ingredi locum, ubi illa detinetur, eamque tibi vindicare, & si alter vi impediatur, vim vi repellere. *Tanner. Lefs. num. 45.* *Mald. Hurtad. Dian. P. 5. T. 4. R. 37.* Et *P. 8. T. 7. R. 47.*

VIII. Ad defensionem vitæ, & integritati
 membrorum, licet etiam filio, Religioso &
 subdito, se tueri, si opus sit, cum occisione,
 contra ipsum Parentem, Abbatem, Principem
 nisi fortè propter mortem hujus secutura esset
 nimis magna incommoda, ut bella, &c. *Sylv.*
Bonac. P. 8.

IX. Licet quòque occidere eum, de quo certò
 constat, quòd de facto parat insidias ad mortem
 ut si uxor v. g. sciat se noctu occidendã à marito
 si non potest effugere, licet ei prævenire. *Navar.*
Lefs. n. 45. Fill. T. 29. n. 39.

X. Hinc etiam dicunt alii, ut *Sanch. 2. Moral.*
Cap. 39. & alii, licere occidere eum, qui apud Ju-
 cem falsã accusatione, aut testimonio, &c. id agit,
 unde certò tibi constat, quòd sis occidendus, vel
 mutilandus, vel etiam (quod alii difficiliter
 concedunt) amisurus bona temporalia
 honorem, &c. quia hæc non est inuatio, sed
 justa defensio, posito quòd de alterius injuria
 tibi constet, nec sit alius evadendi modus.
Lefs. num. 47. Tamen *Fill. & Laym.* non audent
 id defendere, propter periculum magnorum
 abusuum. *Vid. Escob. Ex. 7. c. 8. Hur. Lugo D. 10. S. 7.*
Dian. P. 8. T. 7. R. 52.

XI. Quodcumque quis juxta supradicta
 habet Jus alium occidendi, id potest etiam alius
 pro eo præstare, cum id suadeat charitas. *Fill.*
Tanner. D. 4. Q. 8. Molin. D. 18. An autem
 quando ad hoc teneatur, *vid. Lefs. L. 2. c. 9. Dian.*
Dian. P. 5. T. 4. R. 9. 14. & 20.

A D D E N D A.

799 Q. 179. Quid notandum sit circa aliquas propo-
 sitiones hæc damnatas. R. Inter damnatas ab Alex. VIII.
 sunt

sunt, 17. Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si Calumniator sit paratus vel ipsi Religioso vel ejus Religioni publicè & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur. Id. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alià vià non potest innocens damnum evitare. Præterea inter damnatas ab Innocentio XI. hæc est 30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: Idem quòque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel fustis ictum fugiat. Secundùm has damnationes, imprimis intelligenda sunt vel limitanda aliqua, quæ hic affert Busenbaum, deinde pro meliori intelligentia adde sequentia.

§. I. Quamvis secundùm prop. 17. ab Alex. VII. 800 damnatam certum sit, illicitum esse Religioso vel Clerico eum occidere, qui alioquin certò & proximè illaturus est calumniam, tamen Haunold. de Justit. T. 1. T. 2. à n. 655. Mendo in Stat. D. 4. Q. 2. aliique docent id licere Laicis sæcularibus, quod Molin. Less. Bonac. aliique cum Lugo de Just. D. 10. n. 165. dicunt esse probabile; rationem dant, quia in homine sæculari potior est fama & honor, quàm bona externa, imò quàm vita ipsa, atquè propter hæc licitum est occidere eum, qui certò & proximè aggressurus est, nisi occidatur, ergo etiam licitum est occidere propter famam vel honorem: disparitatem verò de Clericis & Religiosis assignant, quia hi ratione perfectioris statûs, quem profitentur, & ex virtute Religionis tenentur etiam

talis honoris jacturam subire pro salute Proximi,
 si id necesse sit, honor enim talis mundanus debet
 videri levis illi, qui vitam & humilitatem Christi
 propius sequitur & profitetur, ideoque censetur
 renunciâsse tali honori. Hæc sententia videtur
 amisisse probabilitatem, propter proposit. 30.
 ab *Innocentio XI.* damnatam, quæ indefinitè loquitur
 de viro honorato, abstrahendo an sit Clericus,
 an Religiosus, an Laicus, hinc absolutè tenendū est
 cum *Bonasspei* in Noct. D. 20. Et de Just. D. 19. n. 48.
Carden. in 2. Crisi D. 21. c. 2. nunquam, etiam Laico,
 licitum esse occidere aliquem, eò quòd invadat
 præcisè famam vel honorem, hinc etiam *Lugo*
 in fine addit: *In praxi vix potest occurrere casus,*
in quo id necessarium & licitum sit. Ratio est 1.
 Quia occisio infamatoris non est certum medium
 conservandi famam, imò sæpe eam plùs inficit.
 2. Quia talis defensio famæ esset in certam &
 maximam perniciem Reipublicæ, uti demonstrat
Carden. suprâ, præsertim cum quisque ex invidia,
 alio malo affectu, vel præoccupatione judicii
 sibi facilè fingeret ab hoc vel illo imminere
 proximum periculum infamiæ. Ad argumentum
 oppositum disparitas est, tum quia licèt fama &
 honor sit bonum nobilius, tamen non est ita neces-
 sarium ad communem vitam, neque ita censetur
 à nobis possideri, cum sit res, non tam honorari
 quàm honorantis; tum etiam quia bona corporis
 vel fortunarum, si semel sint amissa, recuperari
 non possunt, (si enim probabiliter recuperari
 possent per auctoritatem Judicis, non esset licitum
 occidere raptorem) è contrâ bona famæ vel
 honoris recuperari facilè possunt, saltem auctori-
 tate Judicis. Videri potest *Illung* T. 4. D. 4.
 num. 69.

§.2. Quamvis sæculari Laico licitum esset occi- 801
dere eum, qui certò & proximè parat calumniam,
si aliter impediri non posset, tamen hoc tantum
liceret, quando parat extrajudicialiter, non autem
si judicialiter vellet calumniam impingere; ratio-
nem dat *Du Bois* super prop. ab *Alexandro VII.*
damnatas post c. 11. n. 86, quia publica securitas
aliud exigit, nam in Jure habetur, & ex ratione
constat spectare ad bonum commune, ut non
impediatur accusatio, testificatio, Judicium &
Jurisdictionis executio, si autem aliquando liceret
occidere accusatorem, testes vel Judicem, meritò
deterri possent homines ab accusatione, à testi-
monio dando & à sententia ferenda, ne fortè
sub prætextu falsitatis vel iniquitatis à Reo præ-
tensæ occidi possent, hoc autem inconueniens
non esset, quamvis Laico liceret occidere alium
quàm accusatorem, testem vel Judicem:
Quinam autem docuerint licere occidere falsum
accusatorem, testem, Judicem, videri potest
apud *Moyam T.6.D.3.Q.1. §.1.*

§.3. Quando honor impetitur, non tantum verbo, 802
ut sit per calumniam, sed etiam facto, *Carden. c.2.*
art. 4. dicit, quòd liceat eum tueri armis, quamvis
postea sequatur occisio, non ad defendendum
solum honorem, sed etiam vitam vel aliud bonum
æquiparabile, ponitque hæc exempla: Titius
maritus scit adulterum certâ horâ velle ingredi
ad uxorem suam, Titius potest ei gladium oppo-
nere, ut emaneat, si autem adulter vicissim stringat
gladium viam vi facturum, si Titius aliter nequeat
arcere, potest occidere, & in hoc tuetur, non solum
honorem suum, sed Jus tori & honestatem
uxoris suæ, imò etiam vitam suam, quam adulter
eriperet, si Titius se non defenderet. Item,

si Titius fuste intentet ignominiosam percussio-
nem Cajo, qui sine gravi nota aliter declinare
non potest, potest Cajus opponere gladium, quod si
Titius vicissim gladium opponat, jam non tantum
aggreditur honorem, sed etiam vitam Caji, unde
Cajus, si aliter non possit, potest defensione etiam
occisivâ vim arcerè. Item, si deflorator virgini vim
intentet, potest virgo, si aliter nequit, arcerè vim
defensione etiam occisivâ, uti supponunt omnes
communiter cum *Lug. de Just. D. 10. S. 10.* quia in eo
non defendit solum honorem, sed etiam integri-
tatem corporis sui. Idem est in similibus casibus,
ubi non solus honor defenditur, sed etiam
aliud bonum magni momenti, neque tantum
defenditur à contumelia, sed etiam ab alia violen-
tia, ad quam arcendam quisque Jus habet,
cum vim vi repellere Jure naturali, divino &
humano sit licitum, saltem tum, quando est
proportio inter vim, quæ infertur, & vim, quæ
repellitur, uti observat idem *Carden num. 93.*

303 §. 4. Non teneris fugere invasorem, si per hoc
incurras gravem ignominiam, uti communissimè
docent Auctores, quorum 96. recenset *Vindex*
Gobati P. 2. Prop. 11., adductis plerorumque locis:
item alios plures recenset *Vindex Taberna*
in Collect. ad Prop. 7. & 8., adductis Auctorum locis
& verbis: inter illos autem Auctores sunt *Bartol.*
Bald. Jason, Felin. Tirag. Gomez, Sot. Navar. Cajet.
Tol. Salon. Henriq. Azor, Suar. Vasq. Molin. Sanch.
Valent. Less. Lugo, Laym. Bonac. Tann. Mast. Say.
Dicast. Barbos. Fill. Castrop. Carden. Herincx, Sporer,
Haunold. Illsung, Pirb. Cassens. Wigg. Bass. & alii.
Ratio autem est, quia Jus habes resistendi stando,
ne incurras tale grave incommodum. Clerici
tamen & Religiosi ordinariè debent potius fugere,
quia

quia illis non ita est indecorum, nec debent tantum
facere humanum iudicium, qui Christi mansuetu-
dinem sectantur & humilitatem profitentur, uti
notant *Hanneld.* n. 639. & *Tabern.* P.2, T.2.c.25.Q.6.
Dixi ordinariè, quia *Felin. Fill.* & *Lugo* n.167. tenent,
si spectatis circumstantiis etiam in illos redundaret
gravis infamia, non teneri fugere, tum enim esset
iusta causa se ibi defendendi: unde à contrario
docent, homines viles & alios laicos, quibus
non est usus armorum, ideòque inde non sunt
infamandi, teneri fugere, uti & ille fugere tenetur,
etiam si ideo gravem infamiam subiret, qui
injustè laceſſivit inſaſorem, quia ratione suæ inju-
riæ tenetur procurare, ne inſaſori inde oriatur
damnum, *Lugo* num. 168. cum communiore
contra *Leſs.* Lib. 2. c. 9. à num. 107. *Petsch.* P.268.
Quòd si quis occidat, quando sine gravi incom-
modo fugere posset, peccat non tantum contra
Charitatem, sed probabiliter etiam contra Justi-
tiam, uti dicitur P.2.N.305.

§.5. Communior sententia est apud *Haun.* n.657. 894
& *Steph.* T.4.D.5. Num.17, quòd nemini liceat
repercutere neque inſequi fugientem, qui percussit,
ut repercutiat, quam sententiam multis argumen-
tis firmant *Carden.* à n.66. *Petsch.* P.297. *Mendo* Q.3.
1. Quia fugiens, hoc ipso quòd fugiat, satis seipsum
arguit & subicit, honorèmq; restituit, quantum
restitui potest. 2. Quia, uti rectè *Lugo* num.190.
talis repercussio vel inſecutio aliter non juvat
ad recuperandum honorem, nisi prout continet
rationem formalis vindictæ, quæ nunquam licita
est privatâ auctoritate, nam in æſtimatione
hominum mundanorum in tantum recuperatur
honor per repercussionem vel inſecutionem,
in

in quantum alii homines hinc æstimant animositate percussi in vindicanda injuria, ergo semper supponitur fieri vindicta, itaque per hoc non reditur honor, sed tantum substituitur æstimatio animi vindicativi, quæ apud mundanos quandoque tanti fit, quanti honor amissus, hæc tamen æstimatio est intrinsecè inappetibilis. Oppositam sententiam tenent *Henrig. & alii*, quos refert *Carden. num. 64*, qui dicunt licitum esse repercutere aut insequi ad repercutiendum, quantum necesse est ad tuendum honorem, quæ sententia etiam videtur probabilis saltem speculative, quia non est opus id fieri ex vindicta, sed potest esse intentio defendendi honorem alioquin adhuc magis perdendum in æstimatione hominum, vel etiam reparandi æquivalenter; quia tamen in praxi vix aberit spiritus vindictæ, sententia illa merito censetur non tuta in praxi, uti etiam notavit *Busenbaum*.

805 §. 6. Puella, quæ per vim ab aliquo tacta est vel osculum furtivum accepit, potest fugienti alapam infligere, non in vindictam, sed in defensionem pudicitia pro futuro, si enim non ostendat indignationem, credet amasius gratum ei hoc esse & faciet iterum, *Tamburin. Lib. 6. c. 1. §. 3. n. 7*; imò *Lugo num. 196*. dicit hanc alapam fore actum fraternæ correptionis.

806 Q. 180. Quid addendum sit circa alias propositiones hæc damnatas. R. Inter damnatas ab *Innocentio XI* etiam sunt hæc, 31. Regulariter occidere possumus furem pro conservatione unius aurei. 32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actus possidemus, sed etiam ad quæ Jus inchoatum habemus & quæ nos possessuros speramus. 33. Licitum est defendere quam legatario contra injustè impediens.

ne vel hæreditas adeatur vel legata solvantur, se tali-
ter defendere, sicut & Jus habenti in Cathedram vel
Præbendam contra eorum possessionem injustè impe-
dientem. Circa has damnationes notanda sunt
sequentia.

§. 1. Incertum manet, quanta debeat esse summa, 807
pro cuius conservatione liceat occidere furem,
tantum enim damnatur, quod liceat eum occidere
pro conservatione unius aurei, idque regulariter,
ita ut hæc sit regula & ordinariè sufficiens materia
respectu omnium, quod manifestè falsum est,
cum aureus respectu multorum sit res levis; unde
Haunold. de Just. T. 1. T. 2. n. 653. ponit hanc regulam,
si furtum sit tanti valoris, ut illius damnum
non teneret ex charitate subire pro salvanda alte-
rius vita, tunc liceret occidere pro defensione
illius rei meæ; sed iterum manet dubium,
quantum damnum teneret ex Charitate subire
pro salvanda alterius vita, de quo tamen aliquid
dictum est Lib. 2. n. 201.

§. 2. *Carden. in 2. Crisi D. 21. n. 76.* rectè dicit 808
virtualiter damnari, quod licitum sit occidere
pro defensione rei parvi momenti, unde ut liceat,
debet esse res magni momenti, licere autem, si res
sit magni momenti, nec possit aliter servari vel
recuperari, eamque actu invadat fur vel raptor,
docent Auctores communissimè, quorum plures
quàm centum adductis locis & verbis enumerat
Vindex Tabernæ in Collect. ad Proposit. 8. suntque
inter eos *Marta, Clarus, Gomez, Covarr. Navar. Cajet.*
Bann. Sot. S. Antonin. Tol. Salon. Arrag. Azor, Wigg.
Mald. Vasq. Molin. Valent. Laym. Lugo, Bonac. Barbos.
Mastril. Bas. Sayr. Bosco, Herinck, Sporer & alii.
Rem autem magni momenti absolutè & respectu
omnium putat *Cardenas* esse valorè 40. Imperialiū,

& quod minus est, putat esse absolute parvi momenti: posset tamen res minoris valoris esse magni momenti respectivè, v.g. ad Pauperem, cui sublatâ minore quantitate tollerentur necessaria ad vitam, hinc putant *Tambur.* *Petsch.* Pag. 291. *Sporer* T. 5. c. 2. n. 153. unum vel alterum aureum esse magni momenti respectu Pauperis, cujus substantia in eo resideret; è contrâ etiam 20. aureos esse exigui momenti respectu divitis.

309 §. 3. Multi docent non esse licitum Clericis nec Religiosis occidere furem ad tuenda bona sua fortunæ, uti ipsis licitum non est occidere aliquem pro defensione sui honoris, secundum dicta n. 803, sed *Lugo* de Just. D. 10. num. 175. *Dian.* P. 1. T. 4. R. 17. *Mendo.* D. 3. Q. 2. n. 16. & alii valde multi ex citatis n. 808. tenent oppositum, quod suadetur ex Cap. *Dilecto*, de sent. Excommun. in 6: *Cum omnes Leges, omnia Jura vim vi repellere, cunctis sese defendere permittant, licuit ipsi Decano (si prædictus Ballivus eum bonis suis mundanis injuriosè spoliare vel ea violenter occupare præsumpserit) contra illius violentiam injuriâque se tueri.* Et quamvis Textus expressè tantum dicat de defensione per arma spiritualia, eadem tamen est ratio etiam de corporalibus, tum quia hæc facultas de Jure Naturæ competit, neque Jure Ecclesiastico est sublata, tum etiam, quia Clericus vel Religiosus Ordo non renunciat Juri, quod habet ad bona sua, quibus etiam ad vitam indiget, ergo possunt illa defendere uti Laici: è contrâ vel renunciârunt simili defensionem honoris sui, vel saltem ille tantum non est faciendus apud illos, secundum dicta num. 800, & denique de honore mentem suam satis declaravit Ecclesia, secundum dicta à n. 799, non item de bonis aliis.

§. 4. Licere occidere furem fugientem 810
 cum re mea magni momenti, si aliter recuperari
 non possit, docent plurimi & gravissimi Auctores
 ex relatis num. 808. Et apud *Moyam* T. 6. D. 3. Q. 2.
Dian. P. 5. T. 4. R. 17. Et P. 8. T. 7. R. 47, qui cum *Lugo*
 n. 179, testantur esse communem: Et idem licere
 Clericis, docent *Moya* n. 17. *Dian.* supra, citans *Tann.*
Sylv. Mald. Lesf. Becanum, & ratio communis
 pro omnibus est, quia si liceret absque vitæ peri-
 culo sic rapere aliena, multum auferetur audacia
 & malitia hominum: deinde talis fugiens re ipsa
 censetur adhuc actu aggredi bonum, quod rapit,
Illung T. 3. n. 94.

§. 5. Si ageretur de raptore strictè dicto, qui 811
 per violentiam etiam corpori adhibitam vellet
 unicum aureum eripere, *Molin. Lesf. Tamb.* dicunt
 licitum esse se tueri, etiam si necesse esset occidere,
 si vis aliter averti non posset, quia ibi non tantum
 defenditur aureus à rapina, sed etiam corpus à vio-
 lentia, de quo casu non loquitur prop. damnata,
 quod sic explicant *Lugo* num. 178. & *Carden.* n. 86:
 Si fur vi intenter rapere aureum, posse opponi
 gladium ad vim arcendam, & si fur desistat,
 non licebit plus ei facere, si autem urgeat &
 vicissim educat gladium, alter, si aliter nequeat
 eum à se amoliri, poterit (secundum illos) se defen-
 dere defensione occisivâ cum moderamine incul-
 patæ tutelæ, quia fur, secundum dicta num. 802,
 in hoc casu non tantum invadit aureum, sed etiam
 vitam propter aureum, quem injustè petenti
 non tenetur dare. Hæc sententia patitur difficul-
 tatem, nam invadens non vult vitam, sed aureum,
 ergo si invasus ex illa occasione occidat, videtur
 occidere pro conservacione unius aurei, quem
 si daret, defineret vis & non fieret occisio.

§. 6.

812 §. 6. Duæ reliquæ propositiones etiam idem rectè damnantur, quia in Repub. sunt alia media obtinendi hoc, ad quod aliquis habet Jus posse autem statim occidere illum, qui impedi- involveret Remp. infinitis turbationibus, uti patet.

Objicies 1. Vita Proximi est superioris ordinis & longè æstimabilior quàm bona fortunæ, ergo non licet tollere vitam Proximi pro quibuscunque bonis suis conservandis vel recuperandis. R. N. Conseq: Nam qua inter rem & vitam est inæquitas, eâ favore innocentis & raptoris odio compensatur, inquit Grotius Lib. 2. c. 1. n. II.

Objicies 2. S. Augustinus de lib. arbitr. Lib. 1. c. 6. negat à peccato liberos esse, qui pro his rebus, quas contemni oportet, id est, quas homines inviti amittere possunt, humanâ cade polluantur. R. Ergo nequidem licebit occidere pro vita sua defendenda, cum etiam hanc inviti amittere possimus. Itaque loquitur de casu, quo invasor occideretur ex odio, vel quo excederetur moderamen, quia nempe res propria aliter defendi posset.

Instabis: Ordo Charitatis postulat, ut vitam Proximi præferam meo bono fortunæ. R. Ordo Charitatis tantum obligat in extrema aut saltem in gravi necessitate Proximi, in qua non est fur vel raptor, sed est in gravi sua malitia.

813 Q. 181. Quid præterea sit addendum circa occisionem aggressoris. R. Seqq. §. I. Abulensis putavit injustè invasum semper teneri occidere invasorem, quando id necesse est ad tuendam vitam suam, tum quia videtur postulare ordo charitatis, ut se præferat alteri, tum etiam, quia quisque tenetur vitam conservare per media licita, quale hic est occisio alterius: sed alii communissimè contra dicunt cum Molina & Lugo de Justit. D. 10. à n. 150.

& satis diximus Lib.2.num.177, quia nec Charitas nec Justitia obligat, per se loquendo, ut utar mediis ita difficilibus & extra-ordinariis.

§. 2. Quamvis injustus aggressor esset rationis 814
 compos adeoque in mortali, tamen Charitas non obligat, ut vitam meam corporalem deum pro ipso, nam nec ego scio, an sim in gratia, & ipse sua malitia est malus, *Lugo* num. 142, & dictum est Lib.2.n.178. Si autem sit rationis impos, v.g. ebrius, & simul in mortali, *Pont.* apud *Dian.* P.8. T.6. R.52. dicit me ex Charitate teneri admittere mortem, si credam me in gratia Dei esse, *Lugo* num. 143. & *Gob.* in *Quin.* T.5.c.19.S.1.Q.3. dicunt me tum teneri, si moraliter certus sim me esse in gratia, & ipsum esse in mortali; negant autem teneri, si de altero non sit certitudo: Et de hoc etiam dictum est L.2. n.178. Addit *Gob.* at cum *Less.* & *Tanner.* posse occidere talem aggressorem, quamvis ab eo non timeretur mors, sed sola enormis mutilatio, quia hæc inter gravissima mala numeratur: de hoc tamen vide *Vind.* *Gob.* P.2. Prop.10. à n.8. Si dicas impotem rationis non esse *injustum aggressorem*, cum non peccet. R. Per *injustum aggressorem* hic intelligi eum, qui ex parte causæ est injustus, quia scilicet me sine justa causa vult occidere, quamvis non sit injustus ex parte sua, uti rectè notat *Arrag.* in *Vind.* *Gob.* n.4, quas vide.

§. 3. Innocens, qui ad mortem capiendus est 815
 à satellitibus scientibus ipsius innocentiam, potest se defendere, etiam, si opus sit, occidendo satellites: Si tamen hi nescirent eum esse innocentem, uti communiter scire non possunt, non possunt eos occidere, quia bonum commune postulat, ut non inferatur damnum Ministris bonæ fidei publicum officium exercentibus, *Molin.* *Dicast.*
 &

& alii cum Steph. T. 4. D. 5. n. 10. Nonnemo apud Da
suprà dicit etiam incarceratum, si sciat se innocen
tem, posse occidere custodes carceris, ut evadat
si alioqui erat injustè plectendus, sed rectè contra
dicunt alii communiter cum *Lugo* D. 40. Sect. 4.

816 §. 4. An bannitus possit se defendere & aggre
sorem occidere, disputant Auctores, *Clarus* & alii
affirmant, quia utitur Jure naturali defensionis
reliqui communissimè & meriò negant cum *Lo*
Lib. 3. T. 3. P. 3. c. 2. n. 3, tum quia per autoritatem
publicam privatur Jure defensionis, tum etiam
quia alioquin illi, qui ad supplicium educuntur,
etiam possent se defendere & carnificem occidere,
ut evaderent, tum denique, quia sic dari posset bellum
ex utraque parte formaliter justum seclusà igno
rantia, quod omnes negant. Vide dicenda n. 817.

817 §. 5. Sagæ possunt verberibus & tormentis cogi
ad omittendum vel ad tollendum maleficium,
Lugo d. 10. n. 162; imò *Bon.* & alii volunt occidi posse
quia injustè aggrediuntur: *Bonaesp.* de Just. d. 19. n. 23.
limitat, si moraliter certum sit esse sagam, & constet
si supervivat, esse continuaturam damna, sed
cùm hæc constare non possint, & damna aliter
per autoritatem publicam possint imitari,
dicendum est nunquam licere occidere, sed
rem deferendam ad Superiores.

818 §. 6. Si quis mihi struat insidias, ita ut manus ejus
tandem non sim evasurus, nisi è Patria profugiam,
non videtur licitum jam occidere, quia necdum est
actu aggressor, poteritque mutari voluntas male
ficia. Videri tamen potest *Lugo* à num. 155.

819 §. 7. Si dubites de mala intentione alterius, qui
videtur velle aggredi, quamvis essent vehementia
indicia, non est licitum eum occidere, *Molin.*
Lugo num. 152; & ratio patet, quia alter est

in certa possessione suæ vitæ , à qua non debet deijci per tuum dubium ; imò nec per probabilitatem de mala intentione: posses tamen admonere, ne quid moliretur , & facere præcautionem, quanta necessaria esset ad excludendum malum, si ingrueret.

§. 8. Circa defensionem etiam occisivam bonorum tertii contra injustum invasorem, Lugo S. 11. cum aliis tenet seqq. 1. Etiam si ipse tertius absit, licetè defendo ipsius res , sicuti ipsemet posset, si adesset. 2. Idem possum, licet ipse permittat injuriam , quia adhuc est damnum injustum alicujus mihi per Charitatem connexi ; si tamen positivè consentiret , jam aggressor non esset injustus, adeoque deberem & ego permittere. 3. Idem possum, licet iste tertius prius fuerit nocens, dummodo jam innocenter patiatur injustam invasionem. 4. Si abique gravi incommodo possim, teneor ita defendere tertium innocentem, nam Cap. *Dilecto*, de sentent. excommunic. dicitur: *Cum liceat cuilibet, suo vicino vel Proximo pro repellenda ipsius injuria suum impertiri auxilium, imò si potest, & negligit, videatur injuriantem fovere ac esse particeps ejus culpæ, &c.* Pro qua sententia plurimos citat *Barbos.* in Collect. ad Can. *Non inferenda*, 23. Q. 3. n. 2. Quod si ille tertius per injuriantem conjiciatur in extremam necessitatem, observanda sunt illa, quæ Lib. 2. num. 201. diximus : Si autem non aliter tertium defendere possem, quam occidendo invasorem, si hic invadat sola bona externa , dicunt *Molin. & Bonac.* me, quamvis possim, non teneri occidere ; si autem invadat vitam , dicunt me teneri occidere pro defendenda vita tertii, sed contradicunt alii, nam

nam ipsemet tertius non teneretur occidere in-
 vasorem, uti dictum est n. 813; & ratio hic præterea
 est, quia uterque est mihi æqualiter proximus, &
 in vasor adhuc est in majore periculo salutis, ergo
 Caritas suadet, ut illi potius parcam, intelligi
 tamen hæc (per se loquendo) nam si in vasor
 in vasus esset Reip. necessarius, aut mihi proximus
 conjunctus, posset esse ratio præferendi unum
 alteri; quisnam autem ex officio teneatur de-
 dere innocentem, & an teneatur etiam cum peri-
 culo suæ vitæ, videri potest *Lugo* à n. 216.

821

§. 9. Probabile est nunquam licere privato
 directè intendere mortem alterius, ita *S. Th.* 2. 2.
 q. 64. a. 7. ad 1. *Cajet.* & alii cum *Steph.* supra n. 216.
 Ratio est, quia talis agit ultra moderamen inco-
 patæ tutelæ, nam finè illa directà intentione possit
 se sufficienter tueri intendendo tantùm defensionem
 suam. *Nec refert*, quòd in eo casu licitum est
 inferre mortem, nam licitum est inferre, non intendo
 directè mortem, quia occisio per se & directè
 intenta ab homine privato est illicita, sed intendo
 defensionem suam, ad quam sequitur occisio
 & mors alterius. *Si in stes*: Cui finis est licitum
 illi est licitum intendere medium, quod ad finem
 est necessarium, defensio autem est finis, & ad
 medium necessarium est occisio aggressoris, ergo
 licet. Occisio non est propriè medium, nam defensio
 est prius, quia enim me defendo, ideo occisio
 licet autem duo sint connexa, non ideo sententia
 intendens unum intendo alterum, sic est
 pater intendit generationem filii, non tamen
 peccatum originale illi connexum. Oppositè
 tamen sententia plurimorum, quos referunt
 sequuntur *Lesf.* Lib. 2. c. 9. n. 53. *Dian.* P. 5. T. 4. R. 1.
Lugo num. 149. est communior & satis probabili

ob rationes jam insinuaras, aliasque apud Navar.
in Man. c. 15. n. 2. Et Molin. Tract. 3. Disp. 1.

DUBIUM IV.

An aliquando liceat occidere innocentem.

Resp. Directâ intentione, & scienter, nunquam
licet; nisi DEUS omnis vitæ Dominus
concedat: indirectè autem, & per accidens,
aliquando licet, utendo nimirum suo Jure &
dando operam rei licitæ, & necessariæ, ac
tanti momenti, ut vitæ æquivaleat. S. Thomas
& Doctores communiter. Unde resolves:

I. Si Tyrannus minetur urbi excidium,
nisi innocens occidatur, id non licet directè:
Neque valet, sicut membrum licet abscindere
pro salute corporis, ita & civem pro Republica,
quia homo est tantum pars moralis Reipublicæ,
à qua non accipit esse & vivere, sicut membrum
corporis à corpore. Molin. Tom. 4. Tract. 3. Disp. 10.
Lefs. L. 2. c. 9. D. 7. Fill. & c.

II. Potest tamen Respublica eo casu talem
cogere, ut Tyrannum adeat, & si nolit, tradere;
cùm ex charitate & Justitia legali teneatur vitam
exponere pro Republica; unde si id renuat, fit
innocens. Neque hoc erit cooperari ejus morti, sed
tantum permittere, cùm traditio de se sit indiffe-
rens, & mors tantum sequatur indirectè &
præter intentionem Reip. Molin. Lefs. II. cc. cc.
Fill. Tr. 29. n. II. Laym. & c. Limitat Lugo d. 10. S. 4.
si innocens sit subditus, vel peregrinus teneatur
mori pro Republica aliena.

III. Si fugere non possis mortem, persequente
hoste, nisi per viam angustam, quâ quispiam
istic sedens esset obterendus, licet nihilominus

» (dummodo tamen, si infans est, sit baptizatus
 » ut monet *Lugo & Escob. Ex. 7. c. 8.*) fugere cum e
 » periculo, & interitu, præter tuam intentionem
 » *Lefs. num. 59. Fill. num. 36.*

» IV. Similiter ad expugnandam urbem, &
 » ad victoriam reportandam, si necessarium
 » licet tormenta in eum locum dirigere, ut
 » multi sunt innocentes: quia horum mor
 » præter intentionem sequetur. *Lefs. l. c.*

» V. Non licet occidere obsides, etii, qui eos mis
 » runt, non servent fidem: quia sunt innocentes
 » *Bonac. T. 2. D. 2. Q. ult. Sect. 1. P. 7. Dian. P. 5. T. 4. R. 1.*
 » contra *Azor & c.*

» *Quares*: An aliquando liceat procurare
 » abortum.

» *Resp.* Quicumque malitiosè in se vel in altero
 » curat abortum, peccat graviter, siue foetus
 » animatus, quia est verum homicidium; siue non
 » quia tendit ad occisionem hominis, & est
 » contra naturam generationis, *Lefs. n. 61.* Si tamen
 » ad vitam matri conservandam omnino
 » necessarium, sequentes Regulæ tenentur.
 » Si foetus mortem matri allaturus, probabiliter
 » necdum sit animatus animâ rationali, (ante
 » mari autem communiter ajunt, marem de
 » quadragesimo, foemellas verò octogesimo
 » quæ res valde incerta est) quidam permittunt
 » etiam directâ intentione expelli, ut *Sanch. Lib. 1. C. 1.*
 » *de Matrim. D. 20. n. 9. & 10. Henriq. & c. contra Lugo*
 » *D. 16. & alios*, quorum sententia in præ
 » suadenda est: quorsum enim directè expelli
 » cum indirectè liceat & sufficiat. 2. Si verò foetus
 » sit animatus, materque judicetur mortua
 » cum prole, nisi medicinam sumat, licet eam
 » sumere, & (secundum quosdam) tenentur
 » inter

intendendo directè suam tantùm sanitatem, & etsi indirectè, ac consequenter destruatür fœtus: quia in pari necessitate mater potest magis prospicere sibi, quàm proli. 3. Si verò cum morte matris, spes vitæ & Baptismi prolis affulgeat, tenetur mater (secundùm plerosque) sub mortali abstinere ob omni remedio destructivo prolis: quia tenetur vitam corporalem exponere pro extrema necessitate spiritali infantis. Contra-rium tamen docet *Lud. Lopez*, quod *Sa v. Charitas* dicit esse probabile. *v. Less. l. c. Sa, Fil. T. 29. c. 6. q. 1. Bonac. T. 3. n. 3.*

A D D E N D A.

Q. 182. Quid circa abortum sit dicendum. R. 823

Innocentius XI. damnavit sequentes prop. 34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur. 35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali, & tunc primùm incipere eam habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

Circa has damnationes notanda sunt seqq.

§. 1. Certum est, quòd non liceat procurare abortum fœtus inanimati, ne puella occidatur aut infametur; probat hoc, etiam præscindendo à damnatione propositionis jam relatæ, *Carden. in 1. Cris. D. 14. c. 3*, quia semper est periculum homicidii, nam incertissimum est, quando nam fœtus animetur, quidam enim gravissimi Auctores cum *Fiens* dicunt quandoque primâ, quandoque secundâ vel tertiâ die animari: postea tamen *idem Carden. in 2. Cris. D. 22. n. 6.* dicit certum videri, quòd anima rationalis priùs infundatur, postquam corpus per præcipua organa est dispositum,

Hh2

quod

quod etiam putat *Schild.* T. 6. c. 2, quidquid sit de hoc, de quo videri possunt varia sententia apud *Delbene* de Immunit. Eccl. c. 2. D. 4. S. 20. à n. 16. Et dato, quod foetus prius animetur circa trigesimum diem, certum tamen manet nullo casu licitum esse procurare directè talem abortum, licet sciretur, quod foetus necdum sit animatus. Ratio est, quia nullo casu licita est pollutio directè quaesita, ergo multò minùs abortus: Consequentià demonstrant *Less.* de Justit. Lib. 2. c. 9. n. 61. & *Moya* T. 6. d. 3. Q. 4, tum quia abortus longè magis est contra finem naturæ, cum destruat duplex semen & inchoatam generationem, tum etiam quia semen, ejusque operatio non tam ordinatur ad bonum individui, quàm ad conservationem totius speciei, cujus bono cedere debet bonum privati, est autem ad destructionem speciei, si extra vas fundatur semen, ergo.

324 §. 2. Etiam si tota aliqua Communitas debere pati infamiam vel extremam everfionem, adhuc illicitum est directè procurare abortum foetus, etiam inanimati, ob rationem jam datam, *Carden.* n. 33, hinc quamvis puella vim ab aliquo patiente possit repellere semen, ne immittatur, eò quod hoc semen tum sit injustus aggressor suæ virginitatis, uti docent *Sanch.* & alii cum *Carden.* num. 4. si tamen immisum sit, jam desit esse aggressor, & ipsa violata est virginitas, ideòque illicitum est expellere, *Carden.* n. 39. & 60; similiter notat *Lag.* de Justit. D. 10. num. 126. peccasse uxoratam, quod ut impediret graves dolores à semine virili cautos, componebat se tali situ, quo semen efflueret, nam sic directè intendebat effusionem seminis, tanquam medium levandi dolorem. Vide dicendum num. 928.

§. 3. *Sanch.* de Matrim. L. 9. D. 20. c. 9. citans alios, 825
 docet licitam esse etiam directam expulsionem
 foetus inanimati, propter quem alioquin moritura
 esset mater; rationem dat, quia talis foetus est
 aggressor vitæ, qualis non est, si mater aliunde
 deberet occidi vel infamari, quia esset gravida,
 hæc enim occisio esset foetui per accidens; deinde
 hic foetus est talis aggressor, qui deservire
 non potest fini naturæ, nempe propagationi
 generis humani, mortuâ enim matre non nascetur
 homo; aliud iterum est, si foetus esset animatus,
 tum enim mortuâ matre adhuc posset vivere,
 baptizari & salvari. Hæc sententia à multis judi-
 catur probabilis, opposita tamen est absolute
 tenenda cum *Lugo* à num. 130. & *Delbene* à n. 27,
 ob rationem jam datam, quia aliàs pro salvanda
 vita etiam licitum esset directè procurare pollu-
 tionem, quod omnes negant. Vide *Delbene*.

§. 4. Licitum est matri de vita periclitanti 826
 assumere medicamenta pro sanitate, v.g. balneum,
 emissionem sanguinis, quamvis hæc indirectè
 cedant in occisionem foetus etiam animati, uti
 cum aliis multis docent *Sanch.* num. 34. *Lugo* n. 55.
Delbene n. 67; si tamen medicina non aliter
 conduceret ad sanitatem matris, nisi quatenus
 expelleret foetum, illicitum esset sumere, quia
 directè intenderetur expulsio foetus tanquam
 medium sanitatis, quod intrinsecè malum est,
 hinc debet medicina habere alium effectum
 in ordine ad sanitatem, *Lugo* n. 132. Addit *Delb.* n. 71.
 cum *S. Antonin. Nav.* & aliis contra *Cordub.* & *Lopez*,
 si foetus credatur vivus, posse excindi ex matre
 mortua, & baptizandus, fore illicitum uti
 tali medicamento pro salvanda vita matris, quia

ordo Charitatis postulat, ut spiritualis vita scetus
preferatur vitæ corporali matris : aliud esse dicitur
si valde probabile esset utrumque nihilominus
moriturum. Vide illum à n.72.

827 §. 5. Extra casum, quo ex morbo periclitatur
vita matris, non est licitum sumere medicamenta
indirectè tendentia ad expulsionem scetus etiam
inanimati, quamvis matri immineret infamia vel
mors ab extrinseco inferenda, *Carden. n.64.* Ratio
disparitatis est, quia in hoc postremo casu directè
intenditur & procuratur abortus ad vitandam
infamiam vel mortem, tale enim medicamentum
per se directè nihil facit ad impediendam
infamiam vel mortem ab extrinseco inferendam,
nisi per expulsionem scetus velut medium, ergo
directè intenditur expulsio scetus, ut vitetur
infamia vel mors, quod damnatum est : è contra
in priore casu per medicamentum directè pro-
curatur sanitas & conservatio vitæ alioqui ab intrin-
seco vitio perituræ, ad quam conservandam mater
Jus habet, occisio autem prolis accidit indirectè
& præter intentionem.

828 §. 6. Prorsus improbabile est, quòd foetus prius
animetur, quando nascitur, nam *Luca 1.*
Joannes Baptista dicitur exultasse in utero &
fuisse repletus Spiritu Sancto; item *Genesis 25.* dicitur,
quòd Esau & Jacob in utero colliti sint se
pugnauerint, & pro eodem tempore vocantur
parvuli, ergo erant individua humana.

829 §. 7. Quamvis probabile esset, quòd foetus prius
accipiat animam rationalem, quando nascitur,
tamen adhuc certum est committi homicidium
in aliquo abortu, quia certum est esse saltem
probabile, quòd foetus aliquis in utero animetur,
ergo si quis eum occidat, exponit se periculo
mortalis

morali & proximo occidendi foetum animatum, ergo committit homicidium, non aliter ac ille, qui explodit in hominem à longè visum, dubitans an sit homo vel fera, *Carden. n. 74.*

§. 8. Procurans abortum foetis animati incurrit ⁸³⁰ excommunicationem & irregularitatem, uti L. 7. dicitur: potestque videri *Lugo in Resp. Mor. L. 2. q. 4.* Quinam autem docuerint saltem probabile esse, quòd liceat propter vitam vel famam procurare abortum, videri potest apud *Dian. P. 6. T. 8. R. 37.* Et apud *Moyam* supra.

Q. 183. Si quis cum bestia se miscuerit, an licitum sit ⁸³¹ bestiam mactare. R. Licitum esse, ita *Gobat in Exp. T. 2. n. 278.* Ratio est, quia Judices solent mandare, ut bestia cum malefactoribus comburantur, nec timent mortem foetis, quia rarissimè fit, ut pecudes ex tali semine concipiant.

Q. 184. Si iniquus aggressor objiciat infantem ⁸³² quasi pro scuto, ut post illum tutus sit & me occidat, an possim infantem illum occidere, si aliter neque anim aggressoris retundere. R. Possum, ita *Bonac. Lugo de Justit. D. 10. n. 124. Tamb. Lib. 6. c. 1. §. 1. n. 12. Lesf. de Justit. L. 2. c. 9. n. 57. & alii.* Ratio est, quia Jus habeo vitam meam defendendi contra injustum aggressorem, quod Jus non amitto ex illa infantis interpositione, ergo per illum infantem possum aggressorem injustum petere: notat tamen rectè *Lugo num. 125.* mortem infantis non posse directè intendi, nequidè ut medium occidendi transgressoris, uti non licet velle occisionem infantum, ut Parentes cogantur urbem obsessam dedere, nec intendere pollutionem aut sumere medicinam de se causativam illius, ut sic consulas sanitati tuæ, talis enim directa intentio est de objecto intrinsecè malo, adeoque semper illicita.

Hh 4

Q. 185.

833

Q. 185. *An fœmina & pueri innocentes emissi ex urbe obsessa, possint ab obsidentibus repelli in urbem, in qua vitæ periculum subibunt.* R. *Lugo n. 116.* non probat hoc uniuersim, quamvis eo fine fiat, ut consumptis frugibus urbs cogatur citius se dedere, quia egressi urbe jam acquisiverant statum meliorem, à quo injustè deiciuntur, & re ipsa directè vexantur in eum finem, ut alii firmi vexentur, nunquam autem licitum est id assumere ad nocendū hosti, quod ad eum finem non est utile, nisi quatenus innocentem lædit: non licere autem tales egressos fame enecare, dicitur n. 887. An Judex possit innocentem condemnare, si probetur esse nocens; aut debeat nocentem dimittere, si probetur esse innocens, dicitur Lib. IV. n. 1469.

DUBIUM V.

De Duello & Bello.

ARTICULUS I.

Quid sit & an liceat Duellum.

- 834 **R** *Esp.* Duellum est duorum (vel subinde etiam plurium) certamen, quod ex condictione uno indicente, & altero acceptante, suscipitur; ita ut id non sit vitam defendere, sed expere nere periculo. Quod etsi communiter sit mortale peccatum, licitum tamen est ex justa causa, quae semper est attendenda, *vid. Trident. Sess. 25. c. 19. de Reformat. Sanch. 2. Moral. c. 39.* Item de pena duellantium, *v. infra de Excommun. & Sanch. l. c.*
Unde resolves:
 I. Duellum non est licitum ad indagandam

veritatem, vel justitiam, vel purgationem objecti
 criminis, aut litem terminandam, quia est fallax,
 imò superstitiosum medium ad eum finem,
 cum etiam innocens, homicidium & facere,
 & pati possit. *Trull. L. 5. Cap. 2. D. 13. num. 2.*

II. Nec ob inimicitias, aut ad injuriam vindi-
 candam, neque ob solam ostentationem virium
 aut propter delectationem.

III. Nec item ad evitandam ignominiam, quia
 apud bonos & prudentes honorem non perdit;
 imò nec apud alios, si provocanti dicat, se eum
 non æstimare dignum, cum quo congregiatur
 contra Leges divinas & humanas. Interim
 iturum se indies liberè suas vias, paratùmque
 semper fore, & nunc esse, contra quemvis inva-
 forem se tueri. *Trull. num. 4.*

IV. Duellum licet acceptare vel offerre ad con-
 servandam æstimatione exercitûs apud hostem,
 eosque debilitandos: vel ad terminandum bellum
 cum minore damno, v. *Sanch l. c.*

V. Acceptare item licet, si quis aliàs te occisurus,
 concedat tamen arma, ut sic fortunam experiaris;
 quia est tantùm defensio, positòque, quòd aliter
 non possis evadere. Similiter, si Judex duos
 ad mortem damnatos vellet duello congregi,
 quia alter alterius esset constitutus Minister
 Justitiæ. *Trull. loc. cit.*

VI. Denique si vir nobilis in Aula Regia vel
 militaris in castris, provocatus sisteret se meræ
 defensionis gratiâ, cum spe prævalendi, privandus
 alioqui, ob suspicionem ignaviæ, dignitate,
 officio, vel favore Principis, non audet eum
 damnare *Laym. L. 3. T. 3. P. 3. c. 5.* eundem excusat
Hurtad. 2. 2. D. 170. S. 8. §. 76. Nav. c. 15. Vide Lesf. L. 2. c.
c. 9. D. 8. Fill. T. 29. à num. 145.

H 15

ADDENDA.

335 Q. 186. *An sit licitum acceptare duellum.*
 Non esse, nam *Alexander VII.* damnavit
 hanc secundam prop. *Vir Equestris ad duellum*
provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam
apud alios incurrat. De qua damnatione videtur
 potest *Du Bois* super propositiones illas, ubi doctus
 ejus falsitatem ostendit: Nobis satis est scire, quod
 non liceat acceptare duellum, quamvis provocatus
 esset extremam infamiam passurus, quia tale duel-
 lum directè acceptare est intrinsecè malum, &
 sola est apprehensio mundanorum hominum,
 quod tanta ex illo oriatur ignominia, nam
 quivis prudens approbare debet, si non acceptet,
 præsertim post tot prohibitiones, uti pluribus
 deducit *Mendo D. 1. Q. 21. §. 2*; sed dato verè periculi-
 tari honorem, non ideo licitum est vitam alienam
 aggredi aut suam exponere periculo, quia
 utriusque vita est bonum, cujus solus DEUS est
 Dominus, sumus autem domini honoris nostri,
 cui tenemur cedere, ne violemus Jus Dei.

365 Q. 187. *An duellum liceat ultra casus à Busenbapum*
notatos. R. Aliqui affirmant, nam,
 §. I. Si raptor vel latro dicat, auferam à te
 hæc pretiosa bona, nisi duelles mecum, *Sanch. Lib.*
c. 39. n. 7. Tamb. Lib. 6. c. 1. §. 3. n. 17. Steph. T. 3. D. 3. n. 60.
 citans plures, item alii cum *Dian. P. 5. T. 13. R. 27.*
 dicunt te posse acceptare duellum, si aliter res tuas
 servare non possis, quia hæc tantùm est defensio
 honorum suorum contra injustum aggressorem;
 sed hoc tantùm videtur verum esse pro eo casu,
 in quo statim pugnandum esset, quando raptor
 aggreditur, ex condicto enim alio tempore & loco
 velle comparere non videtur necessarium ad res
 suas tuendas, sed satis est resistere, quando invadet,

& occidere, si aliter servare non possis. Similiter si quis diceret, te statim occidam, nisi cras mecum illo loco duelles, non videtur licitum tale duellum acceptare, sed licitum esset dicere se defensurum cras & semper vitam, si quis aggrediatur: quo responso si non acquiescat alter, sed occidere velit, licebit se, etiam alterum occidendo, defendere.

§. 2. Si aliter non posses salvare vitam, quam 837 provocando ad duellum, putant *Sanch.* supra, *Dicast.* de Justit. Lib. 2. T. 1. D. 10. D. 15. N. 217. aliique apud *Tamb.* & cum *Dian.* supra, te posse provocare, quia etiam hoc videtur esse tantum justa defensio vitæ tuæ; sed *contradest*, quia vitam tueri potes defendendo, si imperaris, neque ad hoc opus est provocare in aliud tempus & locum, in quo non impeteris: quod si jam arma tibi deessent, posses provocare aggressorem pro alio tempore, non velut ad duellum, sed ad æqualitatem armorum habendam, quâ habitâ tantum poteris te defendere.

§. 3. Si duellum inter duos milites hostilium 838 exercituum non ordinetur ad robur hostium imminuendum, sed ad delectationem vel vanam ostentationem, duellum est illicitum, quia nefas est rem tam atrocem suscipere ob tam vanum finem: Si tamen ab uno eo fine oblatum, ab altero ideo acceptaretur, ne hi milites dimitterent animos, ex hac parte non esset illicitum, *Sanch.* n. 14, qui n. 19. notat, si duo ex pacto ita in arenam descenderent, neminem debere succurrere huic vel illi, quamvis enim unus injustè duellet, tamen bonum commune, quod præferendum est, postulat fidem servari hostibus: Si tamen quis in alio duello videret innocentem se vel sua bona justè defendentem succumbere, circumstantes tenerentur huic

huic succurrere, uti tenent *Sanch. & alii*, & patet ex dictis n. 820.

839 §. 4. Si Judex mandet, ut duo Rei mortis duellant ad dandum spectaculum vel recreationem spectatoribus, peccat quidem Judex secundum dicenda L. 4. n. 1497. Et in eis circumstantiis putant aliqui cum *Burgh. Cent. 2. Cas. 13.* Reos non posse acceptare tale duellum, quia non imperant auctoritate legitimâ, sed *Nuv. Azor, Lesf. Laym. L. 4. T. 3. P. 3. c. 5. n. 1. Castrop. T. 6. D. 5. P. 7. N. 12.* melius contrarium affirmant, licet enim Judex peccet, per hoc non tollitur ipsi Jurisdictio seu potestas hunc & illum statuendi Ministrum Justitiæ, ideoque licet modus utendi auctoritate suâ non sit legitimus, auctoritas tamen est quoad substantiam legitima & Præceptum validum, singuli autem pugnant ob spem vitæ conservandæ, si vincant.

840 §. 5. *Dian. P. 2. T. 6. R. 53. Et P. 3. T. 6. R. 1. Escob. T. 1. Exam. 7. c. 3. n. 66. Basf. v. Duellum. n. 9. Fill. T. 15. n. 119. Bonac. T. 3. D. 2. Q. 3. P. 8. N. 14. & alii* etiam excusant eos, qui provocant vel acceptant duellum, quando certi sunt non secuturam pugnam, aut peragendam sine gravi utrimque incommodo, quia nempe non intendunt occisionem alterius, & sibi cavere possunt, ne occidantur: Idem dicunt, si sciant impediendam esse pugnam, aut ipsi inter se convenerint, quod permittent se impediri, postquam strinxerint gladios & leves ictus sine periculo contorserint, ut sic salvent honorem suum; sed res illa in praxi non habet locum, quin semper aderit scandalum apud eos, qui putant serium esse: item semper aderit quidam contemptus Legis Ecclesiasticæ, quæ etiam talia ficta duella prohibet tanquam scandalosa & occasiones aliorum duellorum, hinc illicitum est sic simulat

inire duellum, præsertim cum aliter salvari possit honor, ita *Mendo D.I. Q. 21. N. 270.*

§. 6. Si opponendo prohibitionem ex Jure 841 naturali, divino & humano, adhuc non satis sit consultum honori, putant *Vidal. & Caramuel* apud *Steph. n. 61.* licitum esse duellum in illa actuali aggressione honoris, ut sic defendatur, sed oppositum est tenendum, quia honor non censetur æquiparandus vitæ alienæ ob rationes num. 800. datas; licitum tamen erit sic dicere, etiam gladium manu apprehendendo, ego hoc ense contra te me defendam, ubicunque me petiveris, quod hic, si me aggressus fueris, præstabo, exire autem ad locum condictum non est hominis Christiani, sed contra Legem Naturæ, Dei & Ecclesiæ, ita *Hurtad. Mendo* aliique.

§. 7. Non est licitum provocato exire ad locum 842 à provocante designatum, licet in animo haberet non pugnare, nisi invaderetur, adeoque tantum intenderet se defendere, quia quamvis exire ad talem locum de se sit actio indifferens, tamen in his circumstantiis esset directe se exponere periculo morali duellandi, adeoque tollendi vitam alienam aut amittendi propriam, *Mendo* num. 267.

Q. 188. Quale sit illud duellum, quod ab Ecclesia 8 sub pœnis prohibetur. R. Duellum dicitur quasi duorum bellum, & alio nomine vocatur *Monomachia*, quia est solius cum solo pugna, estque tum sub pœnis Ecclesiasticis prohibitum, si sit ejusmodi singulare certamen, & quidem grave, ex privatis causis inter duos vel plures institutum ex condicto, designato tempore & loco, *Sanch. Bonac. Regin. L. 21. n. 73. Basf. v. Duellum*: hinc inferuntur seqq. cum *Tamb. Lib. 6. c. 1. §. 3. à n. 8.*

§. 1.

§. I. Pugna, quæ fit finè armis aptis ad graviter vulnerandum, ut si fiat levi baculo, pugnis, evulsione capillorum, non est tale duellum, quia non est certamen grave.

844 §. 2. Si duo subito in iram & rixam verò gladios extrahant, & in loco pugnent, etiam non est tale duellum, quia est ipsamet rixa, non autem certamen ex condicto, neque designato loco & tempore, ita omnes communitur cum *Sanch. L. 2. c. 39. n. 18*. Idem est, si vel locus vel tempus non designetur, requiritur enim designatio & loci & temporis copulativè, *Bonac. aliique cum Diana P. 5. T. 13. R. 59.*

845 §. 3. Si in hoc loco pugnant, ex eodem calore & impetu exeant ad alium locum, ibique gladiis pugnam prosequantur; item si sint in templo vel in domo aliqua, ubi ob reverentiam vel periculum loci non audeant pugnare, & alter dicat, exeamus, sicque eant & pugnent, docent *Tambur. aliique apud Dianam P. 3. T. 6. R. 1. & P. 6. T. 6. R. 21.* non est duellum sub poenis prohibitum, tum quia non fit designato tempore & loco, tum etiam quia est adhuc prima rixa, uti rectè *Bonaspèi* cum aliis apud *Steph. T. 3. D. 3. n. 58*; si tamen dum simul in Ecclesia vel loco alio recusant pugnare, non ob reverentiam vel periculum, sed exeant, vel alter ad alterum dicat, exeamus, ut possint libertè & meliùs pugnare, *Sanch. aliique apud Dian. supra* docent fore duellum, quia condicitur locus & tempus saltem sub aliqua indeterminatione: alii tamen negant, quod & probabile dicit *Lexic. v. Duellum. n. 3*, tum quia non condicitur locus & tempus determinatè, quod hic requiri videtur, uti docet *Castrop. T. 6. D. 5. P. 7. n. 18*, cum odiosa sint strictè interpretanda, tum etiam quia in hoc casu non

non est conventio ad pugnam, sed est una moraliter actio, quæ est rixa præsens & pugna; unde *Dian. supra* & *Bonæspei de Charit. D. 8. n. 145.* dicunt, si conventio ad pugnam fiat in rixa, ex eodem calore, etiamsi eant ad alium locum, si non intercedat spatium temporis, quo pugnantem se ad actus extraneos ab ipsa pugna diversos convertant, non esse duellum sub pœnis prohibitum, quia non est pugna ex condicto, sed ipsa conditio est moraliter pugna, quæ oritur ex rixâ adhuc durante. Addit cum aliis *Dian. P. 6. supra*, si pugna sequatur eodem die, quo facta fuit rixa & conventio, credi posse, quod commissa sit ex eodem calore iracundiæ; sed id universaliter non est verum, nam potuit ira prior deferbuisse, & pugna jam ex condicto esse resumpta.

§. 4. Si duò priùs verbis vel pugnis certent, & uterque domum currens arma arripiat redeatque ad eundem locum & pugnet, non est duellum sub pœnis prohibitum, uti tenent plures apud *Dia. supra*, quia pugna non est ex condicto, sed ex rixa: item si quis dicat, tecum pugnabo primâ vice, quâ per urbem tibi obvius fuero, licet id acceptet alter, *Tambur. n. 11.* aliique cum *Diana P. 5. T. 13. R. 59.* contra *Bonac.* dicunt adhuc non fore duellum, quia neque tota urbs est locus determinatus, neque ex eo, quod dicatur, primâ vice, designatur aliquod certum tempus: Si autem alter dicat, hic expecta, donec veniam, sumensque domi arma redeat; vel si dicat, hic expecto, donec tu cum armis huc redeas; vel, exi domo tuâ, hic in via expecto; vel, provoco ad pugnam, quocunque loco mihi occurreris, dubium est, an futura sint duella sub pœnis prohibita, alii cum *Sanch. supra* affirmant, alii apud *Dian. & Tamburin.* negant

ob

ob rationes pro hac & illa parte antea infinuatas
 Dixi semper, non esse duellum tale, aut sub pœnis
 sic prohibitū, nam omne duellum privatā autori-
 tate factum illicitum est, cū enim duellantes
 vitam suam exponant periculo, tribuuntque Jus
 vitæ suæ alteri, & vicissim velint tribui tibi Jus
 in vitam alterius, agunt imprimis contra Jus,
 quod solus Deus habet in vitam omnium, deinde
 agunt etiam contra Charitatem sibi & Proximo
 debitam, ideóque semper peccant mortaliter.

347 Q. 189. *Quæ sint pœnæ statuta ratione duellorum
 & quinam eas incurrant.* R. Eas accuratè enume-
 rant *Sanct. L. 2. c. 39. à n. 18. & Regin. in Praxi L. 2. c. 39.*
 Atque imprimis *Trid. Sess. 25. c. 19. de Ref.* sic habet:
*Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo
 introductus, ut cruentâ corporum morte animarum
 etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus
 exterminetur, Imperator, Reges, Duces, Principes,
 Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine
 Domini temporales, qui locum ad Monomachiam
 in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso
 sint excommunicati ac Jurisdictione & dominio
 civitatis, castri aut loci, in quo vel apud quem
 duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obvenit
 privati intelligantur; & si feudalia sint, directis Dominis
 statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint
 qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis ac
 omnium suorum proscriptionis ac perpetua infamie
 pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta sacros Canones
 puniri debeant, & si in ipso conflictu decesserint,
 perpetuò careant Ecclesiasticâ Sepulturâ: Illi etiam
 qui consilium in causa duelli tam in Jure quàm facti
 dederint, aut aliâ quâcunque ratione ad id quemquam
 suaserint, nec non spectatores, excommunicantur
 ac perpetua maledictionis vinculo teneantur.*

non obstante quocumque privilegio seu pravâ consuetudine, etiam in memorabili. Hæc postea renovavit Pius IV: præterea Gregorius XIII. & Clemens VIII. eandem pœnam extenderunt ad quælibet duella privata, & absolutionem à censura Sedi Apostolicæ reservavit idem Clemens: denique ex c. De Clericis pugnantibus in duello, docet Regin. n. 77. omnes, qui præcipiunt, consulunt, defendunt pugnantem in eo, si homicidium vel mutilatio sequatur, esse irregulares. Circa hæc tamen nonnulla sunt annotanda.

§. I. Excommunicatio, quæ incurritur, est 848
lata sententiæ, uti cum communi *Suar. & Sanch.* n. 26, incurrunt autem eam omnes, qui duellant, provocant vel acceptant duellum, instigant, dant consilium, arma ministrant, favent, sunt patrini seu secundantes: item Principes vel Domini territorii, qui duellum inter Christianos permittunt, qui non puniunt duellum, qui aspiciunt: Clerici autem duellantes vel acceptantes duellum Jure communi antiquo etiam suspenduntur ab officio, Jure autem novo Pii IV. si etiam tantum instigent, faveant, promoveant &c, præter excommunicationem etiam incurrunt privationem omnium dignitatum, beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum, fiuntque inhabiles ad illa & alia in posterum obtinenda, uti refert *Sanch.* num. 19; Sannig tamen in Jus Can. L. 5. T. 14. n. 4. citans *Suar. & Pirh.* dicit pœnas illas speciales concernentes Statum Clericalem non incurri à Clericis provocantibus & actu non duellantibus: denique Clemens VIII. civitates, oppida vel terras, in quibus Principes vel Domini expressè aut tacitè duella permittent, ipso facto subjicit Interdicto,

Ii quod

quod relaxare possit solus Papa : sed circa hæc iterum aliqua magis sunt explicanda.

849 §. II. Si quis tantum provocet vel acceptet, & postea non sequatur pugna, *Hurtad.* apud *Dian. P. T. 14. R. 102.* dicit etiam post Bullam *Clementis VIII.* non incurrere poenas, sed omnino dicendum est cum *Bonac. Fill. Esc. Tamb. & aliis* communissimè, quòd incurrat, sic enim habent expressa verba *Clementis* apud *Dianam* : imò inde etiam ostenditur, quòd sola provocatio, quamvis non sequatur acceptatio, fit prohibita sub excommunicatione reservata, si enim incurrit instigans, multò magis provocans, & de utroque similiter habent verba

850 §. III. Si quis provocet ad duellum, non explicat sed confusè tantum, v. g. si *Cajus* sic scribat *Titio* desidero à te audire explicationem & sensum verborum, quæ heri contra meum honorem dixisti ad hoc autem audiendum cras te horà decimam exspectabo in prato suburbano, & spero te facturum juxta debitum tuum : Si veniat uterque & pugnent, aliqui putârunt illos non incurrere excommunicationem, quia *Cajus* directè tantum voluit sibi explicari verba offensiva, & quamvis intendisset duellare, tamen ad incurrendas poenas requiritur delictum externum, nec sufficit intentio : sed *Lugo* in *Resp. Mor. L. 2. D. 1. re & doct.* utrumque incurrisse, quia imprimis adfuit intentio duellandi, alioqui non erat opus tendere ad tale locum aut arma sumere secum. deinde illa intentio sufficienter manifestata est per literas vel nuntium adeòque etiam sufficienter facta est acceptatio à *Titio*, hoc ipso, quòd comparuerit, nam ex parte duellantium sciunt omnes, & sciebat *Titio* quia verba illa spectare ad duellum, ergo uterque poenas incurrit.

§. IV. Fieri potest etiam hoc modo tacita pro- 851
 vocatio ad duellum, v.g. Cajus iratus dicit Titio :
 exi in plateam mecum, volo tecum parum loqui :
 nam si Titius moraliter certus sit se evocari
 ad pugnam, & exeat, secundum *Sanch.* num. II.
 uterque incurrit pœnas, quia est invitatio &
 acceptatio duelli, nisi fortè quis excuset ex eo, quòd
 sit quasi prima rixa, & non fiat ex condicto, uti
 n. 845. dictum est : non tenetur tamen Titius, etiam
 in sententia *Sanchez*, ideo manere domi, si negotia
 postulent eum exire, imò etiam statim exire potest,
 si credat fore, ut Cajus blandis verbis placetur,
Bann. & Sanch.

§. V. Consulens non incurrit, si revocavit consi- 852
 lium, quantum potuit, licet secutum sit duellum,
Bonac. & alii cum Dian. P. 6. T. 6. R. 21 ; idem proba-
 biliter dicit *Diana P. 3. T. 6. R. 1.* de illo, qui ineffica-
 citer consuluit, id est, consuluit, sed non secuto
 duello; contrarium tamen docent alii communius
 & probabilius, quia consilium ipsum secundum se
 prohibetur, & non tantum ratione effectus secuti.

§. VI. Qui narrat aliquid, ex quo prævitet 853
 aliquos se provocaturos ad duellum, non excom-
 municatur, nisi per hoc vellet incitare, *Bonac. & alii*
cum Diana R. 21 ; multò minùs illi excommuni-
 cantur, qui audiunt vel legunt scripta, quibus
 aliqui se provocant, uti post *Comit.* docet *Diana* ;
 qui autem literas provocatorias scribit vel eas
 defert, incurrit, quia cooperando favet & promo-
 vet, *Regin.* num. 83.

§. VII. Commodans arma sua amico volenti 854
 duellare, excommunicatur, si per hoc promoveat,
 quia nempe acceptis his armis magis excitatur ad
 pugnandù : si verò per arma meliora solùm id fiat,

ut ipse nihilominus æquè citò & audacter pugnat-
 turus, sit tantùm securior in pugnando, & fiat
 victor, non est peccatum, nec incurritur ulla pœna,
 quia tum non facio, ut duellent, sed tantùm
 ut amicus meus cum minore periculo duelles,
 in quo nihil est mali, *Hurt.* apud *Dia.* P. 5. T. 14. R. 101.
 non est tamen licitum dare arma contra pactum
 duellantium inæqualia, quia voluerunt pari-
 bus armis certare.

855 §. VIII. Principes & Magistratus illi incurrun-
 t excommunicationem, qui post duellum condo-
 nant seu non puniunt Duellantes, *Steph.* T. 3. D. 4.
 n. 64: Imò incapax est absolutionis, qui provocat-
 tem ad duellum non punit valde graviter, cum
 non sit secuta pugna, *Gobae* in *Exp.* T. 7. n. 573. App.
 Lit. F. Ratio est, quia Superior tenetur adhibere
 media necessaria pro extirpandis criminibus
 Reipublicæ nocentissimis, quale crimen est
 ejusmodi provocatio, neque enim sine pœna
 gravissimis extirpabitur.

856 §. IX. Si Princeps solis infidelibus concedere
 in sua terra locum ad duellum, non incidere
 in pœnas *Tridentini*, quod addit, *inter Christianos*
 uti nec tunc incurreret, si inter Christianos per-
 mitteret ad vitanda majora damna vel scandala
 Decretum enim intelligi debet de permittentibus
 illicite, *Sanch.* n. 29. & 30. *Regin.* n. 75. *Castrop.* T. 6. D. 3.
 P. 7. n. 20. Incurreret tamen Princeps, qui illicite
 permitteret Christiano cum infideli, ob verbum
Clementis apud *Sanch.* suprâ, qui etiam ex verbis
Gregorii videtur innuere incursum, si permit-
 ret infidelibus, nam *Gregorius* videtur absolute
 loqui de permittentibus, abstrahendo *inter quos*
 nisi fortè dicatur tantùm voluisse explicare
Tridentinum.

§. X. Qui approbant duellum vel provocatio-⁸⁵⁷
nem nomine suo factam, non ideo sunt excommu-
nicati, *Bonac. Basf. v. Duellum, n. 9. Dian. P. 3. T. 6. R. 1.*
Tambur. Lib. 6. c. 1. §. 3.

§. XI. Excommunicationem incurrunt specta-⁸⁵⁸
tores ex composito, seu socii de industria specta-
ntes, unde illi non incurrunt, qui casu & per transitū
sistunt, ut obiter videant, *Sanch. Bonac. Dian. supra,*
& P. 5. T. 14. R. 100: imò nec illi, uti probabiliter
docent *Dian. & Tambur,* quorum præsentia scitur
non movere duellantes, & solùm curiositatis causâ
eunt visuri: certò autem non incurrunt, qui eunt,
ut Confessionem audiant, ut impediunt, ut mede-
antur vulneratis; hinc putat *Tamb.* eos solos aspi-
cientes incurrere, qui adsunt animum vel authori-
tatem dantes duellantibus, vel *ex condicto* tanquam
testes aut Judices seu arbitri; idemque docet *Fill.*
T. 15. n. 114. & *Hurtad.* apud *Dian. supra,* rationem
dant, quia hoc videntur significare illa verba,
ex composito & socii spectatores; *Regin. num. 77.* dicit
eos solos vocari spectatores, qui se in publico exhi-
bent, & præsentia suâ concurrunt ad solennitatem
spectaculi.

§. XII. Qui accessit animo aspiciendi, non est⁸⁵⁹
excommunicatus, si duellum vel actus ad pugnam
proximus non sit secutus, *Bon. Basf. v. Duellum. n. 9.*
Dian. P. 3. T. 6. R. 1, quia reipsâ non fuit spectator.
Excipit *Sanch. n. 20. & 31,* nisi conatus esset efficere,
ut pugnaretur, vel saltem si non impedivisset,
cum poterat, sed maluisset pugnari, nam talem
expressè excommunicat GREGORIUS XIII,
etiamsi ad pugnam ventum non sit, quando
per ipsum non stetit, quò minus veniretur.

§. XIII. Qui ex occulto duellum aspicit, non⁸⁶⁰
incurrit censurâ, quia nemo propriè est spectator,

nisi qui se in publico exhibet & actum suâ præfentiâ cohonestat, *Regin.* suprâ, *Lesf.* de Justit. L. 4. C. 4. n. 83. aliique cum *Dia.* suprâ. Quod si occultè videns id faciat duellantibus omnino non conficiis, adhuc certius est non incurrere pœnas, quia tum nullo modo potest movere ad pugnam: nota tamen *Regin.* etiam mortaliter peccare, 1. Si aspiceret ita comparatus, ut tamen adhuc vellet aspiciere, licet graviter prohiberetur. 2. Si sit causa, cur alii duellent, scientes eum aspiciere. 3. Si inde oriretur grave scandalum aliis, quod facilius fiet, si Religiosus ita aspiceret, & hoc sciretur.

361 §. XIV. Excommunicatio hæc est reservata Papæ, unde *Sanch.* n. 27. & alii dicunt Religiosos, licet possint absolvere ab omnibus aliis casibus Papæ reservatis, tamen non posse ab illa absolvere, possunt tamen Episcopi virtute *Tridentini*, si delictum sit occultum nec adhuc deductum ad forum contentiosum. Addit *Laym.* L. 3. T. 3. P. 3. c. 5. num. 4. Bullas illas quoad pœnam Censuræ non obligare in Germania & partibus Septentrionalibus, tum quia ignorantur, tum quia in tanto rigore non sunt receptæ, hinc *Gob.* in Exp. T. 7. n. 573. dicit Mendicantes in superiore Germania, & alios, qui cum eis participant in privilegiis, sine scrupulo absolvere, loquitur tamen de duello privato, quod fit condito tempore & loco, sed non observatis omnibus solennitatibus, inter quas sunt Chartæ missæ, testes, fide-jussores &c: sed *Dicast.* de Justit. L. 2. T. 1. D. 10. Num. 238. *Bona-Gratia* v. *Absolutio*, *Loth.* T. 6. art. 7. *Tambur.* de Confess. L. 3. c. 7. n. 15. *Busenbaum* L. 7. c. 1. D. 5. absolutè docent Mendicantes posse absolvere duellantes, socios & fautores, perinde atque ab aliis casibus & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, idque ex declaratione

Cle-

Clementis VIII, de qua testatur *Comit. Lib. 6. Mor.*
 Q. 17. Excipiuntur autem soli Itali extra Urbem,
 quibus ea potestas jussu Clementis negata est, uti
 videri potest apud *Bonagratiâ*, qui etiam affert
 aliam declarationem *Urb. VIII.* anno 1628. datam.

§. XV. Non omnes pœnæ ratione duellorum ⁸⁶²
 statutæ incurruntur ipso facto, nam infamia,
 proscriptio, bonorum amissio & loci, in quo fit
 duellum, inhabilitas ad beneficia obtenta, prære-
 quirunt sententiam saltem declaratoriam crimi-
 nis, cum privent Jure acquisito: putantque proba-
 bile *Navar. Molin. & Sanch.* etiam inhabilitatem
 ad beneficia obtinenda indigere sententiâ Judicis:
 dubium autem est, an idem dicendum sit de priva-
 tione Sepulturæ, si quis in duello moriatur, *Baur.*
 & *Dian. P. 7. T. II. R. 44.* putant indigere, censentque
 idem doceri à *Sanch. & Castrop. n. 21.* eò quòd dicant
 solam excommunicationem, suspensionem &
 Interdictum ipso facto incurri: sed contraria sen-
 tentia, nempe quòd privatio sepulturæ ipso facto
 incurratur, est communior.

§. XVI. Quando duellum non fuit evidenter ⁸⁶³
 notum, Parochus non potest in illo defunctum
 privare sepulturâ, *Diana* suprâ. Ratio est, quia
 publicæ pœnæ solùm vitiis publicis sunt infli-
 gendæ, inquit *S. Thomas* Opusc. 73. c. 21, hinc docent
Bonac. & Barbof. de Parochis c. 26. n. 45, si non sit
 notorium delictum, Parochum nec debere sepelire
 mortuum in duello, nec denegare sepulturam, sed
 rem ad Episcopum vel ad ejus Vicarium esse defe-
 rendam: quod etiam tum fieri debet, si Parochus
 esset notum, quòd duellum, in quo quis defunctus
 est, posset probari per sufficientes testes, *Basf.*
 v. *Duellum.* n. 9. *Dian. P. 8. T. II. R. 34.* quia quando
 duellum non est notorium, non incurritur

privatio sepulturæ, nisi post declarationē criminis à Judice factam, uti tenent *Lezan. & alii* apud *Gob.* in *Quin. T. 5. c. 50. n. 29*, tum autem spectat ad Judicē causa, quando fiet publica: Si tamen longè abesit Ordinarius, defunctus deberet à Parocho sepeliri, attamen posset Ordinarius postea publicato crimine in pœnam curare exhumari corpus.

364 §. XVII. Si duellans non moriatur in loco conflictus, non privatur sepulturâ, licet moriatur eodem die ex vulnere in conflictu accepto, quia verba dicunt, *si in conflictu moriatur*, *Dian. P. 1. T. 16. R. 52.* & alii: imò si post conflictum in eodem loco confiteatur ibique moriatur, non videtur privandus sepulturâ, quia cùm intercedat tempus à vulnere ad Confessionem, non dicitur mori in conflictu, sed post illum, *Tambur.* Nec obstat *Rituale Pauli V.* dicens illis esse denegandam sepulturam, etiamsi signa Pœnitentiæ dederint: Nam signa moraliter adhuc in conflictu fieri possunt, non ita Sacramentalis Confessio, quæ plus temporis requirit; unde si aliquod tempus intercedat, & duellans signa Contritionis dederit, sed ex defectu Sacerdotis non fecerit Confessionem, putat *Partell* in *Resp. Mor. T. 1. P. 3. c. 10.* posse sepeliri loco sacro, quia moritur post conflictum, nam moritur, postquam elicuit contritionem, hanc autem elicuit etiam moraliter post conflictum, suppono enim aliquod tempus intercessisse: An autem sic defunctus, qui Pœnitentiæ signa dedit, absolvi possit aut debeat ab illa excommunicatione, dicitur *Lib. 7.* & videri potest *Dica. affilio* de *Cens. D. 3. D. 30.*

365 §. XVIII. Qui mortuum in duello sepeliunt in loco sacro, non excommunicantur, quia nullibi invenitur statuta hæc pœna, *Baur. & Dian. supra.* §. XIX.

§.XIX. *Mendo* §.5.n.274. rectè notat hanc pœnam 866 fore efficacissimam pro impediendis duellis, si inter condiciones promovendorum ad aliquod qualecunque, etiam sæculare officium, ponatur velut indispensabile impedimentum, duellasse, provocasse vel acceptasse duellum. *Nec obstat*, quòd inter informationes pro admittendis ad Ordinem Equestrem S. Jacobi quæratur, an Provocatus recusaverit duellum: *Nam* non approbatur, si acceptaverit, sed tantùm volunt scire, an recusaverit ex ignavia, si enim recusavit dicens se nolle Deum offendere, nec posse per Legem naturalem, divinam & humanam, alioquin se compariturum, tum nihil obest admissioni ad illum Ordinem, uti rectè cum aliis *Mendo* §.2. num. 248.

ARTICULUS II.

An & quousque liceat bellum.

Resp. *Bellum defensivum*, quo scilicet 867 vis injusta repellitur, licet etiam privatâ auctoritate; *offensivum* verò, quo vis infer-
tur, ut liceat, tres condiciones requirit: 1. Ut geratur auctoritate Principis, vel Magistratus, nullum agnoscentis Superiorem, qualis est Papa, Imperator, Reges & quædam Respublicæ, v. g. Venetorum, Genuensium, &c. 2. Ut adfit justa causa, eaque gravis, v. g. necessitas boni communis & quietis conservandæ, recuperatio injustè ablatorum, coërcitio rebellium, defensio innocentum, &c. *Vid. Laym. L. 2. T. 3. c. 12. Et Molin. T. 1. D. 104. Dian. P. 6. T. 4. R. 3.*

» 3. Ut fiat ex recta intentione, hoc est, non ex odio,
 » sed ex amore boni communis, quanquam
 » si hæc ultima sola desit, non sit obligatio restitu-
 » tionis. Ita communiter cum D. Tb. q. 41. Legit.
 » Unde resolves:
 » I. Si quis justum bellum gerat, non potest alter
 » licitè se defendere: quia circa eandem rem
 » non possunt duo habere contraria Jura. Fieri
 » tamen potest, ut neutra pars peccet, ob ignoran-
 » tiam invincibilem. *Fill. T. 29. num. 185.*
 » II. Tenetur Rex, antequam bellum incipiat,
 » omni diligentia curare, ut certus sit de ejus justitia,
 » & gravi causa: ad quod sequentia conducunt
 » I. Ut curet habere non tantum peritos, sed etiam
 » bonos Consiliarios. 2. Ut attendat, an etiam
 » à suis impediatur vel intervertantur literæ
 » instructiones ad ipsum. 3. Si non tantum
 » à suis Consiliariis, sed etiam à diversis Theologis
 » curet justitiam belli secundum Leges Evangelicæ
 » examinari, & liberè edicere. 4. Si auditis omnibus
 » ipse quòque coram DEO illam examinet,
 » statuâtque id, quod in puncto mortis se fecisse
 » vellet. Denique licet sufficiat opinio probabilis
 » de justitia belli, si tamen justitia maneat aque-
 » liter dubia, & alter sit in possessione, non licet
 » bellum indicere, cum melior sit conditio posses-
 » dentis. *Fill. c. 9. q. 4. Trull. Lib. 5. c. 2. D. 4. q. 1.*
 » cum *Dian. P. 4. T. 4. R. 72.* docet licere etiam
 » Principi concedere represalia, servatis tamen
 » conditionibus certis, quas art. seq. V. apud *Palan-*
 » *T. 6. D. 5. P. 4.* & hinc infra.
 » III. Perspectâ justitiâ belli, debet ea proponi
 » parti adversæ, quæ si offerat competentem facti-
 » factionem, non debet bellum inchoari. In
 » (ut probabilius est) etsi cœptum sit, debet

si non ex rigore Justitiæ, saltem plerumque
ex Charitate mox finiri, v. *Molin. D. 103. num. 1.*

IV. Potest Princeps pro satisfactione petere
restitutionem ablatorum, & expensarum; item
aliquid in pœnam illatæ injuriæ. *Dunal.* Hinc
potest victos privare bonis, etiam innocentes,
tributa eis imperare, extruere arces, &c. quæ
ad securitatem sunt necessaria. *Kôn. Dian. P. 6.*
T. 4. R. 22.

V. Principes tenentur stipendiaolvere mili-
tibus; alioquin tenentur compensare damna,
tum ipsis militibus, tum aliis, qui ab iis damnum
acceperunt. *Kôn. Palaus, Dian. R. 29.*

VI. Tenentur etiam aliquando Principes
Catholici à bello, alioqui per se justo, abstinere,
si inde oriturum sit scandalum, & spiritualis ruina
multorum, ac detrimentum Ecclesiæ. *V. Palaum,*
Dian. Resolut. 7.

VII. Etsi (per se loquendo) in bello justo liceat
advocare infideles in auxilium, per accidens
tamen subinde, imò plerumque non licet,
ratione scandali, vel periculi in Fide, v. g. ne subditi
pervertantur, Sacra profanentur &c. *Regin. T. 2.*
L. 21. n. 100. Fill. num. 181.

VIII. Similiter licet alteri Principi, etiam
alterius Fidei, in bello justo auxilium ferre,
nisi tamen sit periculum scandali, incrementi
hæreseos, & damni veræ Fidei. *Vid. Kôn.*
Tract. de Charitate, D. de Bello.

IX. Duces, Tribuni, Centuriones, aliique Offi-
ciales peccant, tenenturque ad restitutionem, 1.
Si pauciores habeant milites, quàm in solutione
stipendii exhibent. 2. Quando debent ex officio
commeatum curare, & dant militibus cibum
vel potum corruptum, ex quo morbi orientur.

3. Si in transitu per regiones accipiant pecunia
 à variis pagis, ne istic pernoctent, aut morentur
4. Si uni militi dent plura syngrapha ad domos
 diversas. *Molin. Becan. Dian. Resolut. 27. & 28.*
5. Si stipendium militibus subrahentes, permit-
 tant extorquere ab innocentibus necessaria.
- X. Miles, qui in bello, & justo & injusto,
 paratus est mereri stipendia, est in malo statu, &
 incapax absolutionis, nisi mentem corrigat: Et
 quidem similiter in bello injusto tenetur ad restitu-
 tionem damnorum, nisi inculpabilis ignorantia
 excuset, tum enim sufficit restitutio eorum
 quæ in specie habet; vel eorum, in quibus
 factus est ditior. *Vid. infra.*
- XI. Si vocatus ad bellum sit subditus Principis
 qui bellum gerit, aut ab eo antè conductus,
 non tenetur inquirere de justitia belli, quamvis
 nulla vehemens suspicio occurrat in contrarium,
 quæ positivè reddat dubium: quia potest probè
 mere pro suo Principe, cui in dubio debet obedire,
 ejusque auctoritas plerumque illi sufficit
 ad formandum etiam positivè judicium probabile
 de justitia causæ, ne cum dubia fide operetur
V. Lugo D. 18. Sect. 1. n. 21. Si verò non sit subditus,
 tenetur priùs inquirere, & postea saltem probabile
 formare judicium, bellum esse justum.
Molin. D. 113. Fill. num. 181. Laym. L. 2. T. 3. c. 12. n. 1.
Azor, Mald. Regin. contra quosdam apud Dian.
Tom. 2. T. 5. misc. R. 96. Et Tom. 3. T. 3. R. 7. Lugo
Escob. E. 7. c. 8.
- XII. Miles intelligens bellum esse injustum
 in quo est, non potest absolvi, nisi vel
 quamprimum potest, curare dimissionem
 interea abstinere ab actibus hostilitatis, v.

cæde, præda, &c. vid. *Laym. Cap. 12.* An autem talis
possit occidere militem hostilem se invadentem. *cc*
vid. *Escob. l. c.*

A D D E N D A.

Q. 190. *Quid circa Jus bellandi, Officiales* 869
militis, fit præterea notandum. R. *Seqq. §. 1.*
Nunquam licere bellum, docuerunt *Manichæi,*
& postmodum *Oecolampadius* ac *Lutherus*, sed
damnantur in Concilio IV. *Calcedon.* anno 452,
in *Bracarenfi* I. Anno 563, in *Claro-Montano*
anno 1084, in *Lateranensi* anno 1120: estque aperte
contra *Scripturam*, uti ostendit *Dicast. de Justit.*
L. 2. T. 1. D. 10. à n. 247. & copiose *Grotius L. 1. C. 2.*
Quamvis autem *Alexander III. c. 1. de Treuga*
& *pace*, graviter prohibuerit bellum & pugnas
tempore *Adventus* & *Quadragesimæ*, tamen
prohibitio illa non est usu recepta, vel jam consue-
tudine est abolita, uti habet communis cum *Dicast.*
num. 495, hinc etiam die festo licitum est pugnare,
si postulet necessitas vel notabilis utilitas, maxime
cum videatur esse opus non servile, ita cum aliis
Dicast. num. 496.

§. 2. Bellum non potest esse utrimque *materia-* 869
lier & reipsa justum, quia uni tantum potest
à parte rei Jus comperere; potest tamen esse
utrimque *formaliter* justum, quia potest adesse
ignorantia invincibilis & opinio pro *Justitia*
utriusque partis: Nulli tamen est licitum indicare
bellum, priusquam Jus suum & adversæ partis
fecerit à viris doctis sufficienter examinari, quia
bellum, quod affert tanta mala, debet esse
postremum medium, ita *Mendo D. 13. Q. 15. §. 3.*
Si autem post examen major probabilitas staret
pro illo, qui non habet possessionem rei, de qua
disceptatur, probabile est cum *Mendo num. 229.*
hunc,

hunc, qui non possidet, posse rem illam querere bello, quia major probabilitas facit excessum Juris, & sicut per sententiam Judicis res illi adjudicaretur, sic quæri poterit armis: oppositum tamen etiam probabiliter tenent *Salas, Traba, Bress. Dicast. n. 344*, quia possessio est talis titulus retinendi rem, ut ex ea nemo justè expellatur, nisi contra ipsum sit moralis saltem certitudo Juris, hinc tenent omnes communiter habenti Jus minùs probabile & non possidenti esse illicitum rem bello quærere. *Nec obstat*, quòd Advocatus possit tueri probabilem partem contra probabiliorem: *Nam* disparitas est, quòd actio Advocati fit tantùm investigatio, ex qua parte stet tale Jus; bellum autem non tantùm est velut sententia, sed etiam est illius executio, quæ non est licita, quando pro parte altera est major probabilitas. Quænam autem sint justæ causæ belli, exponit *Dicast. à n. 288*. Et speciatim an licitum sit bellum ad imminuendam vim crescentem, quæ auctè nocere posset, videri potest *Grotius L. 2. c. 1. n. 17*, qui rectè negat. Vide etiam dicenda *Lib. 4. n. 149*.

870 §. 3. *Sot. Azor & alii cum Burgh. Cent. 2. Cas. 88*. putant aliquem justè posse defendere suam vitam contra alium justè aggredientem, quia defensio vitæ videtur esse de Jure Naturæ vel saltem Gentium omni homini licita: unde ex parte defendentis non est propriè bellum, vel dici debet, quòd quando dicitur non posse esse bellum utrimque justum, intelligatur de bello utrimque offensivo, & non de eo, quod ex una tantùm parte est offensivum & ex altera defensivum: sed *Molina* meritò dubitat de veritate hujus sententiæ, quia sic se defendens resistit alterius Juri, ergo agit injustè; deinde aggrediens Jus habet ipsum occidendi,

nam est justus aggressor, ergo alter vicissim aggrediendo agit injustè; denique aliàs etiam poterit quis defendere suam vitam contra carnificem, uti dictum est num. 816. quod tamen omnes negant. Videri potest etiam *Lugo de Justit. D. 10. à n. 144.*

§. 4. Si rationes pro justitia belli utrimque sint 871 probabiles, putat *Dian. P. 4. T. 4. R. 32.* militem posse pro parte, quâ volet, militare: imò *Caram. in Th. Fund. n. 1408.* negat militem posse unquam dubitare de justitia belli, quia non incipitur temerè, sed cum consilio, ac pro utraque parte est autoritas Reip. & supremi consilii, sed *Carden. in 1. Crisi D. 6. n. 143.* rectè ostendit militem dubitare posse de justitia belli.

§. 5. An liceant fœdera cum Turcis & Hæreticis, 872 fusè examinat *Diana T. 2. post P. 10;* & suppositâ justitiâ belli, posse Principes Christianos cum illis inire fœdus, absolute affirmant Auctores 12, & consentiunt alii cum *Dicast. n. 280,* si absit scandalû ac periculum Fidei: è contrâ alii 14. absolute negant: alii 6. dicunt licere in summa necessitate: *Diana cum 17.* Theologis dicit per se licere, in praxi autem ratione circumstantiarum vix unquam, ac refert exemplum cujusdam Regis, qui moriens dicebat: *Perii, quia volui esse fœderatus ei, qui hostis est Christiani nominis.* Rem hanc etiam bene tractat *March. in Trib. T. 2. T. 6. T. 3. Q. 1. D. 4.* Et *T. 2. T. 2. S. 6. Q. 3. D. 1,* clarè ostendens in praxi ordinariè esse illicitum tale fœdus.

§. 6. Christianis illicitum est (per se loquendo) 873 bello aggredi Infideles, v. g. Indos, quia Christiani nullum habent Jus in ipsos, & ipsi sinè cujusquam injuria possident sua: per accidens tamen licitum est, 1. Si impediunt prædicationem Evangelii, sic

ſic enim faciunt contra Jus, quod à Christo habet Ecclesia, evangelizandi ubique. 2. Quando damnificanc Proximum, nam ſicut qui damnus iniuste patitur, poteſt ſe defendere, ita & alius poteſt ei ferre auxilium.

374 §. 7. Papa habet poteſtatem prohibendi bella Principibus Chriſtianis, quando ita exigit bonum commune Fidei vel Religionis, quia in his eſt Chriſti Vicarius cum poteſtate conſtitutus, tenenturque ipſi Principes, etiam primario, hoc bonum attendere.

375 §. 8. Peccant Belli-Duces & tenentur reſtituere, ſi diſſimulent, quâ viâ velint exercitum ducere, ut ſic à diverſis oppidis tranſitum redimentibus pecunias accipiant, quia uno tantum loco debent eis tranſitus, nec poſſunt ipſi illum venalem facere, aut pro libitu hos præ illis gravare; neque Princeps ipſe hoc concedere poteſt cum tanto Reip. detrimento, *Molin. Cōn. Bonac. Arsd. T. 2. P. 2. T. 6. in Reſol. Caſtr. q. 3. Dic. eſt. num. 459.*

376 §. 9. Commiſſarius, qui Capitaneo petenti annotavit plures milites, quàm habeat, tenebitur reſtituere, ſi Capitaneus deficiat; excuſari autem poterit à reſtitutione Capitaneus, 1. Si ſtipendia ordinaria iudicio bonorum & intelligentium non ſint ſufficientia, quod tamen non facile credendum. 2. Si illa utiliter pro Principe ſuo impendat. 3. Si Principi ſuo tantundem poſtea remittat ex debitis vel dandis nomine juſti ſtipendii, *Leſſ. in Auct. v. Bellum, caſ. 1.*

377 §. 10. Si Princeps aſſignet cuique militi 10. aureos, & Capitaneus paciſcatur de 9. unumque ſibi reſervet, peccat, quia ſi Princeps tanti taxavit ſtipendium, aureus ille eſt militis, & Capitaneus eſt tantum velut Oeconomus: eſt contra

si non assignavit ut pretium stipendii, sed tantum id, quod dari posset, si minus non sufficeret, aureus ille manet Principis; & credibile est hoc ultimo modo fieri, si solvantur ordinaria stipendia mensium, *Lefs. cas. 2.* quia tamen Principes norunt varias hic fraudes solere intervenire, videntur tacite permittere aliquid: unde *Alexander Parmensis* aliquando respondit Castrensibus Societatis JESU, non esse faciendum scrupulum Capitaneis ob quinque vel sex pagas muertas, ut vocant, ita *Lefs. Cas. 3.* De cetero, etiam si Officiales sciant Commisarios sibi injuste retenturos id, quod post persoluta stipendia supererit, non ideo licitum est ipsis, quod superest, retinere, quia Princeps potest (quoad utrosque) esse invictus, *Arsdek. Quæst. 3.*

§. 11. Non licet ratione stipendii dimidiari aut 878
malè antehac persoluti, postea in lustratione militum ficta nomina conscribere, ut suppleatur stipendium debitum, 1. Quia non licet compensatio, si fieri debeat cum fallacia & falsitate. 2. Quia hoc fit cum periculo gravis damni Reipublicæ, quæ putabit se tot habere milites. 3. Quia qui talia officia admittunt, satis sciunt non persolvenda tam accuratè stipendia, ergo censentur suo Juri renunciâsse: Ulu tamen in militia recepto Capitaneis conceditur locus mortuus pro duobus aut tribus famulis, & unus pro Signifero, etiam si illos actu non habeant, ita quoad omnia *Arsdek. supra.*

§. 12. Si milites moriantur, Jus ad stipendium, 879
quod lucrati sunt, devolvitur ad hæredes, sicuti aliæ actiones & credita Defunctorum; nec apparet, unde Jus Officialibus possit competere, *Arsd. q. 2;* *Layman* tamen & *Dicastillo* num. 464. fatentur

Kk

consue-

consuetudine receptum esse, ut trium vel quatuor mensium stipendia retineantur quasi in deposito, ad milites in officio continendos; quod si moriantur, dicunt nihil reddi hæredibus, sed nil certi afferunt, per quod excusent, nisi fortè quod prævaleat bonum commune, aut quod dantes nomen militiæ videantur in hoc consentisse; quod tamen non præsumitur.

ARTICULUS III.

Quid in bello justo liceat.

- 380 **R**esp. Etsi circa hostes in bello justo liceat
 » ea omnia facere, quæ ad finem belli sunt
 » necessaria, v. g. occidere, spoliare &
 » innocentes tamen (quo nomine intelliguntur
 » pueri, qui arma gestare non possunt, mulieres
 » senes, Religiosi, Clerici, peregrini, mercatores &
 » rustici) directè vitâ spoliari non possunt,
 » bonis tamen externis possunt, si sint pars Reip.
 » hostilis, aliterque finis belli obtineri non possint.
 » *Mol. Bec. P. 2. c. 10. 11. & 12. Laym. Fill. T. 29. n. 191. & c.*
 » Ratio est, quia cum sint pars Reipublicæ, possunt
 » propter hujus delicta puniri, in iis bonis, quæ
 » Reipublicæ dominio subsunt. *Unde resolves:*
 » I. *Per accidens* licet aliquando comburere
 » etiam Ecclesias, & hostes ex iis extrahere, in iis
 » spoliare & occidere, si v. g. Ecclesiâ velut castro
 » ad repugnandum utantur. *Sylv. v. Bellum, num. 1.*
 » *Sa, Bonac. de Contract. D. 2. Q. ult. Sect. 1. P. ult. §. 3.*
 » II. Contra hostem licet uti insidiis & stratagematis,
 » dummodo absint mendacia, etsi etiam
 » hæc, v. g. quando exploratores se fingunt amicos,
 » non sint mortalia: ea verò, ad quæ cavenda
 » nulla Prudentia datur, v. g. veneno inficere

puteos, aquas, glandes, sunt contra Jura belli, nec licent. *Mol. D. 1. T. 1.*

III. Fides hosti data servanda est, nisi vel coactus dederis, vel in grave detrimentum cederet Reip. aut Religionis; aut si hostes eam non servant; aut denique conditiones ac circumstantiæ planè sint mutaræ. *Duval. Palaus, Dian. l. c. R. 10. Vid. etiam Laym. Lib. 2. T. 3. Cap. 12.*

IV. Capti in bello, etiam ex parte capientium justo, nisi obster scandalū, aut specialis promissio, possunt fugere: Capti verò in bello ex parte capientium injusto, & fugere, & bona hostium secum auferre possunt. *Laym. num. 16. An obsides liceat occidere, vid. supra Dub. 4. Resolut. 5.*

V. Potest quidem aliquando, (rarò tamen, & non nisi ob causas gravissimas) dari urbs in prædam; milites tamen privatâ auctoritate prædas agere aut hostibus damna inferre non possunt, quia sunt executores tantùm & ministri. *Vid. Sa, v. Bellum. Laym. l. c. Fill. num. 198. Dian. P. 6. T. 4. toto. Dum autem urbs spoliatur injustè, gregarios milites tantùm teneri ad damnum, quod ipsi intulerunt, probabile esse, docet Diana R. 31. ex Syly. Navar. &c. Item P. 3. T. 5. R. 86. Vide infra T. 5. c. 2. D. 3.*

VI. Milites peccant cum onere restituendi, si à Rusticis aliisve, apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt, auferant, aut invitis extorqueant, vel etiam donata accipiant (nisi constet omnino liberè fieri, siquidem donationes istæ plerumque non spontaneæ, sed coactæ sunt) præter ea, quæ ex constitutione Principis iis debent subministrare: nisi tamen sint in extrema, vel saltem in gravi necessitate, *Mol. Kôn. Palaus, Becan. &c. Dian. P. 6. T. 4. R. 26.*

VII. Represalia licita sunt his conditionibus:
 1. Ut manifestè constet cives alterius Reipublicæ
 fecisse injuriam. 2. Ut Superiorum illorum
 rogati recusent administrare Justitiam. 3.
 Ut constet eos culpabiliter id recusare. 4.
 Ut Princeps supremus causâ cognitâ id con-
 cedat. 5. Ut non inferatur plus damni, quàm
 justa satisfactio requirit. 6. Ut non concedantur
 in personas Ecclesiasticas, *Mol. Dian. P. 4. T. 4.*
R. 72. ex 18. aliis.

Quæres: Ad quem pertineant bona hostibus
 erepta.

Resp. I. Immobilia cedunt Principi, aut
 Reipublicæ: mobilia fiunt capientis, nisi consue-
 tudo habeat, ut pars cedat Principi & Communi-
 tati. II. Jure Cæsareo, nisi consuetudo sit
 contraria, bona ablata justo bello, qui ea
 injustè possidebant, fiunt capientium, postquam
 ea in sua præsidia deportârunt. *Valent. Tom. 3.*
D. 4. Q. 18. P. 3. Molin. D. 18. & Hurtad. Tom. 2. D. 169.
Sect. 12. §. 110. ubi requirit, ut unâ saltem nocte
 possederint. *Vid. etiam Sylv. Bonac. l. c. de peccatis*
in bello committi solitis. Trul. L. 5. c. 2. D. 10. & seq.
Dian. P. 6. T. 4. R. 23. ubi contra *Durand.* docet
 hanc sententiam esse in praxi tutam.

A D D E N D A.

381 Q. 191. *Quid circa ista præterea sit notandum.*
 & Seqq. §. 1. Hosti etiam injustum bellum inferenti
 servanda est fides publicè data, uti habet commu-
 nissima cum *S. Th. Covarr. Molan. Dicast. de Just. L. 1.*
T. 1. D. 10. à num. 435, quia fœdera publica spectant
 ad Jus Gentium: Quod tenet, etiam si una pars
 injustè coacta esset pacisci, cum enim paciscentes
 non habeant Judicem superiorem, cujus auctori-
 tate rescindatur contractus, facile quisque sibi
 finge-

fingeret injuriam vel vim esse factam, quod redundaret in commune damnum societatis humanæ: unde nec potest in eo dispensare Papa, licet paciscentes essent Catholici, nisi vergeret in notabile damnum Fidei vel Religionis. Quod si pactum sit initum cum hæreticis, etiam non potest per Papam rescindi, quia hoc vergeret in majus damnum totius Reipublicæ Christianæ, nam nunquam possent iniuri pacta cum hæreticis, qui se obligare nolunt cum dependentia ab auctoritate Papæ.

§. 2. Princeps ad muniendam urbem ædificans 882
in fundo Caji, tenetur huic compensare pro rata, ita ut omnes æqualiter ferant damnum, quia licet privati teneantur subvenire necessitati communi, tamen tantum tenentur secundum Justitiam distributivam & æqualiter ad alios, *Molin. de Just. T. 6. D. 47. circa medium, Lugo de Justit. D. 6. N. 61. Et in Resp. Moral. Lib. 6. D. 17. Vide tamen Delbene de Immunit. Eccl. c. 5. D. 25.*

§. 3. Militibus ceterisque stipendiariis licita est 883
pabulatio in terra hostili, non autem in amica, si pretio comparare possint, quia nec Jus Naturæ nec Principis auctoritas hic suffragatur, *Less. in Auct. v. Bellum, cas. 4. Quod si pabulum sufficiens non advehatur, vel per inopiam emi non possit, pabula fiunt communia, ita Arsdek; putatque Less. etiam in gravi necessitate licitam esse pabulationem, dummodo uni non auferantur omnia, sed servetur proportio, ut omnes æqualiter damnum patiantur: sunt tamen (inquit *Arsdek. supra q. 7.*) qui existimant ex communi consuetudine licitam esse pabulationem tanquam onus commune prædiorum, quando pro utilitate Provinciæ bellum*

K k 3

geritur;

geritur; neque condemnanda est, inquit *Lesius*, sententia asserens divites merito posse ferre graviora onera, quia à prædiis suis post bellum majora quóque commoda habent.

884 §.4. Religiosi aut alii Clerici, qui quoad spiritualia serviunt militibus, possunt sicut hi accipere ac retinere spolia hostium, quia sunt pars exercitus, ac patiuntur pericula & incommoda cum aliis, ergo æquum est, ut etiam participant commoda, *Molin. Laym. Dicast. num. 490.*

885 §.5. Si urbs ex justa causa detur direptioni & ferro (per se loquendo & directè) occidi non possunt innocentes, quia nil commiserunt, ob quod sint vitâ privandi, neque sunt actu vel proxime aggressores, *Fill. T. 29. N. 191. Bonac. de Restitut. D. Q. ult. P. ult. num. 17.* aliique communiter. Et quamvis timeri possit, ne pueri, si adoleverint, hostes fiant, non ideo possunt jam occidi, quia nemo punitur ob delictum futurum, maxime incertum, *Molin. D. 119.* Consequenter scæminæ & Peregrini per transitum commorantes, si ab actione hostili abstinerint, occidi non possunt, *Cajetan. Viçt. Molin. & alii communiter.* Idem est de Clericis & Religiosis, quia non reputantur esse pars Reipublicæ hostiliter agentis, cum ipsi arma non gerant: pueri tamen & scæminæ, quamvis sint innocentes, possunt in captivitatem abduci, & si sint infideles, servituti subjici, quia sunt pars Reipublicæ vel urbis subactæ, tota autem Respublica hostilis censetur esse punibilis in bonis fortunæ, quorum dominium habet; inter quæ etiam numeratur libertas; & ita etiam possunt Parentes puniri in prolibus & uxoribus suis, facitque etiam talis captivitas ad securitatem capientium, ut tollatur facultas injustè nocendi, ita

ita *Vi& Molin. D. 120. Fill. num. 201.* Quod si fœminæ
 aliique gerendis armis inepti, sint expulsi
 ex urbe obsessa ob defectum annonæ, nec spes sit,
 ut ab obsessis recipiantur; si ab his expulsis
 pullum obsidentibus immineat periculum,
 non possunt attineri, ut fame pereant, sed permit-
 tendi sunt transire castra, I. Quia non sunt hostes,
 cùm se submiserint, neque aliter promeriti sunt
 mortem, uti suppono, est autem illicitum innocen-
 tes positivè & directè occidere, quod hìc fieret
 positivè negando alimenta necessaria & directè
 impediendo, ne accipiant, ergo. 2. Est illicitum
 fame enecare amicos obsessorum, si hi illos
 in urbem recipere non velint, ad quod non tenen-
 tur, si laborent inopiâ annonæ, ergo similiter
 in nostro casu, sive enim prius fuerint in urbe, sive
 aliunde cogantur ad ingrediendum, est par ratio.
 3. Si obsidentes innocentem filium illius, qui
 propugnat urbem, vellent suspendere, nisi Pater
 Gubernator statim urbem traderet, agerent injustè,
 ergo similiter si fame occidant hos expulsos.
 An autem liceat ejusmodi egressos iterum compel-
 lere in urbem, *vide dicta n. 833.* De justis causis belli
vide Grotium L. 2. c. 1.



CAPUT II.

De Sexto & Nono Præcepto:

*Non mæchaberis.**Non concupisces &c.*

836



Onjungo hæc duo Præcepta,
 quia utroque idem explicite
 vel implicite prohibetur,
 scilicet peccata impudicitiae
 & luxuriæ. Est autem luxu-
 ria inordinatus appetitus, vel
 usus delectationis, seu sensus
 venerei, qui fit cum commotione spirituum
 generationi fervientium, circa partes corporis
 venereas; ita ut appetitus vel delectationes aliæ
 etiam sensitivæ aut sensitivorum, si tamen
 non sint venereæ, aut venereorum, nec ad ea
 ordinentur, non spectent ad luxuriam. Porro
 actus, seu peccata luxuriæ, distinguuntur
 in imperfectos, in quibus non intervenit
 ultimus terminus venereorum, quæ est delectatio
 feminis; ut sunt actus interni desideriorum &
 oblectationum morosarum, qui speciem sumunt
 ab objectis: & in perfectos ac consummatos, qui
 terminum jam dictum habent adjunctum. Quæ
 rursus sunt duplices: alii enim sunt naturales
 qui naturæ non repugnant, nec specie differunt
 in ratione luxuriæ, (etsi per deformitatem
 superadditam aliquando specie differant) v.g.
 adulterium, incestus, &c. Alii innaturales sunt,
 seu contra naturam, in quibus conditiones

à natura institutæ, v. g. identitas speciei, vas
debitum &c. non servantur. Et hi etiam
in ratione luxuriæ differunt specie, quæ in illis
variatur secundum modos, quibus committuntur,
naturæ repugnantes.

DUBIUM I.

*An & quanta peccata sint oscula,
amplexus, tactus, verba obscæna
& similia extra Matrimonium.*

Resp. Ad id dignoscendum, distinguenda est
in primis intentio & delectatio venerea &
venereorum, ab intentione & delectatione

sensitiva & sensitivorum aliorum, quæ consistit
in quadam proportione & conformitate rei
tactæ cum organo tactûs. Deinde sciendum est,
intentionem & sensum venereorum esse
mortalem, & excludere à Regno cælorum,
secundum Apostolum ad Galat. 5. *Unde resolves:*

I. Oscula, amplexus, aspectus, tactus & similia,
si extra Matrimonium fiant, ex intentione actûs
luxuriosi, vel ob delectationem veneream,
etiam si non illam perfectam, quæ est in semina-
tione; sunt tamen semper peccata mortalia: quia
eo animo, extra Matrimonium, sunt impudica,
& naturâ suâ talis delectatio tendit ad perfectam.
Fill. T. 30. n. 174. Less. L. 4. c. 3. D. 8. Sanch. de Matrim. L. 9. D. 46.

II. Tales actus sunt ejusdem naturæ cum per-
fectis sive consummatis, ideóque in Confessione
explicandum, utrùm sint habiti cum simili sexu,
an cum diverso; cum libera, an cum conjugata,
cum cognata, an cum persona sacra, &c. *Less. D. 15. Sanch. Moral. L. 1. c. 2.*

- » III. Oscula, amplexus, compressiones manuum
 » & similia non obscœna, si fiant tantum officii
 » aut moris patrii, aut amoris honesti, vel benevo-
 » lentia augenda causa, etiam si delectatio venerea
 » suboriatur, (modo in eam non consentiatur)
 » non sunt peccata. *Lesf. num. 56. Fill. num. 171.*
- » IV. Si verò ista fiant ex aliqua veniali vanitate,
 » joco, curiositate, levitate, petulantia, imò etiam
 » sensualitate, sive affectu sensuali ac naturali,
 » (dummodo non cum delectatione venerea,
 » nec ejus causa, & si præter intentionem suboria-
 » tur, eâ repulsâ, ac tunc abstinendo) venialem
 » culpam non excedunt, ut *vid. Fill. hęc. Lesf. n. 62.*
 » *Sanch. l. c. Dia. P. 4. T. 4. R. 136.* Contrarium tamen
 » est tutius, ut *vid. Trull. L. 6. c. unic. D. 12. n. 9.*
- » V. Idem dicendum est de tactu & aspectu
 » inhonestarum partium corporis proprii, aut
 » commixtionis animalium, non cum animo
 » venereo, sed ex curiositate tantum, aut levitate,
 » secluso tamen scandalo, & periculo consensu
 » veneri. Imò si tactus talis, aut conspectus
 » proprii corporis naturali aliquo, ac non malo fine
 » fiat, nè veniale quidem erit, ut v. g. si fricatione
 » extinguere velis pruritus non venereum;
 » dummodo tamen absit periculum pollutionis,
 » aut consensu in eam, si improvisò præter inten-
 » tionem fortè obveniret. *Fill. n. 200. Sanch. de Matr.*
 » *L. 9. D. 45.*
- » VI. Tactus nudi, & aspectus partium inhonestarum
 » alterius corporis, maximè diversi sexus,
 » aut concubitus humani ex curiositate, (nam
 » de necessitate aliud est) etiam secluso affectu
 » venereo, videntur non posse excusari à mortali
 » propter gravem indecentiam, & periculum
 » proximum actus veneri: nisi tamen aspectus fiat

ex loco tam remoto, & ita obiter, ut hæc absint. *cc*
Sanch. num. 22. & 29. Fill. num. 218. Laym. & c. cc

VII. Aspectus verò, & subinde etiam *cc*
 (rariùs tamen propter periculum adjunctum) *cc*
 tactus, ex petulantia vel curiositate, partium *cc*
 inhonestarum alterius corporis, ejusdem tamen *cc*
 sexus, citra affectum & periculum consensus *cc*
 venerei, excusari posse à mortali, ut v. g. quando *cc*
 simul aliqui natant, vel lavant, docet *Lay. L. 3. S. 4. cc*
 ex *Sanch. L. 5. Moral. c. 6. n. 12, 13, 27. & 28. Trull. n. 15. cc*

VIII. Verba turpia, lectio obscœnorum, specta- *cc*
 tio comœdiarum turpium, cantiones inhonestæ, *cc*
 gestus, literæ, & dona amatoria, si tantùm fiant *cc*
 ex curiositate, vel vano solatio, non sunt morta- *cc*
 lia: secus tamen, si fiant vel animo inhonesto sive *cc*
 venereo, vel cum periculo ruinæ spiritualis sui *cc*
 vel aliorum, *Sanch. de Matrim. L. 9. D. 46. d. num. 31. cc*
Fill. T. 30. c. 10 Q. 3.

IX. Choreæ, nisi malo fine fiant, aut cum peri- *cc*
 culo aliquos, aut seipsum incitandi ad libidinem, *cc*
 vel cum alia circumstantia mala, securdùm se *cc*
 non sunt malæ, nec actus libidinis, sed lætitiæ. *cc*
 Quando verò Sancti Patres eas interdum valde *cc*
 reprehendunt, loquuntur de turpibus, & earum *cc*
 abusu. *Vid. Cajetan. v. Choreæ. Fill. num. 223. cc*

X. Exhibentes comœdias turpes, item facien- *cc*
 tes libros, aut picturas incitantes ad libidinem, *cc*
 peccant mortaliter, quia sunt ruina Proximi, *cc*
 cum moraliter certum sit, multos inde ad pec- *cc*
 catum incitandos. *Fil. n. 211. Similiter Magistratus, cc*
 qui permittunt exhiberi turpes comœdias, *cc*
 peccare mortaliter, docet *Hurt. & concedit Baldel. cc*
 si auctoritatem illis præstent, approbent, vel *cc*
 foveant; addit tamen posse aliquando excusari, *cc*
 si

- » si ad majus malum impediendum non puniantur
 » & tantum tolerant. *V. Dian. P. 1. T. 13. R. 82.*
 » XI. Persona soluta permittens se tangi ab alio
 » tactu, qui vulgo censetur pudicus, ut prehen-
 » sio, contrectatio manuum, amplexus, & oscula,
 » juxta morem Patriæ, non peccat, nisi ei constet
 » fieri pravo affectu: huic enim cooperari
 » non licet. Docet tamen *Fill.* etiam tunc admitti
 » posse, ne tangens infametur. Admittens autem
 » tactus impudicos, (ut mamillarum & obli-
 » quarum partium) vel oscula furtiva, & morosa
 » vel indecentia, peccat, quia præsumitur affectus
 » malus. *V. Fil. n. 197. & infra L. 5. c. 1. Dub. 2.*
 » *Quæres.* An, & quatenus liceant tactus
 » aspectus, &c. inter Conjuges, & Sponfos.
 » *Resp. 1.* Conjugibus licent, si referantur
 » ad copulam; ad hanc enim licite se excitant.
 » Alio autem fine, v. g. voluptatis causâ si fiat
 » sunt peccata venialia, quia Matrimonium eis
 » cohonestat, ac defectus debiti finis non est
 » mortalis; nisi tamen habeantur cum periculo
 » pollutionis; quæ cum iis sit illicita, eo casu
 » erunt mortalia, regulariter saltem. *Sanch. L. 1.*
 » *D. 46. n. 7. Fill. n. 165. & alii.*
 » *Resp. 2.* Sponsis tactus impudici non licent,
 » pudici verò in partibus honestis licent, si ex
 » tantum intendant delectationem sensitivam
 » secus si veneream. *Sanch. n. 50. & c. Bonac. Tom. 1.*
 » *de usu Matrimon. Q. 4. P. 9. n. 6. & c.*

A D D E N D A.

- 888 Q. 192. An osculum carnale & sensibile
 peccatum mortale. R. Alexander VII. damnavit
 hanc proposit. 40. Est probabilis opinio, quæ dicitur
 tantum esse veniale, osculum habitum ob delectationem
 carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur.

secluso periculo consensûs ulterioris & pollutionis.
Pro qua damnatione intelligenda, & ut ad quæsti-
onem respondeatur, sit

§. 1. Delectatio (in genere) est simplex compla- 889
centia in aliquo objecto finè desiderio rem illam
assequendi vel exequendi, potèstque esse de re
turpi vel non turpi: res autem turpis hic dicitur,
quæ ad Venerem seu luxuriam spectat, uti dicitur
Lib. 5. N. 92.

§. 2. Delectatio de re turpi potest esse vel 890
merè spiritualis, quæ nempe in sola voluntate est,
uti si quis delectetur turpi objecto finè ulla turpi
commotione in corpore: vel non merè spiritualis,
sed simul carnalis, uti si simul adsit turpis motus
in corpore. Et utraque dicitur *delectatio morosa*,
non ob moram temporis, nam potest in unico
instanti haberi, sed vel ideo, quia voluntas eam
advertens, deliberatè admittit, & sic moratur seu
se detinet in ea; vel quia, cum in illa se detineat,
non vult pergere ad opus, ideòque dicitur illi
immorari seu in illa sola quiescere & permanere.

§. 3. *Delectatio carnalis* alia est *venerea*, 891
quæ oritur ex commotione seminis vel spirituum
genitalium, alia *purè sensibilis*, quæ habetur
ex applicatione sensûs ad suum objectum, & exur-
git in appetitu sensitivo cum aliqua alteratione
corporis per motum spirituum vitalium, v. g.
circa pectus, ob solam proportionem seu connatu-
ralitatem, quam talis res habet cum organo
talis sensûs. Vide dicenda Lib. 5. à num. 93.

§. 4. Etiam præscindendo à commotione 892
spirituum genitalium, dicendum est, quòd *delecta-
tio merè spiritualis* circa materiam veneream,
semper sit peccatum mortale, uti habet communis
cum S. Thoma 1. 2. Quæst. 74. Art. 8. Ratio est
1. Quia

1. Quia talis delectatio est de objecto graviter malo nam in materia venerea non datur levitas materiæ, uti dicitur à num. 910, ergo est actus mortaliter malus, quia actus suam malitiam habet per ordinem ad objectum, in quod tendit. 2. Si conjugatus delectetur sodomiam, peccat mortaliter, non ratione commotionis spirituum, quia hæc in conjugato non est mortalis, ergo ratione objecti graviter mali, ergo delectatio ipsa ratione objecti venerea secundum se est graviter mala. 3. Si delectatio interna esset mala ratione commotionis spirituum, ergo ubi æqualiter excitarentur spiritus, esset æqualis malitia, quod patet esse falsum, nam fieri potest, ut in cogitatione de fornicatione magis quam de sodomia excitentur spiritus, & tamen delectatio de sodomia habet majorem malitiam ergo illam habet ratione objecti, præscindendo à commotione spirituum. 4. Delectatio fornicationis ut præsentis magis opponitur castitati quam delectatio fornicationis ut futuræ, sed delectatio fornicationis ut futuræ est peccatum mortale, ut à Christo prohibetur desiderium etiam ineluctabile fornicationis tanquam mœchatio interna, ut exponunt SS. Patres, ergo. 5. Qui tali objecto delectatur, consentit in id, quod affectus suus inclinetur in fornicationem, & ut conformetur objecto mortaliter malo, uti ait S. Thomas, hoc autem est mortaliter malum, ergo. 6. Quando volumus deliberatè sibi complacet in objecto turpi, ponit causam per se commotionis turpis, uti latè ostendit Arr. T. 3. D. 45. S. 3. Subf. 2. n. 11. & T. 5. Tract. de Peccatis D. 58. S. 5. à num. 42, nam moraliter necesse est ut excitentur spiritus genitales, ergo est causa per se talis commotionis turpis, ergo peccat mortaliter.

Si dicas, licere gaudere de pollutione in somno facta. R. Licet gaudere de ea ut venereè delectabili, N, ut aliunde utili & bona, v.g. quia levat tentationem, prodest valetudini, *transseat*, non est autem hic paritas, tum quia non ponitur causa per se illius, tum etiam quia gaudium non fertur in pollutionem, sed in aliquid illi aliunde & per accidens causatæ conjunctum. *Vide dicenda num. 933.*

§. 5. Motus venere, qui oriuntur ex osculo 893
 similiq; causa, sunt peccata mortalia, si intendantur, uti omnes tenent: Si autem non intendantur, sed tantum prævideantur secuturi, *Vasquez*, uterque *Marchantius*, *Lefs.* de Justit. L. 4. c. 3. n. 102. *Gobat* in Exp. T. 7. n. 330. *Sporer* in Th. Mor. T. 1. c. 5. à n. 19. dicunt non semper esse mortalia, quia sunt tantum indirectè voliti in causa non mortaliter mala, & abest periculum consensûs in ipsam delectationem, pollutionem, aliudve opus turpe, uti supponitur, ergo non sunt mortale. *Probant* *Conseq*: quia cum motus tales facillimè orientur, irrationabile & nimis durum foret sub mortali obligare ad vitandas tales causas venialiter tantum malas, è quibus oriuntur, v.g. curiosum aspectum vel colloquium cum fœmina, quæ nemo dicit esse ex se peccata mortalia. Neque huic sententiæ (inquit *Sporer*) contrariatur Decretum *Alexandri VII*, nam prop. 40. damnata manifestè loquitur de delectatione carnali sensibili, utique venerea, ex illis osculis orta & directè volita cum consensu in illam, uti constat ex illis verbis, *absque periculo consensûs ulterioris* (nempe in fornicationem aliudve opus turpe) ergo supponitur jam consensus in ipsam delectationem veneream ex illis osculis ortam, qui utique mortalis est:
 Et

Et ita quidem (inquit ille) non meo solius iudicio, sed plurimum virorum doctorum requisito consilio sentio, salvâ semper auctoritate S. Sedis. Videtur continere *Busenbaum* n. 887. relatus, & iterum L. 5. n. 76. Et sententia illa est probabilis, attamen periculosa pro praxi, uti dicetur num. 894. & 897.

894 §. 6. Auctores plures quàm 20. partim cum *Fill.* *Tract.* 30. à num. 176, partim alii plures apud *Mendo* D. 5. num. 89. & 90. dicunt non esse mortale velle delectationem tantùm sensibilem, quæ oritur in osculis vel tactibus, I. Quia per se non est mala, alioqui nunquam liceret, nequidem ex urbanitate, more Patriæ vel necessitate; imò, uti latè probat *Arr.* 1. 2. D. 46. n. 18. & *Henas* in *Empyreol.* P. 2. L. 8. Exercit. 32. Sect. 1. in cælo erunt illæ delectationes sensuum, ergo sistendo in eis non peccatur saltem graviter. 2. Quia si sistatur in illa delectatione sensibili, non additur ullus finis mortaliter malus. 3. Quia hinc nulla est propriè libido vel luxuria, nam ad hanc requiritur excitatio obscœnarum partium corporis, aut saltem spirituum genitalium circa illas, uti docent multi apud *Mendo* num. 94. ergo etiam non apparet, cur peccetur graviter. Hæc sententia est saltem speculativè probabilis, & etiam practicè respectu illius, cui post quæsitam & admistam talem delectationem sensibilem, per se loquendo, non est periculum proximum delectationis veneræ, etiamsi per accidens quandoque oriatur, dummodo non deest consensus: quia autem quamdiu sumus in hoc mortali corpore, non videtur moraliter possibile, ut cum tali delectatione sensibili delibere quæsitam & admistam non adsit periculum proximum delectationis veneræ, hinc *Mendo* n. 94. & *Sporer* in *Tyrocin. Sacram.* P. 4. n. 351. rectè dicunt

hanc sententiam regulariter non esse practicè probabilem, probatque hoc variis argumentis *Sanch. de Matrim. Lib. 9. D. 46. N. 7.*, quamvis postea *num. 17.* videatur in alteram sententiam deflectere: certum enim est vix posse ita sisti in illa delectatione sensibili, quin accedant delectationes venereæ, in quas consentire vel se exponere consentiendi periculo secundum omnes est mortale: præterea si delectatio sensibilis sit circa objectum per se turpe, omnes dicunt esse mortale, quia experientia probat (inquit *Sporer*) quòd delectationi sensibili quæsità vel admisà circa objectum de se turpe inseparabiliter semper conjuncta sit delectatio venerea, in quam pariter ordinariè consentiet voluntas ita malè disposita. Atque ex his patet propositionem 40. rectè ab *Alexandro VII.* esse damnatam. *Vide dicenda Lib. 5. num. 106.*

Q. 193. *Quid sit delectatio speculativa, 895*
quid practica; & an semper sint peccatum mortale.

R. §. I. *Sporer* in *Theol. Mor. P. I. T. I. C. 6. N. 29.* vocat illam *speculativam*, quæ est de ipsa cognitione actus mali, vel de modo miro illius, v. g. vides amicum prono vultu cadentem in lutum & efferentem nasum sordidum, ac rides, non casum, de casu enim doles, sed modum lepidum cadendi; hanc delectationem vocat ipse *speculativam*: *practicam* autem dicit esse tum, si fit de ipsa re vel actione cogitata, ita ut ratio delectans sit ipsa res: hinc *infert* cogitationem practicam de re turpi semper esse peccatum mortale; delectationem autem *speculativam* in imaginatione de rebus turpibus, si sit voluntaria & non adsit bonus finis, qui mentem aliò divertat (practicè loquendo) etiam semper esse peccatum mortale, quia

(moraliter loquendo) nunquam fistitur in sola imaginatione, sed ob sympathiam ac connexionem potentiarum, naturaliter concitantur motus inordinati appetitus sensitivi: Et ita quoque docet *Tambur. Lib. 10. c. 1. n. 8.*

396 §. 2. *Cardenas* melius explicat, dicens delectationem speculativam esse actum, quo percipitur quidem delectabilitas objecti, tamen non ita, ut voluntas moveatur ad eam desiderandam vel exequendam, & sic studens *Casibus*, quando cogitat, legit vel loquitur de copula carnali, intelligit ejus delectabilitatem, attamen non movetur ad eam desiderandam: è contra *delectatio practica* est actus, quo ita percipitur delectabilitas objecti, ut voluntas etiam moveatur ad eam desiderandam vel procurandam, ut si cogitanti de copula oritur carnis commotio & appetitus ad illam, tum enim cogitatio speculativa mutatur in practicam: itaque inde dicitur *practica* vel *speculativa*, quod provocet vel non provocet ad amorem vel desiderium sui. Hoc supposito,

397 §. 3. Tenenda sunt sequentia, 1. Cogitatio purè speculativa objecti venerei non est delectatio peccatum, si absit periculum consensûs in delectationem vel cogitationem practicam. 2. Cogitatio practica objecti venerei est illicita, unde qui illam quærit vel in illam consentit, peccat mortaliter, quia talis cogitatio est causa per se commotionis spirituum & delectationis externæ determinantis ad illam, peccat autem mortaliter, qui efficaciter & directè vult ponere causam per se illius commotionis vel delectationis. 3. Qui, v. g. studet, & cogitur habere cogitationem tantum speculativam, si loco illius, invito occurrat cogitatio practica, non peccat, quia hæc non est illi voluntaria.

4. Si quis, v.g. studendo intendat cogitationes de objecto venereo, & nesciat distinguere, sintne practicæ an speculativæ, non peccat, si eis non consentiat, nec sit periculum consentiendi in commotionem vel delectationem: quando autem voluntas solet resistere his consensibus, signum est, quod invicem patiatur cogitationem practicam. 5. Qui vacat cogitationi speculativæ objecti venerei cum præviso periculo incidendi in cogitationem practicam graviter provocativam, attamen sine periculo consentiendi in illam, non peccat graviter, quia cogitatio purè speculativa non est causa per se, nec notabiliter influens in cogitationem practicam graviter provocativam, ideo licet velit illam, non censetur hanc in causa velle, ita quoad omnia Carden. addens eum, qui cum urgenti causa incumbit cogitationi speculativæ objecti venerei cum periculo consentiendi in cogitationem practicam graviter provocativam, non tamen in delectationem veneream, tum tantum dicendum esse peccare mortaliter, si loco cogitationis practicæ, quam scit distinguere à speculativa, posset & non curaret habere speculativam tantum, quia tum nulla esset causa habendi practicam & se exponendi illi periculo: Si tamen nesciret distinguere practicam à speculativa, ita ut loco practicæ posset assumere speculativam, putavit ipse adhuc non peccaturum, dans rationem, quia ex urgenti causa licitum est se exponere periculo proximo peccandi; sed hæc ratio ultima videtur amisisse probabilitatem per damnationem prop. 62. & 63. ab Innocentio XI. factam, uti dicitur Lib. 5. à num. 256.

Q. 194. Quid præterea sit notandum circa aspectus, 898
 scula, tactus, turpiloquia, quoad solutos. R. Seqq.

- §. 1. Si aspectus & oscula per se tendant ad delectationem veneream, id est, si non habeant alium effectum vel finem præter delectationem veneream, quæ cum illis percipitur, licet hæc non intendatur directè, sunt peccata mortalia, in *Rhod. Mendo D. 5. N. 18.* aliique: probat multis *Sacerdotibus* in Decal. L. 5. c. 6, quia qui sic illa intendit, virtualiter & exercitè simul intendit delectationem veneream: è contrà si fiant ex necessitate, vel alio fine honesto cum causa rationabili, v. g. ad ostensionem amicitiaæ secundum morem Patriæ, ad fovendum amorem in ordine ad contrahendum Matrimonium, quamvis per accidens simul orientur motus venerei, nullum essent peccatum, uti tenent AA. communiter cum *Mendo*. Denique si fiant ex levitate, joco, curiositate, perulantia, secluso scandalo & periculo, erunt venialia tantùm, ita cum communi *Tan. hic D. 4. Q. 8. a. 1.*
- 899 §. 2. Aspectus possunt in hac materia esse mortalia vel ex objecto, si hoc in se sit valde turpe & notabiliter apud plerosque ad libidinem provocans, uti si quis personam planè nudam aspiciat; vel ex sola intentione, quamvis objectum de se non sit ita turpe, uti si quis cum actuali affectu ad libidinem aspiciat faciem puellæ; vel ex solo periculo præviso, ut si quis objecta minùs honesta aspiciat advertens periculum consensûs in aliquo delectationem veneream, *Sporer in Tyroc. Sacram. P. 4. N. 345.*
- 900 §. 3. Oscula facta cum ardore vel moro nariè sunt mortalia propter morale periculum consensûs in delectationem veneream; idem est de osculis in ore diu replicatis, linguâ unius in ore alterius exceptâ; semper enim simul excitanda debet delectatio venerea, *Sporer num. 346.*

§. 4. Osculari pueros affectuosè & magna cum
suavitate ex amore teneræ ætatis ; item captare
delectationem sensibilem ex mollitiè teneræ car-
nis, per se loquendo, est tantùm veniale, *March.*
Sporer, Sanch. de Matrim. L. 9. D. 46 N. 13.

§. 5. Ancillæ, quæ lavant aut vestiunt pueros
aspiciunt vel tangunt partes inhonestas eorum,
et si motus sensualis exurgat, secluso consensu vel
complacentiâ turpi, aut non peccant, si ita officium
exigat, aut solùm venialiter, si leviter & ex curiosi-
tate faciant : Si autem id cum mora faciant, ordi-
nariè peccabunt mortaliter ob morale periculum
consensus libidinosi.

§. 6. Animalia minora, v. g. catellos molliter
tractare, demulcere etiam ad genitalia, ordinariè
est tantùm veniale ; est tamen periculosum
tangere genitalia, aut facere, ut effundant semen,
quia ordinariè se ingeret motus aut delectatio
venerea ; & hoc est, quod volunt *Salas & Bonac.*
apud Dian. P. 2. T. 17. R. 37. Potèstque etiam videri
Tambur. Lib. 7. c. 9. §. 2. n. 5.

§. 7. Tactus supra vestes ad partes verendas
est mortalis, si quæratur delectatio
conspurgens ex tactu mediato cogitato : Si autem
ex peulantia tantùm aut ex levi delectatione
tactus vestium, erit veniale tantùm, *Sanch. num. 11.*

§. 8. Oscula in partibus inhonestis facta à solutis ;
et immissio membri virilis in os alienum,
semper sunt mortalia, quia de se sunt valde
indecentia, & præterea sunt saltem venerei tactus,
quæ aliquæ communiter cum *Diana P. 3. T. 4. R. 225.*

§. 9. Tactus impudicus verendorum est mortalis,
tam in illis, qui propter defectum ætatis aut
alia de causa feminare non possunt, quia de se

rendit ad pollutionem & spiritus venereos notabiliter excitat, *Tamb. c. 7. §. 2. Sporer num. 333.*

907 §. 10. *Moya T. 6. D. 2. Q. 4. N. 11.* dicit esse mortali loqui verba turpia de se inductiva ad luxuriam licet abeset periculum scandali vel delectationis & consensûs tam in loquente quàm in audiente, quia continent illam malitiam, ad quam ex natura sua inducunt: *Excipe*, nisi ex circumstantiis aliud significarent, aut non censerentur esse inductiva: quòd si præsentibus sint ita prolixi aut ita improbi, ut verbis turpibus non moveantur ad peccatum, *Salon. Sanct. Castrop. & cum Diana P. 5. T. 7. R. 3.* dicunt rationem scandali non continere. Denique si proferantur tantum ad ostentationem ingenii, ob amorem laudis propter acumen, aut ob alium finem non mortaliter malum, secluso scandalo & periculo tantum venialia, *S. Antonin. Cajet. Navar. & aliique apud Moyam num. 3.*

908 §. 11. Eunuchi per hæcenus dicta esse peccare possunt mortaliter, quia etiam in eis datur commotio spirituum & motus humorum non est quidem aptus generationi, attamen sentiri delectationem diversam à purè sensuali & æquivalenter veneream.

909 Q. 195. *Quid circa illos sit addendum, qui aut fuerunt in Matrimonio; item circa hæc sponsalia. R.* De primis dicetur *L. 6. c. 2. D. 2. ad l. De postremis dicetur ibidem c. 1. ad D. 2.*

910 Q. 196. *An detur parvitas in materia venerea sive, an possit deliberatè quæri delectatio venerea ita levis, ut non ideo peccetur mortaliter.*

R. §. 1. *Omnis delectatio venerea est mortalis in illo, cui copula est illicita, unde non potest esse delectatio venerea ita parva, quin proprie*

peccetur mortaliter. *Probat*ur 1. Quia sententia negans est approbata à *Clemente VIII.* & *Paulo V.* qui præceperunt eos denunciari Inquisitoribus, qui docerent amplexus & oscula libidinosa non esse mortalia, licet sola delectatio venerea in eis placeret sine ordine ad copulam: Et ideo aliqui apud *Mendo D.* Num. 4. putant sententiam oppositam esse damnatam, alii vocant improbabilem, falsam, temerariam, scandalosam. 2. Omnis delectatio venerea ex se ordinatur ad effusionem seminis, cum sit commotio illius vel spirituum illud commoventium, ergo in illis, quibus copula non est licita, est mortalis. 3. In omni delectatione venerea quantumvis modica, in quam quis consentit, datur periculum proximum majoris, quæ in homine soluto erit mortalis, ergo etiam illa modica est mortalis. *Probat*ur antecedens, quamvis enim fieri posset in aliis materiis, tamen in hac nemo potest dicere, eousque me oblectabo, talem præcisè motum volo & non majorem, non enim possumus pro libertate terminum præscribere; cujus ratio hæc est, quia applicatâ causâ ad excitandam commotionem, statim adest alia causa necessaria augens illam, nempe vehemens inclinatio, quam habet appetitus carnalis ad eas delectationes, præsertim quando sentit aliquam jam præsentem, sicuti si scintilla de se parva incidat in pulverem pyrium, incendit quidem granum unicum, sed hoc accenso adest proximum periculum, ne accendatur aliud & fit totus cumulus. Quod alio simili confirmat *Cardenas*, nam homo cæcus sciens in mensa jacere nummos æreos & aureos, quos discernere nequit, quamvis velit æreum tantum furari & in mare projicere, tamen peccat mortaliter furando aliquem

& projiciendo in mare, licet fortè sit æreus tantum, quia exponit se proximo periculo projiciendi aureum, nec cum voluntate sic projiciendi potest habere voluntatem efficacem non projiciendi aureum. Similiter homo quærens delectationem levem, nam dubitare debet, an non sit futura fortè gravis, unde cum voluntate habendi levem non potest habere voluntatem efficacem non habendi gravem. Quæ hîc opponi possent, solventur Lib. 5. à num. 101.

911 §. 2. Quod ad Societatem JESU attinet, CLAUDIUS AQUAVIVA, V. Generalis tale dedit Decretum ad totam Societatem, 24. April. 1611. *In virtute S. Obedientia & sub pœna excommunicationis &c. precipitur, ne quis in Societate publice vel privatim, non modo ut veram & probabilem, sed ne sit tolerabilem quidem ullâ ratione doceat opinionem eorum, qui tradunt in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberatè quæsitam propter levitatem materia excusari à mortali; aut placere sibi significet, aut secundum illam consilium cuiquam det.* Id extendit VINCENTIUS CARAFFA VII. Generalis, 19. Jan. 1647. etiam ad delectationem non quæsitam, sed naturaliter obortam, unde sustineri non potest sententia *Arr. de Peccat. D. 46. Num. 17*, qui putat non esse mortale, si quis consentiat in tales motus leves sponte obvenientes, ideo etiam ipse postmodum *T. 5. D. 58. N. 46* sententiam suam retractavit: Et quia contingere poterat casus, quo vir doctus judicans dari paritatem in ea materia & nobis confitens nollet recedere ab illa opinione sua, dubitatum est, an talem possemus absolvere; Revisores Romani nomine GOSWINI NICKEL X. Generalis responderunt Gallo-Belgis, teste *Platel. de Peccat. N. 251*

posse & debere absolvi, nam hoc non est ullo modo approbare sententiam affirmantem, aut secundum illam consilium dare, sed suppositâ qualicumque existimatâ probabilitate, quam Ecclesiæ auctoritas juxta quosdam DD. necdum eliserit, Jus suum tribuere Pœnitenti aliàs disposito ad absolutio- nem, secundum dicta Lib. I. num. 445.

§. 3. Si luxuria sumatur genericè, prout est ⁹¹² quid commune delectationi sensibili & venereæ, communis sententia est dari posse parvitatem in materia carnis & luxuriæ, uti dicitur L. 5. n. 105.

Q. 197. *An sit peccatum, si voluntas in motibus ⁹¹³ venereis habeat se negativè, id est, neque consentiat, neque positivè resistat, sed quasi permisivè se habeat.*
R. Hoc decidendum esse Lib. 5. à num. 109.

Q. 198. *Qua generaliter sint remedia contra luxu- ⁹¹⁴ riam.* R. Sequentia, 1. Oratio humilis, ut agnoscens fragilitatem suam recurrat ad Dei auxilium, sine quo nemo continens esse potest, Sap. 8. v. 21; solèturque DEUS quandoque superbos punire, permittendo labi in has fœditates. 2. Sobrietas, nam Bacchus & Venus amici sunt. 3. Opera pœnosa, uti jejunia, flagella, cilicia; *Copia vel mordacitas seminis, ex quibus sapissime oritur commotio venerea, optimè sanatur per Jejunia, disciplinas & carnis macerationes, Bonæ Spei hinc D. 10. num. 15.* 4. Mortificatio & custodia sensuum. 5. Evitatio occasionum & præcipuè familiaritatis cum mulie- ribus, in hoc vitio vincitur fugiendo. *Contra libi- dinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam, S. Aug. in Psalm. 23. v. 4.* 6. Fuga otii. 7. Piorum librorum lectio. 8. Meditatio mortis & æternorum. 9. Frequens Confessio & Communio. 10. Occurrente tentatione cogitare Deum, severum peccati Vindicem, esse præsentem.

II. Frequenter animo revolvare hanc sententiam: *Momentaneum est, quod delectat, æternum, quod cruciat.* 12. Statim avertere cogitationem ad quidvis aliud primò occurrens. 13. Pro illis, qui sunt bonæ conscientia & qui deliberate consentire non solent, servit contemptus, nam timor nimius tentationem multum auget. 14. Optimum est habere prudentem ac stabilem Confessarium, ejusque consilium sequi, nam remedia illa suggeret, quæ subjecto erunt utiliora ac huic tentationi vincendæ hic & nunc magis accommodata.

D U B I U M II.

Quæ sint species luxuriæ consummata naturalis.

- 915 **R**esp. Eæ dicuntur, in quibus fit commixtio
 eo modo, quo natura instituit, v.g. quando
 servatur sexus diversus, species eadem, vas
 & modus naturalis, &c. ut vide in principio
 hujus Cap. Unde resolvitur tales esse has sequen-
 tes, quæ ideo in Confessione sunt exprimendæ.
 I. Est *fornicatio*, quæ est concubitus soluti
 cum soluta, (hoc est, quæ sit libera à voto, Matri-
 monio, Religione) ex mutuo consensu. Ad hanc
 reducitur, I. *Concubinatus*, qui est fornicatio
 continuata: unde concubinarius (uti & meretrix)
 ordinariè non debet absolvi, nisi dimissâ concu-
 binâ, aut muliere suspectâ, cujus retentio scan-
 dalum daret, licet cum ea non peccaret. *Sanch.*
Lib. 1. Moral. Cap. 8. Navar. Fill. Tract. 30. num. 56.
 2. *Congressus cum alterius sponsa*, quæ est forni-
 catio intra eandem speciem gravior, & in Con-
 fessione aperienda, saltem respectu sponsæ,
 ut

ut docet *Rodrig. Tom. I. Cap. 109. Sanch. de Matrim. cc*
L. 1. D. 2. N. 6. Fagund. T. 2. L. 4. c. 3. Fill. num. 53. cc
 contra *Covarr. Vivaldum, Ledesim. Azor*, quorum
 sententiam, (etiam respectu sponsæ) probabilem, cc
 & in praxi tutam, censet *Diana P. 1. Tract. 7. R. 5. cc*

II. *Stuprum*, hoc est, defloratio virginis, cc
 ipsâ invitâ, (quia si consentiat, erit tantum forni- cc
 catio simplex) circumstantia in Confessione cc
 aperienda, ut probat *Lesf. L. 2. c. 10. n. 1. Et Sanch. cc*
de Matrim. L. 7. D. 14. contra Navar. Azor & alios. cc

III. *Raptus*, cum scilicet persona aliqua, cc
 (sive masculus; sive fœmina, sive nupta, sive cc
 innupta) libidinis causâ abducitur, illatâ vi, cc
 sive abductæ, sive iis, quorum potestati subest. cc
 Si quæ tamen sponte discedat cum Amasio, cc
 insciis Parentibus, non erit propriè raptus, sed cc
 fuga, non addens malitiam specie distinctam cc
 fornicationi. *Lugo de Pœnit. D. 16. n. 237. Fill. n. 110. cc*
V. Bon. Idem dicit Dia. P. 1. T. 7. R. 37. ex Lesf. Dub. 1. cc
Sanch. num. 5. & c.

IV. *Adulterium*, cum scilicet uterque, cc
 vel alteruter coëuntium, est conjunctus Matri- cc
 monio, etiam si adulterantis conjux sit contentus: cc
 esto enim tunc illi non fiat injuria, fit tamen cc
 ipsi statui, Sacramento, & huic Præcepto. cc
 Quòd si fœmina adulterans sit conjugata, gravius cc
 habetur, quàm si vir, propter incommoda gra- cc
 viora, v. g. damnum veri hæredis, prolis incerti- cc
 tudinem, & c. Si verò uterque sit conjugatus, cc
 adhuc gravius est, quia sunt duæ injuriæ cc
 in utriusque conjugem, in Confessione expri- cc
 mendæ. *Fill. num. 85. & 89.*

V. *Incestus*, hoc est, congressus cum consangui- cc
 nea, vel cum affine, usque ad quartum gradum, eò cc
 gravius peccatum, quòd gradus est propinquior: cc
 quem

» quem proinde in Confessione exprimere, saltem
 » securius est, ut habet *Navar. c. 6. Lugo num. 312.*
 » Sicut etiam multò gravior est incestus cum con-
 » sanguinea, quàm cum affine in eodem gradu, v. g.
 » cum matre, quàm cum noverca ; cum sorore
 » propria, quàm cum sorore uxoris. Et rursus
 » gravior est cum affine, quàm cum cognato spiri-
 » tuali vel legali. Addi verò debet, si in primo gradu
 » fuerit, utrum cum matre, an cum filia, an
 » cum sorore. *Lugo l. c. & Escob. de actib. human.*
 » *E. 2. c. 6. ubi ex Hurtad. D. 9. de Pœn. Dis. 4. proba-*
 » *bile dicit, incestum in eodem gradu & linea*
 » *eiusdem esse speciei, (eò tamen graviolem*
 » *quò gradus est vicinior stiripi) & satis esse dicere,*
 » *habui rem cum consanguinea in linea recta.*
 » Ad hanc speciem revocatur tanquam analoga,
 » fornicatio cum filia Confessionis, cum propriè
 » non sit cognatio spiritualis, quam tamen circum-
 » stantiam in Confessione exprimendam esse
 » probat *Sanch. D. 55. Kôn. D. 15. Fagund. & ceteri,*
 » *probabiliter, contra Sa v. Confessio & Dianam.*
 » *Vid. Lugo num. 355.*
 » VI. *Sacrilegium*, hoc est, violatio rei sacræ
 » per actum venereum. Res autem sacræ, quæ sic
 » violantur, sunt locus, & persona : unde sacri-
 » legium est, 1. Omnis actus luxuriosus exterior,
 » (qualis etiam est, v. g. pollutio, & probabiliter
 » etiam tactus impudici, ut *vide Lugo num. 404.*)
 » in loco sacro, hoc est, in templo, vel cœmeterio :
 » nisi tamen fiat à conjugibus, ex necessitate, v. g.
 » ad vitandam incontinentiam. 2. Omnis actus
 » luxuriosus tam interior, quàm exterior,
 » in persona, vel cum persona voto castitatis
 » consecrata : circa quem tamen probabile est,
 » non opus esse exprimere, utrum fuerit
 » votum

votum solenne, an simplex. Sicut neque, si duplici titulo sit sacrata, v. g. quia est Sacerdos & Religiosus, quia moraliter est una numero malitia. *Sanch. D. 27. num. 27. Henriq. & ceteri, quos citat & sequitur Diana P. 1. T. 7. R. 3. Vul. Lugo Sect. 4. Bonac. Q. 4. P. 17. Escob. E. 8.*

A D D E N D A.

Q. 199. *Quid hic sit addendum.* R. Hæc pauca, 916
 I. Certum est coïtum inter solutos esse peccatum mortale; & errorem oppositum damnavit *Concilium Viennense, Clementin. Ad nostrum, de hæreticis, & Concilium Florentinum* inter errores Græcorum. Docuit quoque *Simon Magus* cum aliis, quos refert *Arcdek P. 2. de dogmat. damnat. v. Copula*, quod usus fœminarum sit communis, sed hic error reprobatus est in *Concilio Hierosolymitano* sub *S. Petro Apostolo*. Docuerunt etiam *Begardi* coïtum non esse peccatum, osculum tamen esse, uti idem *Arcd.* refert, sed hoc delirium etiam damnatum est in *Concilio Viennensi*, anno 1311. Quod autem fornicatio sit intrinsecè mala, declaravit *Innocentius XI.* per damnationem hujus 48. prop. *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Esse autem intrinsecè malam propter periculum malè educandæ prolis, probat *Ovied. de Peccat. Controv. 3. num. 150. 2.* Etiam est certum, quod coïtus cum non sua sit adulterium, nam *Innocentius XI.* damnavit hanc 50. Propositionem: *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium, adeoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum.* Et rationem dat *Busenbarium* nam. 915. relatus. 3. *Taberna P. 1. T. 1. c. 3. §. 1.* dicit puellam

puellam non peccare, si ob evidens periculum mortis vel ingentis infamiae non adhibeat omnia omnino media ad depellendum stupratorem, v.g. si hunc, cum posset, non occidat, si non inclamet viciniam, sed merè patiatur coitum, tamen secluso omni periculo consensûs. Et licet hanc propositionem editis libris teneant Authores plures quam 50, quos adductis locis refert *Vindex Tabernæ* ad Prop. 1, inter quos sunt *S. Anton. P. 2. T. 7. c. 8. §. 2.* *Silvest. v. Homicidium 1. N. 9. Sot. Lib. 5. Quæst. 1. Art. 5.* *Navar. Man. c. 16. N. 1. Tolet. L. 5. c. 6. Lesf. 1. 2. q. 6. art. 5.* *Lugo de Justit. D. 10. n. 198.* *Regin. L. 22. c. 1. Sect. 1.* *Gonet de act. human. D. 1. N. 93. Steph. T. 1. D. 5. N. 43.* *Philip. T. 2. D. 9. D. 1. Bosco P. 3. D. 7. S. 10. N. 127,* tamen non expedit eam publicè proponere aut defendere, quia apta est causare abusus, præsertim apud rudes.

917 Q. 200. *In quo consistat virginitas, & quando amittatur. R. §. 1.* Circa primum variaz sunt Medicorum sententiæ: Multi dicunt in mulieribus incorruptis inveniri ad orificium vasis membranulam dictam hymen vel eugion, quæ si frangatur, per hoc amitti virginitatem: contradicunt alii cum *Boudevv. p. 2. q. 19. cum Fil. T. 30. n. 65.* cum *Lesfio de Just. L. 2. c. 10. n. 3. cum Sanch. de Matr. Lib. 7. D. 14. Num. 1,* & dicunt claustrum virginale in mulieribus consistere in membranis carnis illud constringentibus ita arctè, ut appareat esse quasi ligamentum cutaneum: hinc ibidem docet *Boudevv.* posse semen circa muliebria effusum ita attrahi à matrice, ut hoc sufficiat ad consumptionem Matrimonii, licet corpus virginis non penetretur nec fiat defloratio, & hoc fieri posse, nullus, quod sciam, inquit *Boudevvins, Medicorum dubitat.* Quod autem mares atinet, virgine

virginitas eorum consistit in inviolatione vasis genitalis, è quo nullum semen fit adhuc effusum.

§. 2. Virginitas in puella physicè amittitur per apertionem sive distensionem partium, quæ claudunt vas genitale; in maribus, per effusionem feminis: ut tamen in utrisque moraliter amittatur, debet apertio vasis & effusio feminis esse voluntaria, hinc si fit involuntaria, manet homo coram Deo virgo & capax laureolæ virginitatis, secundùm illud S. Lucie: *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam*: è contrà laureola virginitatis amittitur tam à fœmina quàm à masculo per pollutionem voluntariam, licèt (quoad statum) coram facie Ecclesiæ maneat virginitas, quamdiu claustrum virginitatis non est violatum, in puella, *ab extrinseco*; in masculo autem per copulam carnalem, *Sporer post T. 5. in App. ad 6. & 9. Præceptum. num. 5.*

D U B I U M III.

*Quæ sint species luxuriæ consummata
contra naturam.*

Resp. Cùm contra naturam esse dicantur eæ, ^{cc 913} in quibus fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturæ, ita ut juxta tales modos species varientur; hinc resolvitur tales species esse sequentes:

I. *Congressus inordinatus*, hoc est, innaturalis, sive indebitus concumbendi modus, cùm scilicet servatur quidem identitas speciei, diversitas sexus & debita naturæ organa, sed inordinato tantùm modo acceditur; v. g. cùm vir succumbit, vel

- » vel averse accedit more pecorum, vel à latere,
 » vel stando, aut sedendo, aliâve ratione insolitâ,
 » quod est contra naturam, mortale, quando inde
 » periculum est impediendæ generationis, ut
 » effundendâ feminis; aliâs si hoc periculum
 » caveatur aut non sit, eò quòd matrix foemine
 » satis attrahat semen & retineat, ut fit plerumque,
 » non contra, sed præter naturam erit, & veniale
 » grave, imò nullum, si gravis causa adsit, v.g. quia
 » mulier est prægnans, vel quia corporis dispositio,
 » sive utriusque, sive alterutrius conjugis
 » aliter fieri non patitur. *Fil. T. 30. n. 157.*
 » II. *Mollities* sive *pollutio*, & est, cum absque con-
 » gressu seu copula, voluntariè procuratur fluxus
 » feminis, sive id foras effundatur, uti in maribus
 » sive intus diffuat in matricem, ut in foeminis. Et
 » hoc peccatum, præter propriam malitiam, sæpe
 » aliam habet adjunctam, ut v.g. fornicationis,
 » adulterii, incestûs, &c. cum quis nimirum
 » simul imaginatur ac desiderat congressum
 » alicujus personæ liberæ, conjugatæ, &c. quod
 » proinde, si fiat, in Confessione aperiendum est.
 » Plura de mollitie *vid. sequenti Dubio.*
 » III. *Sodomia imperfecta*, & est congressus
 » cum debito quidem sexu, maris nempe
 » cum foemina, sed extra vas naturale. Potest etiam
 » simul habere alias malitias, v.g. adulterii, si fiat
 » cum conjugata, incestûs, si fiat cum consanguinea.
 » *Bonac. Q. 4. de Matrim. P. II. n. I. Fill. num. 158.*
 » IV. *Sodomia perfecta*, & est congressus
 » duorum ejusdem sexûs, ut maris cum mare, vel
 » foemine cum foemina. Et potest etiam habere
 » alias malitias adjunctas, v.g. incestûs; quo cali-
 » cognitionis gradum non necessariò explicari
 » docet *Esc. de act. hum. E. 2. c. 6.* sed satis esse dicere

coivi cum consanguineo, vel cum affine ; quia
nec miscetur caro, nec contrahitur affinitas,
nec linea variat speciem. *Ita ille.* Explicandum
tamen esse, fuerisne *agens*, an *patiens*, dicit *Lugo*
de Pœnit. D. 16. n. 423. contra Dian. Tom. 2. T. 4. R. 159.
Et *P. 6. T. 6. R. 36.*

V. *Bestialitas*, quod est gravissimum
inter omnes : & est congressus, in quo non serva-
tur identitas speciei : v. g. si homo coëat
cum bestia, sive ejusdem sexus sit, sive non.
Neque opus est explicare, qualis, sive cujus spe-
ciei fuerit, quia est differentia tantum materialis,
& in genere Entis ; non autem formalis
& in genere moris. *Escob. E. 2. c. 6. ex Fill. num. 161.*
Huc revocatur peccatum cum dæmone succubo,
vel incubo ; cui peccato superadditur malitia
contra religionem, & præterea etiam sodomix,
adulterii, vel incestus, si affectu viri, vel mulieris,
sodomitico, adulterino, vel incestuoso,
cum dæmone coëat. *Vid. Bonac. de Matr. Q. 4. P. 12.*
Fill. num. 162.

A D D E N D A.

Q. 201. Quodnam peccatum sit gravius, sodomia
an furtum. R. Sodomia videtur esse gravius,
uti pluribus evincunt *Mendo in Stat. D. 5. Q. 23.* &
Moya T. I. Tract. 6. D. 4. Q. 5. Quod autem reducatur
abortus, videri potest *Steph. T. I. D. 5. N. 62.*

D U B I U M IV.

An aliquando liceat procurare pollutionem.

R. *Ess.* Auctoritate Scripturæ, quæ molles
à Regno cælorum excludit, *I. Corinth. 6.*
docent omnes, nullo casu licitum esse inten-
dere, vel procurare directè mollitiem, nequidem
causâ sanitatis, ac vitandæ aliàs certæ mortis.

M m

Causam

- » Causam dat *Sanch. de Matrim. Lib. 9. D. 17.* quòd
 » natura administrationem seminis, extra Mari-
 » monium, in omni eventu homini denegaverit,
 » eò quòd adeo vehemens fit in ea re sensus
 » voluptatis, ut homines passione excæcati, passim
 » sibi facillè persuaderent, habere se justam causam
 » irritandi seminis, unde plurima gravissimæque
 » vitia contra bonum commune, & in impe-
 » tione generationis emergerent. *Navar. Cap. 16.*
 » *Lesf. L. 4. c. 3. D. 4. & communiter. Unde rescribitur.*
 » I. Destillatio, quæ est fluxus humoris, quæ
 » medii inter urinam & semen, (cum quo coloris
 » & viscositatis similitudinem gerit) sine ingenti
 » illa delectatione, non est vera pollutio, & si pro-
 » veniat sine omni commotione sensus veneri-
 » tatis, ut quandoque fit, de ea non magis laborandum
 » quàm de sudore, dicit *Cajetan.* Si verò fit
 » cum sensu carnis, & commotione spirituum
 » generationi servientium, tum ei cooperari, vel
 » causam præbere, non est, vel est peccatum; idque
 » veniale, vel mortale, ad eundem modum, quo
 » de pollutione dicitur. *Sanch. D. 45. num. 3.*
 » *Laym. L. 3. S. 4. N. 18.*
 » II. Si semen iudicio Medicorum transi-
 » in materiam venenosam, licet eam medicamentis
 » expellere, etsi præter intentionem sequatur
 » aliqua veri seminis emissio. *Sanch. D. 17. num. 10.*
 » *Fill. T. 30. n. 150. Trull. L. 6. c. 1. D. 8. §. 1. n. 14.*
 » III. Non tenetur (modò tantùm absit pe-
 » culum consensu in voluptatem; nec voluntas
 » promoveat) impedire pollutionem sponte
 » eventientem, aut jam cœptam, v. g. in somno
 » reprimere, sed potest sanitatis causâ finire
 » ut natura se exoneret: quia id non est procurare
 » sed pati, ut effluat, quod aliàs corruptum
 » sanita-
 » etiam
 » dolea
 » addit
 » & sin
 » Deum
 » Sanch
 » IV.
 » minu
 » animi
 » natur
 » deriu
 » Simil
 » & sine
 » deriu
 » desid
 » carer
 » V.
 » vel li
 » liser
 » valet
 » nullo
 » peric
 » tur ab
 » suum
 » & præ
 » peric
 » imili
 » ex ne
 » alloq
 » Patri
 » Quòd
 » in de
 » ex
 » à cau
 » faci

sanitatem læderet. Unde idem admittit *Sanch.* et
 etiam si orta esset prius ex culpa, modò de ea et
 doleat, & consensum ulteriorem abstrahat; et
 additque, plerumque expedire, munire se cruce, et
 & sinè alio attactu, quietis manibus, rogare et
 Deum, ne permittat lapsum in delectationem. et
Sanch. n. 17. Trull. n. 8.

IV. Licitum est ob finem honestum, v. g. et
 minuendæ tentationis, sanitatis, tranquillitatis et
 animi, optare simplici affectu spontaneam, & et
 naturalem exonerationem naturæ, modò desi- et
 derium illud non sit causa efficax pollutionis. et
 Similiter licet etiam de ea gaudere, viâ naturali et
 & sinè peccato facta, quia objectum istius desi- et
 derii & gaudii non est malum, licet ejusmodi et
 desideria simplicia inutilia esse, nec periculo et
 carere, quidam bene observent. *Less. n. 105. Lay. n. 17* et

V. Si quis facturus rem aliquam necessariam, et
 vel licitam & honestam, prævidet inde natura- et
 liter securam pollutionem, (idque multò magis et
 valet de destillatione) quam tamen ille et
 nullo modo velit, nec intendat, tunc, modò absit et
 periculum consensûs in delectationem, non tene- et
 tur abstinere à tali actione; quia prosequenti et
 suum Jus, non imputatur effectus per accidens, et
 & præter intentionem securus. Hinc non obstante et
 periculo pollutionis, licet audire Confessiones et
 mulierum, studere casibus conscientiæ, tangere se et
 ex necessitate, foeminas cautè, & cum necessitate et
 alloqui, osculari, amplecti juxta morem et
 Patriæ, si alioqui incivilis habendus esset. et
 Quòd si tamen periculum esset consentiendi et
 in delectationem (quod colligitur inde, si sæpius et
 ex simili occasione mortaliter fit lapsus) et
 à causa illa quantumvis licita abstinendum esset: et

M m e

proin-

» proindeque Confessarius tali casu teneretur
 » relinquere officium. *Fill. Sanch. D. 45. Navar. c. 16.*
 » *Laym. n. 16.* Monet autem *Laym.* eum, qui in actio-
 » nibus honestis & utilibus talem miseriam expe-
 » ritur, facilius liberari contemnendo, quam zeli-
 » mando; quia imaginatione, & timore augemur.
 » VI. Si pollutio secutura prævideatur ex re
 » illicita, otiosa, vel minus necessaria, & hæc sit
 » causa propinqua; ac naturam suam ad Venerem
 » ordinata, ut sunt actus luxuriosi, tactus, aspectus,
 » lectio, auditio, locutio turpis, mortale est ab illa
 » non abstinere: quia in eam consentiens, morta-
 » liter in effectum consentire censetur. Quod si vero
 » res illa sit causa tantum remota, per accidens
 » tantum ad pollutionem concurrens, qualis est
 » v. g. esus aut potus calidorum, equitatio, com-
 » bulatio inutilis, crapula, ebrietas etiam mortalis
 » (modò pollutionem non intendas, & absit peccatum
 » culum venerei consensus) secuta pollutio non est
 » mortale, quia in talem rem consentiens, non debet
 » velle censetur effectum. *Fill. num. 152. Sanch. l. c.*
 » *Lefs. n. 90. & 100. Vid. Dian. P. 5. T. 13. R. 4.* Addunt
 » quidam DD. hanc regulam, pollutionem in causa
 » volitam tantum esse peccatum, quantum est ipsa
 » ut si causa sit peccatum mortale, etiam ipsam
 » fore mortalem; si sit veniale, venialem: Si vero
 » causa nullum sit peccatum, nec ipsam fore
 » (secluso semper periculo consensus) hinc veniale
 » v. g. esse illam, quæ provenit ex lectione curiosa,
 » vel aspectu per se non mortali. *Trull. n. 5. ex Lopez.*
 » *Henriq. Vasq. Bonac. Tom. 1. de Matrim. Q. 4. Par.*
 » *Vid. Dia. P. 1. T. 2. Misc. R. 56.*
 » VII. Pollutio in somno facta est mortalis
 » 1. Si antè directè vel formaliter est procurata, &
 » causa non est retractata. 2. Quando post somnum

placuit, & approbata est propter delectationem
veneream; aliàs non. *Fill. num. 148. Trull. num. 9.*

Quæres. An mutua pollutio inter mares
vel fœminas procurata, sit mollities tantum,
an Sodomia.

Resp. Si fiat ex solo affectu ad veneream libidi-
nem, absque concubitu, esse tantum mollitiem :
Si verò fiat ex affectu ad personam illam inde-
biti sexûs (præsertim si adfit aliqua conjunctio,
& commixtio corporum) est quoad malitiam
sodomia. *fil. T. 30. Cap. 8.* Plura de tota hac materia
vid. infra Lib. 5. num. 76. & Auctores citatos.

A D D E N D A.

Q. 202. *In quo consistat malitia pollutionis. R. 915*

In hoc præcipue, quòd sit contra finem naturæ,
quæ in ordine ad solam generationem format
semen, pollutio autem illud prodigit voluptatis
causâ. Deinde si licita esset pollutio, impediretur
propagatio generis humani, quia nemo vellet
inire Matrimonium ob gravissima illius onera &
difficultates, sed fatiarent se homines voluptate,
quæ est in effusione seminis, habeturque per pol-
lutionem. Atque ex his constat pollutionem esse
intrinsecè malam, quod etiam declaravit
Innocentius XI. damnans hanc 49. propositionem :
*Mollities Jure Naturæ prohibita non est, unde
si DEUS eam non interdixisset, saepe esset bona
& aliquando obligatoria sub mortali.*

Q. 203. *Quid circa causas pollutionis sit addendum. 922*

R. Seqq. §. 1. Si actio, ex qua prævidetur pollutio,
sit mortale in materia luxuriæ, simulque causa
per se & efficax pollutionis, pollutio secuta est more
tale, tum quia Lex obligans ad peccatum vitandû,
obligat ad vitandas causas per se efficaces illius ;
tum quia talis pollutio censebitur intenta in causa

& in natura operis, ad quod sequitur; tum etiam quia qui consentit in mortale circa materiam luxuriæ, exponit se periculo proximo consentiendi in delectationem majorem pollutionis prævisæ, ergo saltem ratione periculi peccat mortaliter, *Arriag. D. 46. Num. 23. Rhod. D. 1. Q. 3. Sect. 2. §. 5. Sporer in Tyrocin. Sacrament. P. 4. Num. 336. & alii communiter.*

223 §. 2. Si actio, ex qua prævidetur pollutio, sit tantum veniale in materia luxuriæ, adhuc dicitur *Mendo in Stat. D. 5. Q. 2.* pollutionem secutam esse mortale, tum quia causa est in materia luxuriæ & directè ac per se tendit ad pollutionem, ergo qui vult illam, censetur hanc in causa velle, non aliter ac si illa esset gravis in materia luxuriæ, tum etiam quia cum istis semper est hominum jam actualiter affecto ad rem turpem periculum proximum consensûs in delectatione conjunctam pollutioni, ergo saltem ratione periculi semper est mortale. E contra *Vasq. Henriq. Bonac. Fill. Salas* uterque *March. Less. L. 4. c. 3. n. 102. Dia. P. 1. T. 7. R. 6. Et P. 2. T. 15. R. 31. Gobat in Exp. T. 7. num. 336.* aliique plurimi cum *Sporer* supra in *Th. Mor. T. 1. c. 5. n. 19.* dicunt posse tum abesse omnem intentionem pollutionis & periculum consensûs in ea, & consequenter pollutionem tum secutam esse tantum veniale, quia cum sit tantum veniale in causa, in tantum est mala, in quantum causa est mala, quæ sola est voluntaria, causa autem est tantum venialiter mala, ergo etiam pollutio secuta.

224 §. 3. Si actio, ex qua prævidetur pollutio, non sit peccatum in genere luxuriæ, quamvis sit mortale in alio genere, uti est ebrietas vel esus carnium die Veneris, *Sporer* supra, *Sanch. & alii*

apud *Dianam* P. 1. T. 7. R. 65. dicunt esse veniale contra castitatem, quia quamvis causæ illæ non influant per se nec multum in pollutionem, tamen videtur esse levis deordinatio contra castitatem, quod sine causa ponatur aliquid etiam remotè causativum pollutionis. *Nec obstat*, quod in re venerea non detur parvitas materiæ, secundum dicta n. 910, adeoque si peccetur, videatur peccari mortaliter; *nam* tum tantum peccatur mortaliter, quando res venerea est directè in se volita aut saltem in causa mortaliter mala & per se inductiva illius: de cetero potest peccari venialiter, vel per causam per se & directè volitam, si hæc tantum leviter sit inductiva, vel per causam per accidens & indirectam, quæ non est in materia luxuriæ; uti (secundum omnes) peccari potest venialiter per negligentiam levem in cavenda pollutione, *ita illi*: è contra *Arr. n. 19. Rhod. supra & alii* probabilius dicunt, per se loquendo, nihil peccari contra castitatem, quia quod peccetur contra temperantiam, comedendo die Veneris carnes, nihil spectat ad castitatem, tam parum, quàm si die Jovis comedantur carnes per actionem omnino indifferentem: idem est, si actio per accidens tantum esset in materia luxuriæ, v.g. ratione finis, uti si quis carnes comederet die Veneris ad complacendum puellæ, animo inducendi eam ad fornicationem, pollutio enim sequeretur ab illa comestione tantum per accidens & velut à causa remota.

§. 4. Si actio, ex qua prævidetur pollutio, sit de se 925
honestæ & licitæ, licet videatur spectare ad materiã luxuriæ, uti lectio casuum turpium, si tamen sit necessitas, utilitas, aut alia quævis causa rationalis eam ponendi vel continuandi, nullum erit peccatum, quamvis sequatur pollutio, uti latè

ex *S. Aug. S. Th.* & communi omnium sensu probant *Sanch.* de Matrim. L. 9. D. 45. n. 4. *Rhod.* supra *Tann.* D. 4. q. 8. n. 81. Ratio est, quia qui utitur Jure, quod habet ad ponendam actionem de se honesta & licitam, illi non imputatur ad peccatum, quod per accidens sequitur, cum hoc potius patiatur quam agat; & tales actiones sunt, secundum *Sporer*, choreas honestas ducere; secundum *J. Sanch.* in *Sol.* D. 21. n. 12. & 32, equitare, etiam rationabilis recreationis causâ; certo & commodo situ cubare in lecto, ambulare citò, crus vel femur unum superponere alteri &c, dummodo semper bonâ fice procedatur, id est, dummodo nullo modo intendatur oblectatio pollutionis, nec sit periculum consensûs in illam. Ratio omnium à priori est, quia talis causa, v. g. esus calidorum, per se tantum tendit ad roborandum corpus per augmentum sanguinis & spirituum animalium, ex quorum vigore vel abundantia quandoque oritur pollutio, quod per accidens est tali comestioni, quæ habet alium honestum finem, meritò præponderantè illi periculo remoto pollutionis, quæ timetur: imò *Mendo* de Pecc. D. 7. S. 8, ait eum non peccare graviter, qui exercet aliquem corporis motum nec necessarium nec utilem, certò prævidens ex eo oriturâ delectationem sensitivam: *Ills.* T. 4. D. I. N. 72. citans *Sanch. Castrop. Laym. Fill.* absolutè dicit hominè non teneri abstinere à commoditate sitis, lecti, equitationis, potus, etiam si ex his natura per accidens concitari soleat; sed qui studiosi sunt puritatis, talia cavent.

916 §. 5. Si quis fricat verenda volens abigere pruritum vel qualitatem morbidam fortè adhaerentè genitalibus vel in eorum meatu, & ex frictione prævideatur secutura pollutio, docet cum aliis multis *Mendo* q. 4. esse mortale; consentit *Sporer* in Tyroc. P. 4.

P.4. N. 333, si fiat præcisè ad semen corruptum vel ad morbidam qualitatem expellendam, tum quia semper adest periculum consensûs in delectatione, tum maximè quia illa frictio per se tendit ad verum semen provocandû, & est causâ proxima ac per se efficaciter concitans spiritus venereos, adeoque per se proximè influens in pollutionem: unde *Sanch.* qui priùs de Matrim. l. 9. D. 17. N. 19. docuerat licere talem frictionem ad expellendum semen corruptum, postea in *Dec. l. 5. c. 6. n. 12.* se corrigens dicit non licere, maximè cum suppetant alia media minùs periculosa per medicinas, quas licitum esse sumere ad depellendam morbidam qualitatem vel corruptum semen valetudini noxium, docent cum communi *Sanch. Fil. Trull. Platel. de Pec. n. 241,* licet prævideatur simul per accidens expellendum verum semen: Et ratio disparitatis est, quia medicina illa per se non tendit ad expellendum verum semen, sed ad expellendam illam morbidam qualitatem, è contrâ frictio plùs facit ad excitandos spiritus & ad eliciendum verum semen, quàm corruptum; possuntque de hoc videri dicta n. 826. Item *Lugo de Just. D. 10. n. 126.* Docent tamen etiam *Sanch. Laym. March. Sporer* num. 349, si frictio fiat ad abigendum molestissimum pruritus, non fore peccatum, quia est actio de se licita & necessaria, uti etiam applicatio medicamenti ad illas partes malè habentes, & per accidens est sequi pollutionem; & hanc sententiam fusè defendit *J. Sanch.* à num. 29. citans alios plures: sed iterum hìc addo, quòd studiosi puritatis meritò talia caveant, aut saltem talem modum adhibeant, cum quo non sit conjunctum pollutionis periculum.

§. 6. Si nulla sit justa causa ejusmodi actionem 927
exercendi, docent *Laym. & Platel.* num. 238.

M m 5

adhuc

adhuc fore veniale tantum talem actionem de se licitam & honestam ponere, quæ est causa *per accidens* & remota pollutionis; *Arr.* supra dicit, per se loquendo, nullum esse peccatum, *per accidens* vero posse esse otiositatem vel aliquid simile: cum tamen pollutio & similes motus vehementes, dum contingunt in vigilia, magnam secum adferant voluptatem, primum est, ut in hanc consentiant saltem imperfectè, unde castitatis amans etiam tales causas remotas omittit, attamen finè anxietate, & non agnoscendo obligationem saltem gravem, ne aliàs, quando poneret, per conscientiam erroneam peccet graviter. Circa omnia hæc dicta videri potest *Tann.* à num. 113, ubi accurate refert sententias & rationes.

928

§. 7. Quamvis aliqui doceant puellam, quæ semel consensit in copulam, non posse postea pœnitentiã ductam viro seminante non recipere ejus semen, quia pejus videtur semen prodigere, quàm copulam inchoatam complere; quam sententiam *Sanch.* *de Matr.* L. 9. d. 19. n. 7. vocat probabilè, censet tamen idem *Sanch.* pœnitentiã ductam teneri semen non admittere, sicque permittere pollutionem maris, quia tenetur non continuare peccatum, quod incepit, nec potest habere veram pœnitentiã de illo, nisi abrumpat: quod valet secundum omnes cum *Lugo* n. 197, si vi opprimatur; ac tenetur etiam omni modo conari, ne opprimere volens possit semen injicere, ibi enim, si se passivè habet, hoc ipso censetur positivè consentire, quia copulam pati est eam admittere: hinc *Cajet.* dicit etiam teneri clamare, ut invasorem abigat; *Sot.* tamen *Navar.* *Regin. Bonac.* dicunt non teneri clamare, si inde timeat sibi mortem, gravem infamiam vel nimiam verescundiam: certum autem est nunquam

nunquam licere illi semen admissum ejicere,
ut dictum est num. 824.

Q. 204. Quid circa pollutionem in somno sit addendum. 929

R. Seqq. §. I. Si quis per cogitationes, tactus, aspectus, vel quascunque alias delectationes venereas habitas ante somnum intendat pollutionem in somno, certum est, quod illæ delectationes præter malitiam, quam in se habent, etiam contrahant malitiam pollutionis, sive illa postea sequatur sive non: Dubium autem est, si tales delectationes sint habitæ ante somnum, & non intendatur, sed tantum prævideatur pollutio ex illis secutura in somno, an hæ antecedentes delectationes etiam habeant malitiam pollutionis; negant *Caj. J. Sanch. & alii*, quia cum neque adlit intentio neque desiderium illius, non est, cur ille effectus contingens & non liberè secutus possit imputari: è contrà *Suar. Less. Sanch.* aliique communiter & longè probabiliùs affirmant cum *Mendo D. 5. Q. 3.* quia delectationes illæ per diem habitæ spectant ad materiam luxuriæ, & per se proximè influunt in pollutionem velut in effectum proprium, ergo qui vult illas, censetur etiam hanc velle in causa, maximè cum talis causa ante somnum posita de se plus & potentiùs operetur in somno, quando phantasia per species relictas agit vivaciùs, & libertas impediendi deest, unde talis tenetur in Confessione dicere se de die habuisse has vel illas delectationes, in quibus satis præviderit securam in somno pollutionem. *Nec refert*, quod fortè non sequatur, nam per accidens est, quod aliunde impediatur, & causa per se sufficiens posita erat, quod sufficit ad contrahendam ejus malitiam, uti si quis admoverit ignem horreo alieno prævidens illud accendendum, posuit causam damni, &

pecca-

peccavit contra Justitiam, quamvis *per accidens* ab aliquo extinguatur ignis & damnū non sequatur,

930 §. 2. *Sporer* in Tyroc. à n. 338. conformiter ad principia Q. præced. relata sic discurret, 1. Prævisio pollutionis in somno est tale peccatū, quale est causa, in qua prævidetur, unde si causa sit mortalis in genere luxuriæ & notabiliter influens in libidine, pollutio prævisa erit mortalis, licet autem causa sit mortalis in genere luxuriæ, si tamen non est notabiliter influens, uti notabiliter non videtur influere brevissima cogitatio voluntaria de objecto turpi, pollutio ex tali causa prævisa non videtur fore mortalis: Si autem causa sit venialis, aut mortalis quidem, sed in alio genere, uti est ebrietas, pollutio hinc prævisa videtur esse venialis tantum. Denique si causa sit de se honesta & licita, ac adfuerit rationabilis causa eam ponendi, pollutio prævisa nullum erit peccatum. 2. Si quis evigilans non reprimat, sed permittat absolvi pollutionem in somno ex causis naturalibus inceptam, ne aliàs noceat valetudini, docent *Sa, Tamb. Platel. de Pecc. N. 224. Spor.* aliique cum *Busenb.* supra non esse peccatum, quia in tali casu non est in se mala nequidem materialiter; sed rectè monent omnes cum *Sanch.* esse periculum consensūs saltem in delectationem, nisi eliciatur aliqua positiva displicentia. 3. Si quis expergefactus promoveat pollutionem in somno inceptam, addendo conatum, aut protrudendo ultimas ejus reliquias, peccat mortaliter, qui non permittit, sed positivè continuat illam.

931 §. 3. *Arr. D. 46. N. 24.* rectè notat esse discrimen inter pollutionem secuturā in vigilia & in somno, nam cum in somno non sit periculum consensūs, causa, quæ pollutionem infert in somno, facilius ex hac parte excusatur à peccato; hinc pro vigilia magis

magis tenetur quis vitare causas, non ratione pollutionis, sed ratione periculi consensu, & ideo etiam docet *Suar.* de Peccat. D. 5. Sect. 7. N. 21. magis vitanda esse illa, ad quæ statim timetur concupiscentia, quàm alia, ex quibus timetur secutura in futuro, quia hæc sunt minùs certa, faciliùs impedibilia, & habent minus periculi.

Q. 205. *An liceat inefficaciter appetere pollutionem naturaliter orituram, vel gaudere de ea involuntariè secuta.* R. §. 1. Communior est sententia, quòd licitum sit affectu simplici & inefficaci desiderare, ut pollutio merè naturalis & involuntaria eveniat ob aliquem finem bonum, & ita docent *Navar. Less. Vasq. Sanch.* in Decal. Lib. I. c. 2. à n. 18. *Tann.* de Pecc. D. 4. Q. 8. N. 145. *Platel.* de Pec. N. 244. *Sporer* in Mor. P. I. T. I. c. 6. N. 34, quia secundum hoc AA. pollutio involuntaria tum tantum retinet malitiam objectivam & materialè, quando sequitur ex causa, non naturali, sed ex alia, v. g. ex tactu, turpilòquio &c; & si naturaliter eveniat, putant esse naturalem evacuationem corporis, qualis est emissio sudoris vel aliorum superfluatorum excrementorum. Difficultas tamen est, cur liceat affectu inefficace desiderare talem pollutionem, & non mortem alterius, nam *Inn. XI.* damnat hanc 13. prop. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alterius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* Disparitatem dat *Sporer*, quòd appetere mortem alterius non fit actus merè naturalis, sed ex natura sua petat esse moralis ac liber, qualis si fit, intrinsecè est malus: è contrà dicit pollutionem vi naturæ provenientè non esse actum humanum nec voluntati subjectum, hinc

hinc in eum inefficaciter tendere non videri esse malum. *Contrà est*, nam mors naturaliter causata ex morbo etiam non est actus moralis, sed effectus naturalis, & tamen non est licitum eam appetere alteri, sed actus talis desiderii esset moralis & intrinsecè malus, ergo necdum apparet disparitas. Alii dicunt mortem esse gravissimum malum physicum subjecti, quod desiderare alteri non permittat Charitas, nisi propter causam proportionatam, qualis esset spiritualis utilitas subjecti vel temporalis utilitas Communitatis, secundùm dicta Lib. 2. à n. 184, non autem privata hæreditas obventura, secundùm dicta hic n. 693. E contra pollutio orta ex causis naturalibus, secundùm *Sanch.* de Matrimon. Lib. 9. D. 45. N. 14. non est malum nè physicum quidem subjecti vel prolis vel Communitatis humanæ, cum tale semen sit quid superfluum, quo se exonerat natura; aut saltem est malum tam leve, ut propter utilitatem etiam privatam permitti possit.

933 §. 2. Consentunt quoque DD. inquit *Sporer* n. 3. licitum esse gaudere de ejusmodi pollutione, quatenus causa fuit alicujus boni, uti quia sic cessavit tentatio, ægritudo; & ita docent *Vasq.* *Sanch. Less. Lugo & alii*: sed iterum difficultas est ratione relatæ propositionis 13. damnatæ, item 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis &c. in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitiæ inde ex hæreditate consecutas.* Sed dicendum est, uti licitum est gaudere tantùm de hæreditate obtenta post mortem, non autem de ipsa morte, sic tantùm esse licitum gaudere de effectu post pollutionem secuto, & ideo dixi, *quatenus causa fuit, non autem de pollutione secundùm se hinc*

§. 3. Non est licitum delectari de pollutione ⁹³⁴
secundum se, est communis & certa apud *Sanch.*
in Decal. L. 1. c. 2. N. 16. Ratio est, quia causa excusans
 factum à peccato, qualis est ignorantia vel
 defectus advertentiæ aut libertatis, non excusat
 talem delectationem, quæ fit cum scientia, adver-
 tentia & libertate: licitè tamen delector, v. g.
 de homicidio facto ob defensionem inculpatam,
 de damno alteri in extrema necessitate causato,
 quia causa liberans factum à culpa, nempe licentia
 faciendi, etiam excusat delectationem, *Sporer n. 31.*

TRACTATUS V.

De Septimo Præcepto:

Non furtum facies.

CUM hoc prohibeatur omnis injusta damni- ^{cc 933}
 ficatio in bonis Proximi, quæ fit I. ^{cc}
 Per furtum, & rapinam. 2. Per omissionem ^{cc}
 reparationis damni illati. 3. Per iniquitatem ^{cc}
 contractuum. De his tribus hìc agendum erit. ^{cc}

CAPUT I.

De Furto.

DUBIUM I.

Quid sit furtum & quale peccatum.

Resp. Est occulta & injusta rei alienæ ^{cc}
 ablatio, invito rationabiliter Domino. ^{cc}
 Quod

» Quod si res sit sacra, dicitur *Sacrilegium*, de quo
 » supra. Si aperte cum vi fiat, est *Rapina*, à furto
 » specie distincta. Licet autem furtum ceteris
 » paribus, quàm rapina levius sit, & ex genere suo
 » minimum inter ea, quæ circa Proximum
 » committuntur; est tamen mortale, si quantitas
 » sit notabilis. *Ita communiter omnes. Vid. Boni.*
 » *Tom. 2. de Restitut. D. 2. Q. 8. Unde resolves:*

» I. Qui alienum accipit per jocum, vel
 » propter bonum aut commodum illius, à quo
 » accipit, non furatur: v. g. si uxor auferat marito
 » pecunias, ne ludis aut comestationibus prodigat;
 » aut vinum, ne inebrietur; aut librum hæreticum,
 » ne legat; aut si famulus det eleemosynam
 » non nimis magnam valde indigenti, in qua
 » Dominus rationabiliter non sit invitus, à quo
 » tamen propter verecundiam vel aliam causam
 » non auit petere. *Lessius Lib. 2. Cap. 11.*
 » *num. 4.*

» II. Qui pro se, vel pro alio in extrema necessi-
 » tate constituto alienum accipit, quantum neces-
 » sarium est, nec furatur, nec tenetur restituere
 » postea sic absumptum; si quidem re & spe
 » indigens fuit. Idem docent *Lessius D. 11.*
 » *Malderus, Diana &c. de necessitate gravi.*
 » verùm id probabilius alii negant cum *Laym.*
 » *L. 3. T. 3. P. 1. c. 1. n. 7. ex S. Thoma 2. 2. Quæst. 66. Art. 7.*
 » *Sylv. Ang. Vid. Lugo D. 16. Sect. 7.*

» III. Nec item furatur, qui accipit in compen-
 » sationem justam, si aliter sibi debitum accipere
 » nequeat, v. g. si famulus justum stipendium
 » non possit aliter obtinere, vel iniquè
 » inductus sit ad serviendum iniquo pretio.
 » *Vid. Laym. l. c. & Tolet. L. 5. c. 35.*

A D D E N D A

ADDENDA.

Q. 206. Quid notandum sit circa naturam furti 936

Gravinae. R. Seqq. §. 1. Furtum dicitur esse ablatio, per quod distinguitur à pura damnificatione, secundum dicenda p. 2. n. 17., nam si injustè comburas domum alienam, non est propriè furtum, *Lugo de Just. d. 16. n. 1.* Hinc etiam furari acum sartori inde habituro grave damnum, non censetur grave peccatum furti, sed damnificationis, *Fagund. Moya in sel. T. 1. t. 3. d. 3. q. 3. n. 1.* Per ablationem autem intelligitur etiam retentio, nam L. 40. 54. 76. ff. de furtis dicitur creditorem pignore utentem; item usufructuarium, si rem alteri commodet; item commodatarium, si rem diutius usurpet, furti teneri, quamvis de creditore videatur oppositum dici L. 55. sequente, sed non potest esse quæstio nisi de nomine, potestque videri *Haun. de Just. t. 2. n. 250.*

§. 2. Dicitur ablatio rei, intellige, externæ, 937 mobilis aut immobilis, uti si partem agri alieni in tuum trahas, *Mol. de Just. d. 681. n. 14.* Per Tò rei, intelligitur etiam persona non libera, uti mancipium; idem dicunt aliqui apud *Lugo* etiam de persona libera, v. g. filio, & ita videtur asseri §. 9. *Instit. de obligationibus, quæ ex delicto*: sed non potest esse quæstio, nisi iterum de nomine, de qua *Haun. n. 254.*

§. 3. Dicitur alienæ, intellige, saltem quoad 938 legitimam detentionem, furtum enim committitur non tantum contra dominum rei, sed etiam contra solum possessorem aut legitimum tantum ejus detentorem, v. g. circa depositarium,

Nn

rium,

rium, commodatarium, conductorem &c. L. 10. & 11. ff. de furtis: unde dominus rei depositæ potest furari subducendo rem suam in scio & invito depositario; & hoc est, quod innuit S. Th. 2. 2. q. 66. a. 3. ad 3. dicens rem depositam esse simpliciter deponentis, sed secundum quid esse depositarii. Videri potest Lugo f. 8.

939 §. 4. Dicitur ablatio occulta, & sensus est, quod fit talis ablatio, quæ fit sine vi domino illata, quamvis fortè eo præsentem & videntem fiat, ut si eo præsentem & videntem pecuniam in mensa parentem auferas & fugias, non est rapina, sed furtum.

940 §. 5. Secundum jam dicta explicari debent definitiones aliæ furti, uti S. Th. in O Occultæ acceptio rei alienæ: L. 4. Instit. tit. 6. Aliene rei invito domino contrafectatio lucri faciendi vel interceptio causâ: L. 1. ff. de furtis, Contrafectatio rei fraudulenta, lucri faciendi gratiâ vel ipsius rei vel etiam usus possessionisve: Molin. n. 16. Acceptio injusta boni externi absque vi & absque ullo consensu ejus, cuius saltem quoad legitimam detentionem: Tambur. in Decal. l. 8. t. 2. c. 1. n. 1. Acceptio vel contrafectatio rei alienæ externæ sine vi, invito rationabiliter domino: Sporer in Dec. t. 5. c. 5. n. 4. Contrafectatio occulta rei alienæ externæ domino rationabiliter invito: Heidegger n. 252. Acceptio occulta rei ab alio justè detentore invito detentore.

941 §. 6. Observandum est, quid veniat nomine furti apud Theologos seu Canonistas & Juristas, ut si in furtum feratur poena Ecclesiastica, v. g. excommunicatio, reservatio, illa cadet super furtum tantum Theologicè consideratum, uti rectè

Lugo,

Lugo, Sporer, Tamb. n. 7. ; è contrà si à iure civili feratur pœna in furtum, non cadet super omne furtum Theologicè consideratum secundùm jam dicta, nam apud Juristas nomine furti non venit acceptio rei immobilis, nec si coniuges sibi mutuo aliquid auferant, uti notat *Lugo* contra *Haun. n. 257.*, nec quod auferatur ex hæreditate nondum adita, neque si tutor res pupilli iniuste usurpet, ideoque Juristæ furta illa honestioribus titulis appellant, *delicta rerum amotarum, expilatae hereditatis, rationum distractarum &c.*, uti videri potest in legibus apud *Lugo n. 3.* Quales autem actiones, & cui, & contra quem competant ratione furti; Item quales statutæ sint pœnæ contra furtum, videri potest apud *Haun: à n. 265.*

§. 7. Rapina est iniusta contrectatio rei alienæ externæ cum vi facta domino vel legitimo detentori: ideo autem distinguitur specie à furto, quia superaddit modum tendendi in rem alienam notabiliter diversum, nempe cum vilipendio & injuria contra personam ipsam præsentem & renitentem, quæ tamen ob præminentiam, quam habet ratione iuris in re sua, violari non deberet. Porro per vim intelligunt *Mol. & Lugo n. 12.* non tantùm violentiam seu impetum, qui corpori infertur, sed etiam aliam vim, quæ fit per metum gravem iniuste incussum, uti si latro minetur mortem, nisi extradat pecuniam; si Princeps minetur exilium; nisi solvas iniqua tributa; si quivis alius potentior minetur grave malum, si rem tuam repetas &c. Et debet talis vis fieri personæ domini vel alterius, qui rem legitimè detinet, uti rectè *Vict. Mol. Lugo n. 13. contra Sot.*; hinc si fur unus alterum vi impedi-

N n 2

pediat,

942

pediat, ut ipse primus rem auferat, item si quis noctu violentè effringat ostia & nemine præfente aut renitente rem subducatur, non erit rapina sed simplex furtum; putat tamen *Haun. n. 262.* fore rapinam, si habuisset animum vim inferendi, & ita videtur innui L. 52. §. 10. ff. de furiis. similiter quamvis per metum sit vis illata, si non inferatur violentia, non erit rapina apud Juristas, nec in foro civili dabitur actio, quæ alibi datur contra rapinam, & dicitur *Devi bonorum raptorum*, Instit. & ff. hoc titulo, sed tantum dabitur actio, *Quòd metûs causâ*, uti cum aliis notat *Haun. n. 263.*

943 §. 8. *Objici potest.* Homo tenetur bona sua temporalia postponere salutem æternam proximi, ergo nunquam est rationabiliter invitus, ut proximus hæc accipiat, sed tenetur potius velle, ut habeat, quam ut peccet mortaliter, ergo minusquam peccabitur saltem mortaliter per furtum vel rapinam. *R.* Si argumentum valet, ergo multa proximo fieri poterit injuria gravis: itaque dist. antec.; homo tenetur bona sua temporalia postponere salutem æternam proximi, si proximus per suam malitiam velit suam salutem perdere, n. si proximus non possit aliter suam salutem consequi, c. antec. & n. conseq.

944 Q. 207. *Quæ sint species furti.* *R.* Species furti genericè sumpti apud Theologos sunt, furtum strictè sumptum & rapina, de quibus à n. 93. dictum est, ad quæ accedit species Sacrilegii, si res sit sacra vel tollatur è loco sacro secundum dicenda l. 5. n. 127. Et speciatim de furto Religioſarum dictum est hic n. 53. Species furti apud Juristas sunt, 1. *Manifestum*, in quo fur præſente

re adhuc in seutione vel in clamatione deprehenditur cum re furtiva, eo die, quo furatus est, antequam detulerit eò, quò deferre & ubi cum furto manere constituerat: *Non manifestum*, in quo fur non ita deprehenditur. 2. *Diurnum*, quod fit in ea luce, quâ fur agnosci possit: *Nocturnum*, quod fit in eis tenebris, ut fur agnosci non possit: Statuitur autem L. 4. ff. ad legem Aquiliam, ut solus nocturnus fur impunè occidi possit, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur; limitatur L. 9. ff. ad legem Corneliam de sicariis, si parcere ei sine periculo suo non possit. 3. *Qualificatum*, quod in iure habet speciale nomen & punitur specialibus pœnis: *Non qualificatum*, quod speciale nomen non habet in iure, idèoque nec illi speciales pœnæ decretæ sunt. *Qualificata* sunt, *Peculatus*, quod est furtum circa res vel bona publica ad fiscum aut principem pertinentia, quo spectat etiam crimen legis Juliæ, si quis bona communitati distribuenda in proprium commodum vertat, aut debens distribuere pecunias obtrudat aliquid aliud; item adulteratio monetæ facta à monetario, item cufio monetæ sine licentia, etiam in usus proprios, & quamvis ex materia propria. *Abigeatus*, si ex grege abigantur plura pecora etiam successivè, vel etiam unum, si sit magnum, uti bos, equus, etiam si è stabulo abstrahatur, uti notat *Illsung* t. 4. d. 3. n. 131. *Plagium*, si homines liberi & inviti dolosè intercipientur, supprimantur, vendantur, emanant. De his omnibus videri possunt plura apud *Haun.* à n. 259.

Q. 208. An furetur, qui rem aufert dominovi- 945
dente & non contradicente, aut si putetur esse con-
tentus.

N. 3

tentus.

tentus. R. §. 1. Si dominus videat, & ex metu vel verecundia non contradicat, auferens furatur, quia dominus est invitus: si videat & non contradicat, idque sine metu & verecundia, censetur consentire, quia nil opponit, cum posset & deberet, nisi consentiret, ita plures cum Bonac. de Restit. d. 2. q. 8. p. 1. n. 1.

946 §. 2. Si quis prudenter præsumat dominum esse omnino contentum, vel certò sciat fuisse daturum, si rogaretur, non peccat saltem graviter auferendo, ita cum communi Lugo d. 2. n. 54. Less. l. 2. c. 12. n. 4. Ratio est, quia dominus non censetur invitus, saltem quoad substantiam, quamvis fortè invitus sit quoad modum illum auferendi, ad excusandum autem a furto non requiritur positiva voluntas domini, sed satis est eum non esse nec fore positivè invitum quoad substantiam, ad quam tum est contentus: si tamen postea adverteretur non fuisse contentus nequidem quoad substantiam, esset obligatio restituendi, quia prior præsumptio non fecit eum esse re ipsa contentum quoad substantiam. Dixi non peccare saltem graviter, quia communiter est saltem veniale, vel ob vanum respectum humanum, quo quis vincitur, vel quia fit contra voluntatem domini quoad modum saltem, qui aliter non vult carere suâ, nisi se illâ abdicet sciens volens.

947 Q. 209. An ille furetur, qui pro statu suo servando facit investitu, victu, famulatio &c. expensas, quibus solvendis scit se esse imparem. R. De hoc dictum esse p. 2. n. 17. & 280.

Q. 210. An ille præsumi possit esse fur, qui rem alienam accipit, vel in cuius domo res aliena inventa

R. Hoc

R. Hoc resolvendum esse p. 2. n. 1186.

Q. 211. An licitum sit furari in gravi vel extrema necessitate. R. Non licere in gravi tantum, hinc *lun. XI.* damnavit hanc 36. prop: *Permissum est furari, non tantum in extrema necessitate sed etiam in gravi: quænam autem necessitas dicatur extrema, gravis, communis, dictum est l. 2. à n. 195.* Porro circa propositionem relatam adhuc notanda sunt seqq.

§. 1. Certum est nunquam licitum esse furari, nequidem in extrema necessitate, uti cum *S. Th. 2. 2. q. 65. a. 5.* notant omnes, quia furari est occultè surripere vel detinere rem alienam domino rationabiliter invito, quod semper est intrinsecè malum, si enim dominus sit rationabiliter invitus, non potest esse licitum contra illius jus agere: unde quamvis probabile esset licere in necessitate gravi aliquid surripere, tamen improbable esset licere furari: & quidem *Carden. in 2. crisi d. 23. c. 1. a. 1.* putat mentem Pontificis hinc fuisse præcipuè, ut reprobaret hoc, quod unquam licitum sit furari, sed probabilius est, quod per Tò furari intelligat etiam surripere, nam nunquam licere furari, erat per se satis evidens, & AA, quorum opinionem reprobare videtur, per Tò furari intelligebant surripere.

§. 2. Extremè pauper potest surripere sibi necessaria, quia habet jus naturale, imò & obligationem conservandi vitam, ergo etiam sibi applicandi media necessaria; neque per hoc furatur, quia ille, cui surripit, non est rationabiliter invitus. *Nec obstat Jus Gentium, quo facta est divisio bonorum, nam cum primarius finis bo-*

norum externorum sit conservatio vitæ humanæ, divisio non potuit fieri in præiudicium vitæ, sed debuerunt in extrema necessitate omnia bona, saltem non valde pretiosa, manere communia, & ita omnes unanimiter tenent, inquit *Carden. n. 2.* Quod autem quis potest pro se, potest etiam pro alio extremè indigente, uti habet *S. Th. q. 66. a. 7. ad 3.* & post eum AA communiter cum *Dicast. l. 2. t. 2. d. 9. n. 254.*, tum enim surripens est veluti instrumentum indigentis. Addunt *Con. Less. l. 2. c. 12. n. 69.* *Dicast. n. 252.* *Tamb. l. 8. t. 2. c. 6. §. 1. n. 1.* *Sporer t. 5. c. 5. n. 90.* à tali paupere posse etiam occidi eum, qui impediret, quominus ipse acciperet rem sibi ita necessariam, sicuti raptor, qui bona magni momenti saltem necessaria tollit vel violentè retinet, potest occidi secundùm dicta n. 811.

951 §. 3. Si dominus bonorum fit in pari tecum necessitate extrema, non poteris surripere ipsi, quia in pari causa melior est conditio possidentis, *Less. n. 70.* *Tamb. n. 3.* & alii communiter: An autem tum excuseris à restitutione, dicitur p. 2. n. 329.

952 §. 4. Si extremè egens posset habere necessaria petendo, non esset licitum surripere, uti ex *Less.* & aliis docet *Dicast. n. 248.*, quia reveratim non est in extrema necessitate surripiendi: si tamen tum surriperet, *Less. n. 72.* putat tantùm venialiter peccaturum, quia dominus debet esse contentus quoad substantiam, ex hoc autem, quòd invitus fit quoad illum modum, putat non refundi malitiam gravem: & ita teneri petere etiam virum nobilis familiæ docet *Con.*, licet eum valde puderet mendicare, quia pudor ille

ille est irrationabilis & à superbia ; in hoc tamen contradicunt *Less. n. 66. Castrop. Dicast. n. 249.* putantes viro honestæ conditionis nimis durum esse ostiatim mendicare , saltem eo loco , in quo notus est ; sed facile opponet *Con. id non esse opus* , potest enim divitem convenire privatim , aut per litteras , quæ non erubescunt : an autem sic indigens teneatur media vitæ conservandæ necessaria admittere tanquam tantum mutuo data , dictum est l. 2. n. 207.

§. 5. Probabilius est , quod privatus non possit in extrema necessitate surripere rem valde pretiosam , v. g. ter mille aureos , maximè si summa illa esset necessaria ad sustinendum statum alterius , uti notat *Lugo d. 16. à n. 147.* , aut si alter ideo esset in gravia mala lapsurus , uti habet *Tamb. §. 2. n. 1.* , charitas enim in proximum non obligat cum tanto dispendio proprio , nec videtur ulla virtus obligare ad tam extraordinaria media pro conservanda vita tam sua quàm alterius privati , secundum dicta l. 2. n. 201. & hic n. 775. , docentque AA ibi citati : & quamvis in extrema necessitate omnia dicantur fieri communia , intelligi debent omnia , non absolutè , sed quæ ad vitam sunt ordinariè necessaria , non quæ sunt tanti momenti & extraordinaria : cum tamen contraria sententia etiam sit probabilis , posset pauper hanc tenens veluti sibi hic & nunc satis certam , surripere etiam pretiosa , & vicissim dives secundum alteram licitè negaret , neque ideo dabitur bellum utrimque justum materialiter & absolutè , sed tantum formaliter & ex suppositione diversarum opinionum probabilium , in quo non est inconvenientia ulla.

954 §. 6. Si quis iuste sit condemnatus, ut fame pereat, probabile est non posse, etiam si extreme indigeret, surripere necessaria ad vitam conservandam, quia dives in eo casu non tenetur ei subvenire, uti dictum est l. 2. n. 201. Imò nec ipse tenetur vitam suam tum conservare, secundum dicta hinc n. 779.; ergo amisit ius ad vitam sic surripiendo conservandam.

955 §. 7. Non esse ulli privato licitum in necessitate tantum gravi surripere, habet nunc sententia communissima, quam merito vocat verissimam Sporer n. 105., & videtur habere Cap. Si quis de furtis, ubi dicitur, *Si quis propter necessitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem vel pecus, poeniteat hebdomadas tres*, ergo ius canonicum supponit esse peccatum: & Ratio est 1. quia dominus est rationabiliter invitus, cum enim nullum hinc fit vitæ periculum, nec malum æmissione vitæ æquivalens, bona non fiunt communia, ergo tali indigenti non competit ius occupandi. 2. Cum hæc necessitas sit omnino frequens, nimium multiplicarentur eiusmodi rapinæ cum perturbatione communis pacis. 3. Homines non satis abstinere à dilapidatione bonorum suorum, ab otio & inertia, cogitent enim sibi in gravem necessitatem lapsis facile succurrendum, rapiendo quod vellet, quod cederet in grave damnum communitatis humanæ. 4. Huic necessitati satis occurritur per preceptum charitatis obligans ad eleemosynam graviter indigenti dandam, secundum dicta l. 2. à n. 199., cum autem ea obligatio sit ad eleemosynam dandam, patet in altero non esse ius eripiendi, nam ad illud, quod donatur, accipiendum non

non habet ius, uti pluribus deducit *Carden. n. 14. 24. 25. Nec juvat, quod aliqui apud Mendo d. 3. n. 8. & cum Dicast. n. 256. probabile esse censeant, quod pauper in gravi necessitate possit diviti surripere, nam hoc dato, adhuc manet possessio pro divite, qui non debet exui certo iure propter probabilitatem illam pauperis: notant tamen Laym. t. 3. l. 3. c. 1. n. 8. & Sporer n. 106. eiusmodi pauperes non esse facile damnandos peccati mortalis, si à divite, præsertim antè rogato & negante, surripuerit necessaria pro sublevanda necessitate sua gravi, circumstantia enim necessitatis multum excusat, cum reddat divitem minus rationabiliter invitum.*

§. 8. Si tota Resp. sit in necessitate gravi, licitum est auferre à divitibus superflua, quæ necessaria sunt ad Remp. sublevandam, quia necessitas gravis Reip. æquivaleret, imò superat necessitatem, quam haberet unus privatus, uti cum *S. Th. & aliis Carden. n. 16.* 956

§. 9. Si necessitas gravis sit urgens, rectè docent *Lugo n. 154. Less. n. 71. Haun. de Just. T. 1. t. 2. à n. 347. Sporer n. 103. Carden. n. 17., & fusiùs in 1. crisi d. 80. privato esse licitum surripere necessaria ad illam sublevandam, nam secundum dicta l. 2. n. 195. tum censetur extrema esse moraliter præsens, cum sit proxima, aut hæc sit illi æquivalens; & ideo hanc sententiam dicit esse certam Tamb. §. 1.* 957

§. 10. Licet gravis necessitas non excuset, ut surripias, tamen excusare potest, ut differas restitutionem vel solutionem debiti, uti dicitur *P. 2. n. 335.* 958

Q. 212. An occulta compensatio sit furtum. R. 959

§. 1.

§. 1. Si adsint conditiones aliquæ , non est fur-
 tum sed licita , per se loquendo , uti contra *Hen-*
ricum & Eliz. l. 8. q. 7. §. 4. docent reliqui omnes,
 teste *Lugo* d. 16. n. 86. *Ratio* est 1. Nam non po-
 test esse contra justitiam, tum quia est procuratio
 æqualitatis, quam intendit justitia, tum etiam
 quia creditor accipit rem æquivalenter suam,
 ergo debitor non potest saltem quoad substan-
 tiam esse rationabiliter invitus; sed nec quoad
 modum, quia hunc excusat necessitas & impo-
 tentia aliter accipiendi. 2. Per hoc cavetur ma-
 jor injuria, magis enim læderetur jus creditoris,
 si pergeret carere rebus suis, aut etiam injuste
 cogeretur novos sumptus pro ea recuperanda
 impendere, ergo debitor non potest esse ratio-
 nabiliter invitus. 3. Debet superesse medium
 moraliter possibile ad bona sua recuperanda, sed
 nullum aliud superest præter occultam compen-
 sationem, uti supponitur, ergo. *Dixi*, per se,
 quia per accidens potest esse illicita, quamvis
 adsint conditiones alioqui requisitæ, si enim ac-
 ceperis rem mutuam à tuo debitore & juraris te
 redditurum, non poteris ob reverentiam jura-
 menti retinere in compensationem tui debiti,
 secundum dicta n. 333.

960 §. 2. Objici possunt sequentia, 1. Lumen na-
 turale insitum omnibus Gentibus dicitur esse in-
 justum, si quis inauditus condemnatur, forte
 enim habet exceptiones, hinc ratio dicit omnem
 etiam reum esse audiendum, etiam si ejus deli-
 ctum videatur evidens: item est contra lumen
 naturæ, ut quis in propria causa & pro commo-
 do proprio sit Iudex, ideoque hoc prohibetur
L. un. Cod. Ne quis in propria causa, & ideo etiam
 apud

apud omnes Gentes sunt instituta judicia pro dicendo cuique jure suo; ideo etiam justè recusantur Iudices uni parti amici vel infensi, ergo compensatio altero inscio, & propriâ auctoritate facta non potest esse licita. 2. Est contra omnem politiam, ad quam spectat attendere ad circumstantias, si occultè compensans tantùm confideret quid, sive æqualitatem, non autem confideret, quis, sive à quo hæc æqualitas procurari debeat, quod maximè est considerandum, nam si quis extraneus veniret velletque esse Iudex talis æqualitatis, diceremus, quis te constituit Iudicem? quâ auctoritate id facis? ergo id magis valet, si illud attentet facere pars adversa maximè interessata. 3. Si id licet in justitia commutativa, ergo etiam licebit in vindicativa, adeoque poterit propriâ auctoritate ulcisci injurias, punire eum, qui mihi malè fecit, injuriæ parem injuriæ referre, sicuti enim, v. g. dato mutuo habetur inæqualitas, quam occultè compensans redintegrat, ita per unam injuriam est posita inæqualitas, & relatâ pari injuriâ redit sua quoque æqualitas. 4. In foro externo nunquam approbaretur occulta compensatio, & censeretur fur, qui ita occultè surriperet, nam potestas publica debebat prius dijudicare, num fortè non esset aliquis prior creditor, num debitor non afferret aliam exceptionem &c., ergo nec approbandum est in foro interno, quia internum debet conformari externo, nisi constet de præsumptione falsi vel ignorantia, ex qua procedat externum, quod hic non est, ita *Eliz.*; Et similia sibi objicit *Onnate* de contract. d. 8. n. 167. R. 1. Si hæ rationes valent, ergo rem meam, quam apud furem invenio,

venio,

venio, non potero privatâ auctoritate clam recipere, cujus oppositum dicitur n. 965. R. 2. Si attendantur conditiones, quas §. seq. proponemus, cadit ratio 1. & 2., nam dicemus debitum debere esse certum, moraliter non recuperabile per Judicem vel alium modum, ergo frustra provocaretur ad Judicem aut ad potestatem publicam. Ad 3. N. seq., quia justitia vindicativa spectat ad solum Superiorem: quod si per Superiorem amoliri non possim injuriam, & cæteræ conditiones adsint, licitum erit mihi damnum meum occultè compensare, & servato moderamine inculpatae tutelæ, me contra injuriantem munire, ne magis noceat. Ad 4. Forum externum præsumeret fieri sine justo titulo, quem si sciret adesse, uti & conditiones reliquas mox referendas, improbare non posset. Videri possunt *Carden. in 1. crisi supra*, item *Haun. t. 2. à n. 336.*

961 §. 3. Conditiones requisitæ ad hoc, ut liceat compensatio occulta, sunt sequentes, 1. Ut debitum sit strictum, & non solius convenientiæ vel gratitudinis, estque oppositum improbabile, & *Diana p. 7. t. 10. R. 19.* referens *Petrum Nav.* pro opposita sententia, est deceptus, uti ostendit *Moya t. 6. d. 4. q. 1. n. 12.*

962 2. Ut hoc debitum sit certum; nec sufficit, ut probabiliter tantum putes tibi deberi, uti docent communissimè omnes cum *Carden. in 2. crisi d. 23. c. 2. a. 1.*, & fusiùs in 1. crisi d. 16. c. 8. a. 1. contra *f. Sanch. d. 43. n. 54. & d. 44. n. 57.*, cui favet *Lugo n. 99.*, quamvis n. 106. suspendat judicium: Ratio nostra est, quia in dubio melior est conditio possidentis, & iniquum est, ut pro debito incerto certam tibi solutionem tuâ auctoritate

ritate attribuas, possessio enim, quam habet al-
 ter, est ius certum retinendi, contra quod nulla
 valet probabilitas, quia contra certitudinem
 pro iure retinendi non potest dari probabilitas
 pro iure auferendi, cum certitudo elidat omnem
 oppositam probabilitatem. *Conf.* nam alioqui
 famulus probabiliter iudicans sibi deberi sala-
 rium majus, posset occultè illud surripere, quod
 tamen damnatum est, uti dicitur n. 971.; Imò
 quivis facilè sibi persuaderet se hìc & nunc ha-
 bere ius probabile, ac consequenter posse clam
 surripere, ex quo sequerentur gravissima incom-
 moda in societatem humanam, *Haun.* n. 341.
 Hinc *Jus.* t. 4. d. 3. n. 173. meritò rejicit *Mol.*
Less. & alios, qui docent legatarium, cui certò
 constat de voluntate testatoris, posse legatum
 occultè surripere hæredi necessario, si renuat da-
 re propter testamentum legali solennitate desti-
 tutum, nam tantùm probabile est tali legatario
 ius competere: Idem est de illo, qui per Judicem
 compulsus est resarcire damnum alteri causatum
 ab animali suo sine sua culpa Theologica, nam
 etiam tantùm probabile est, quòd per senten-
 tiam Judicis non sit translatum ius pretii perso-
 luti: Item si quis detraxerit de fama tua, & non
 possit aut nolit famam restituere, non poteris
 damnum famæ compensare clam surripiendo
 illi pecuniam, uti habet communis contra *Dia-*
nam p. 3. r. 5. R. 30. & paucos alios, quia senten-
 tia, quòd sit obligatio restituendi in bono di-
 versi generis, non est certa sed tantùm proba-
 bilis, uti dicitur p. 2. q. 62. *Nec obstat*, quòd in
 foro externo res adiudicaretur habenti ius pro-
 babilius, licèt non certum, nam hoc fit ex com-
 muni

muni

muni consensu omnium, ut tollantur discordia
& dominia rerum reddantur certa, in quo si in-
tercurrat materialis iniuria, per potestatem do-
minii alti transfertur dominium, quia sic postu-
lat bonum commune, sicuti si Principi probabi-
lius sit, quod adsit causa sufficiens imponendi
tributum, licetè imponit, quia tributa non impo-
nuntur in bonum privatum Principum sed
Communitatum, & postea adhuc cedent in bo-
num commune, unde Princeps in imponendis
tributis agit veluti Judex, qui ex consensu o-
mnium potest, imò debet ferre sententiam se-
cundum probabiliorem. Similiter si mihi abitu-
listi rem, quam possidebam, de qua dubii era-
mus, ad quem è nobis pertineret, possum eam
occultè recipere, quia licet meum petitorium
esset tantum probabile, tamen possessorium
erat certum, ergo certum est, quod feceris mihi
injuriam, & consequenter tenearis reparare seu
omnia restituere in integrum; & idem est de aliis
similibus casibus, in quibus ius hoc vel illud est
certum vel tantum probabile. Quod si AA. no-
stræ sententiæ quandoque dicant, in hoc vel illo
casu licere occultam compensationem, cum ta-
men id videatur esse tantum probabile, è quod
alii oppositum teneant, dicendum est AA. illos
putasse pro tali circumstantia esse moraliter cer-
tum, rectè enim notant *Rebel. & Dicast. l. 2. tit. 1.*
d. 9. n. 93. non requiri infallibilem certitudi-
nem, sed humano modo, ita ut viri prudentes
non dubitent, nec putent hìc & nunc posse pru-
denter dubitari de opposito: & sic intelligi de-
bent omnia dicenda.

Unum adhuc controvertitur hìc, nempe an
tum,

tum, quando contractus est tantum irritabilis per sententiam Judicis, ante hanc licita fit occulta compensatio & vendicatio rei; affirmant *Sanch. de Matr. l. 4. d. 8. n. 11. & Less. apud Lugo d. 22. n. 116.*, si aliter non possit rem recuperare, & eam alter teneatur ante sententiam restituere, quia cum per sententiam certo possit rescindi contractus, videtur esse jam ius satis certum: è contra negant *B. Pontius & Diana p. 3. t. 5. R. 118.*, quia quamdiu non rescinditur contractus, manet ius in re acquisitum alteri: sed prior sententia videtur vera, quia ut licita fit occulta compensatio, satis est esse ius certum ad rem alienam, alioquin nunquam esset licitum sibi compensare ius certum per retentionem vel occupationem rei alienæ.

3. Ut debitum sit præsens: aliqui tamen cum 963
Tann. Dian. & Sporer t. 5. c. 5. n. 71. concedunt etiam licere prævenire & compensare nunc pro eo, quod alter certo debebit post mensem, si post mensem non eras accepturus, quod probabile esse agnoscit *Lugo*, docetque absolutè *711. n. 172.*, dummodo ex anticipata solutione non nascatur damnum debitori, alioquin debebis hoc refarcire, *Tamb. l. 8. t. 2. c. 5. §. 1. n. 2.* Ratio prioris est, quia licitum est remove periculum, quod certo imminet rei meæ, meque indemnem reddere.

4. Ut res, quam accipis, sit tui debitoris, unde 964
non licebit accipere rem alienam existentem apud debitorem, nec illi commodatam aut apud eum depositam, quia ipse non est harum rerum dominus: si autem ipse rem suam tibi commodarit aut apud te deposuerit, *Cap. Bona fides de*
O o depo-

depositis, & L. ult. Cod: de *Depositis*, dicitur non posse retineri pro compensatione, quod multi intelligunt tantum pro foro externo, unde retineri posse pro foro conscientiae docent *Nav. Sa. Tann. Less. l. 2. c. 27. n. 16. Onn. n. 174. Dicq. n. 91. & 96. Spor. n. 76.*, quamvis *Hann. de Contr. in particulari n. 738.* dicat tum tantum fieri posse, quando res commodata non amplius existit in se sed tantum est aestimanda, sed intelligere videtur, quod tum etiam valeat pro foro externo, res enim tum non est, quae habebat privilegia. Vide tamen dicenda p. 2. n. 455. Saltem poteris accipere rem, quam debitor tuus mittebat alteri pro dono aut pro solutione debiti, dummodo ab altero necdum sit acceptata, sed adhuc sub tui debitoris dominio, uti notat *Jur. n. 170.*, si enim illam tu prior occupes, statim per apprehensionem possessionis in te transfertur dominium, cum dominus non possit esse rationabiliter invitus. E contra tamen si alius mittat aliquid ad tuum debitorem, qui necdum acceptavit, aut si ipsi debeat aliquid, sed necdum solverit, non poteris praeripere, quia necdum est res tui debitoris, *Vasq. Lugo n. 120. Tamb. §. 4. Spor. n. 80. 81.*

965 5. Ut rem tibi debitam non facile possis aliter obtinere, uti habetur L. 13. ff. *Quod metus causa*. tum autem non potes facile obtinere, si debitor per litem vel publicam potestatem cogere cum magnis expensis vel jactura amicitiae & gratiae tibi multum utilis, uti cum aliis notat *Tamb. §. 1. n. 3.*, ubi cum *Diana* dicit non fore mortale, quamvis desit haec conditio, è contra *Mol.* dicit fore mortale: quod si fur habeat rem tuam, con-

suetu-

fretudo probat posse sine ullo peccato propriâ auctoritate recipi, *Dicast. n. 97.*, & habetur *L. 48. ff. de furtis.*

6. Ut fiat cum minimo damno debitoris, unde etiam abesse debet periculum, ne tibi vel tuo hæredi idem debitum iterum solvatur; item providendum, ne ille putans necdum esse solutum, maneat in conscientia peccati, nolendo solvere: si tamen non posses sine gravi incommodo hæc cavere, posses accipere, sed si iterum solveret, postea tenereris secundam solutionem restituere. 966

7. Ut fiat in eadem specie, alioquin debitor injustè cogetur ad permutandam rem suam: si tamen accipi non potest in eadem specie, est communis sententia cum *Less. Lugo, Vasq. Laym. Haun. n. 332. Sporer n. 75. ff. n. 171.* licere etiam in diversa specie; & in re consentit *Dicast. n. 117.* 967

8. Ut fiat sine damno tertii, quale esset, si id eo alius putaretur furatus & cogeretur restituere: quia tamen hoc tantum per accidens sequitur, si quis absque notabili damno suo non posset omittere compensationem suam, non peccaret compensando, licet hoc sequeretur; si autem posset sine notabili damno omittere vel differre, peccaret compensando, sed tantum contra Charitatem, uti habet communis cum *Sporer n. 78.* 968

9. Ut fiat sine præjudicio tertii, quale esset, si res esset alteri, v. g. locata, commodata, huic enim facis injuriam, si ante tempus expletum eripias; item si essent alii creditores, quibus de jure deberetur anterior vel partialis solutio, secundum 969

dùm dicenda p. 2. q. 72 & seqq.; quod optime deducit *Mendo* d. 6. q. 4. Unde si Titius creditor sciat Cajum debitorem suum non posse solvere omnibus etiam aliis creditoribus habentibus æqualiter jus, non potest Titius integrum debitum suum clam subducere Cajo, sed tantum pro rata, uti p. 2. n. 307. dicitur: imò *Lugo* n. 127 & alii docent, quamvis ego rem debitoris apud me haberem, me tamen non posse eam retinere integram excluso anteriore creditore, quia cum illam habeam nomine debitoris, mihi non favet possessio nec ullus alius titulus præferentiæ; in hoc tamen contradicunt alii cum *Tamb.* §. 7. à n. 3. & *Sporer* n. 82., qui putant rem illam, quam apud me haberem, esse veluti pignus pro debito meo, adeoque posse retineri, donec solvatur debitum, quod sustineri potest, si res illa sit apud me deposita tanquam pignus hujus mei præcisè debiti, alioquin præferenda videtur sententia *Lugonis*.

- 970 Circa hanc conditionem, occurrit hoc dubium: Si Cajus non possit debitum à Principe obtinere, an possit illud sibi compensare, v. g. defraudando gabellas, licet has conduxerit vel emerit Titius: posse affirmant *Silv. Sanch. Bon.* aliique cum *Onn.* n. 182 & *Lugo* d. 36. f. 5., quia Titius tantum emit jus, quod habebat Princeps, sed Princeps non habuit jus ad gabellas nisi tales, quæ essent justæ, hæ autem respectu Caji non sunt justæ, cum gravent Cajum supra debitum, supposito enim quòd hoc contribuerit, quod ei debet Princeps, iniquè ab eo exigitur ulterior gabella. *Conf. ex Vasq. & Dicast.* l. 2. t. 20. d. 3. n. 74., quia jus Titii fundatur in jure Principis, hinc
 si

si v. g. cessante necessitate defineret obligatio solvendi Principi gabellas, etiam non esset obligatio solvendi Titio, ergo cum Cajus hic non obligetur solvere Principi sed retinere possit compensando sibi debitum, nec obligabitur solvere Titio. *Nec obstat*, quod Cajus non posset ex fructibus horti compensare debitum, si Princeps hortum locasset Titio, nam disparitas est, quod fructus horti non sint Caji, imò nec Principis sed Titii, è contrà quod solvitur pro gabella est Caji, nam solvitur Principi, cui Cajus non tenetur solvere, ergo multò minùs Titio: addit *Lugo n. 80.* compensationem hanc fieri non posse, si debitum à Principe sit contractum, postquam gabella jam Titio est debita, quia Princeps poterat hanc justè postulare, quando transferebat jus illius in Titium, ergo Titius, qui ius illud acquisivit, etiam justè postulat. Infert *Lugo n. 85.*, si plures conduxerint diversas gabellas ab eodem Principe, ex cujus commissione unus iniustè exegerit nimium, te posse compensare hoc subtrahendo alteri conductori, quia hic alter perit nomine Principis, sed Princeps non habet jus à te petendi, supposito quod alius ejus conductor à te exegerit nimium, ergo nec potest exigere hic alter. *Vasq. Turr. Mol. Dicast. n. 83.* admittunt primam illam sententiam, si Titius tantum conduxerit illas gabellas, non autem si emerit aut ei donatae sint, nam si conduxerit, videtur exigere adhuc nomine Principis; si autem emerit vel donatae sint, exigit nomine suo, ipse autem non debet Cajo, ergo Cajus iniustè ex illis compensat, quod debet Princeps, nisi fortè debitum Principis esset antiquum, uti limitant *Mald. Less.*

Diana apud *Lugo* n. 82., qui dicit se non videre in hoc differentiam. Opposita sententia, quam tenent *Corduba*, *Regin. Graff.* apud *Lugo* n. 72. item *Sporer* n. 81. videtur probabilior, nempe absolutè non licere talem compensationem, sive Titius emerit aut dono habeat, sive conduxerit ius exigendi gabellas, tum quia fieret in præiudicium Titii, tum quia *Cajus* compensaret sibi, non ex bonis Principis, sed quæ fuissent Principis & nunc essent Titii, qui etiam solus damnum illud sentiret. *Conf.* quia licet Titius conducat vel emat ius gabellæ, non ideo obligatio Principis transfertur in Titium, sicuti ex eo, quod conducam vel emam agrum tuum & jus percipiendi fructus ex illo, non ideo tuæ obligationes transferuntur in me, ergo non ideo habebis ius compensandi ex gabellis, nisi quamdiu hæ manebunt Principis; suppono autem ius gabellæ non fuisse specialiter hypothecatum pro illo debito, nulla enim est ratio, cur ius gabellæ determinatè potius debeat ferre illud onus, quam reliqua bona, quæ Princeps retinet, ergo licet Titius conduxerit vel emerit ius gabellæ à Principe, non ideo potest *Cajus* has fraudare ad compensandum hoc, quod ei debet Princeps. Ad rationem *Lugonis R.* Principem, quamdiu retinebat ius gabellæ, non potuisse exigere gabellam à *Caio*, non quòd gabella esset de se iniusta vel indebita, sed quia Princeps aliunde *Caio* debebat, si autem Princeps ius gabellæ locarit vel vendiderit Titio, Princeps manet debitor ex reliquis suis bonis, & debitum Principis nullo modo manet connexum cum iure ad gabellas, quod nunc est Titii, qui *Caio* nihil debet.

Q. 213.

Q. 213. An famulantes possint dominis suis occultè surripere aliquid ad compensandum laborem, cui putant non respondere æqualem mercedem. R. Non posse, nam *Inn. XI* damnavit hanc 37. prop., *Famuli & famulae domesticæ possunt occultè heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt: quæ damnatio ut explicetur, notanda sunt seqq:* 971

§. 1. Possunt omnes, etiam famulantes, uti occultâ compensatione, si adsint conditiones à n. 961. requisitæ, unde per hanc damnationem non restringitur ullus usus licitæ compensationis, nam compensatio hîc damnata semper fuit illicita, quia defuerunt ei conditiones ad licitum usum necessariæ, quia propositio damnata dicebat sufficere, quòd famulus iudicet salarium esse minus quàm operam, hoc autem falsum est, tum quia secundùm dicta n. 962. requiritur, ut hoc sit certum, tum etiam quia licet labor sit fortè maior, tamen famulus non est ad eum conductus, & ex propria voluntate facit, vel saltem ex spe alterius commodi aut gratiæ.

§. 2. Si famulus iudicans suum salarium esse nimis parvum debeat pecuniam suo domino, v. g. quia acceperat ab eo mutuam, quamvis iste famulus habeat possessionem huius suæ pecuniæ, non ideo potest retinere, quantum putat sibi ultrà deberi, uti cum aliis *Carden. in 2. crisi d. 23. à n. 66.*, quia possessio pecuniæ hîc non facit ad rem, uti in simili notat *Lugo d. 18. n. 10.*, sed pro domino antecedenter ad omne dubium est certa possessio iuris de recipiendo mutuo, quæ debet prævalere, cùm famulus è contrà non habeat possessionem ullius iuris, quo elidatur illa 972

certa possessio domini, ius enim, quod præten-
dit ad maius stipendium, est ad summum tantum
probabile & incertum, quod non elidit certitu-
dinem iuris ad recipiendum mutuum, hinc pra-
xis oppositæ sententiæ secundum *Carden.* est sub-
iecta damnationi.

973 §. 3. Damnatio huius propositionis exten-
ditur etiam ad omnes illos, qui vel alteri labo-
rant, uti varii opifices; vel præstant obsequia, uti
amici, intercessores, internuncii; vel obeunt offi-
cia, uti Consilarii, Secretarii, Quæstores, Bellidü-
ces &c., his enim etiam illicita est occulta com-
pensatio, nisi adsint omnes conditiones à n. 961.
allatæ, *Carden.* a. 3. Et speciatim quoad famulos
fartorum, hi faciunt iniuriam, si retineant fra-
gmenta panni, fila serica &c., ut sic compensent
sibi mercedem, quam dicunt satis magnam non
solvi, ita cum communi *Lugo* d. 16. n. 83. Ratio
est, quia merces, quæ communiter datur illis, &
quæ maior non potest ordinariè obtineri, debet
censeri iusta, quantitas enim iustæ mercedis taxa-
tur communi usu & consuetudine, ergo malè di-
cunt talem mercedem non esse iustam. Idem vi-
detur dicendum de fartoribus ipsis seu magistris,
uti rectè *Villal. Dian. & Lugo* n. 85 contra *Sanch.*
& alios, si invitis illis, qui vestes constituunt, reti-
neant eiusmodi reliquias: an; autem hic vel ille
censeatur invitus, iudicari debet ex circumstan-
tiis, quamvis enim plerique reposcant fragmen-
ta, tamen illi, quibus vestes fractæ non reficiun-
tur, sæpe censeri poterunt ea non repetere. Et
quod dictum est de fartoribus, valet de aliis, qui
in aliena materia laborant.

974 §. 4. Ut eiusmodi hominibus sit licita occulta
compen-

compensatio, non sufficit, quòd patent sibi irrogari evidentem injuriam, amor enim proprius facit credi evidens, quod sæpe vix est probabile: imò nec sufficit iudicium Confessarii mediocriter docti, sed requiritur, ut vir valde doctus, multum prudens ac versatus in re morali iudicet certum esse, quòd tali homini fiat injuria: Ratio est, quia difficillimum est iudicare in hac materia ob plurimas circumstantias, quæ possent compensationem illam reddere illicitam, posset enim labor per aliquid aliud esse compensatus, v. g. per favores, spem promotionis, instructionem &c.; posset talis conductus ab initio cessisse juri ad majus stipendium; posset rogasse admitti ad tale servitium, quo casu conventio pro minori pretio esset justa; posset esse talis labor, quem alius libenter subiret pro illo stipendio, & tum etiam censeri debet justum, quamvis esset solito minus. Notat tamen rectè *Carden. n. 65.*, si herus solvat famulo stipendium in rebus, de quibus non contraxerat famulus neque indiget, sed cogitur divendere minori pretio, certum esse, quòd fiat injuria, hinc si adsint reliquæ conditiones, posse uti occultâ compensatione.

§. 5. Si famulus vel alius operarius propter 975
paupertatem coactus sit pacisci pro inæquali stipendio, putat *Pourrè* apud *Steph. t. 4. d. 7. n. 19.* posse occultè compensare sibi, sed oppositum est omnino tenendum, quia hinc nulla domini culpa intervenit, & ipse per contractum cessit juri suo; si tamen aliunde cogatur invitus servire pro inæquali stipendio, rectè docet *Carden. n. 65.* deberi compensationem ab eo, qui coëgit, quia tum non consensit in minus stipendium.

976 §. 6. Si certum sit, quod famulus occupetur in aliis, ad quæ non est conductus, pro his potest stipendium petere, & si aliter obtinere non possit, occultè compensare, uti docent *Nav. Menoch. Castrop. Burgh. cent. 2. cas. 76.* Si tamen volens facit obsequia gratuita, non potest sibi taxare stipendium, sed remuneratio est libera domino, unde non poterit ideo sibi quicquam occultè accipere.

977 §. 7. Si famulus vel alius deserviens etiam ex errore invincibili & bonâ fide, v. g. sequendo consilium Confessarii non satis docti, subduxit domino aliquid, quod judicabat sibi competere supra salarium, *Carden. n. 79.* dicit teneri hoc restituere, vel ex re accepta, si illam adhuc habeat aut ex illa sit factus ditior, vel saltem ex contractu, nam obligatio, quam inducit contractus, tam diu durat, donec impleatur, sed contractus inter ipsos fuit de ponendo famulatu, v. g. pro decem aureis tantum & non pro duodecim, quos ille famulus sumpsit, ergo semper remanet obligatio famuli ex parte sua complendi contractum, id est, non sumendi duodecim, sed ponendi laborem suum pro illis decem, sicuti dominus maneret semper obligatus ad solvendo decem, quamvis per oblivionem inculpabilem antehac eos aut eorum partem non solvisset. Hæc sententia est vera, si famulus intendit se obligare ad non sumendum amplius, è contrâ si contraxit de decem, tacitè reservando vel non excludendo ius ad amplius, si prudenter censeretur sibi competere, videtur excusandus per bonam fidem, si illud amplius non existat nec inde sit factus ditior.

Plura circa stipendia famulorum, eorumq; erga dominos, ac vicissim dominorum erga ipsos obligationem, videri possunt apud *Dicast. l. 2. t. 2. d. 9. d. 7.*

D U.

D V B I V M I I.

Quid sit quantitas notabilis ad mortale peccatum.

Variæ ea de re sunt sententiæ; *Navar.* nimis²⁰ 978
scrupulosè statuit medium regalem; alii nimis²⁰
laxè 100. aureos; moderatiùs *Tol. Med. Less. l. 2. 20*
c. 12. n. 29. 30. 31. Sc. duos regales; etsi minùs²⁰
sufficiat, si notabiliter noceat. ²⁰

Resp. Ea non mathematicè, sed moraliter²⁰
metienda est, non tantùm ex valore rei ablata,²⁰
sed etiam ex circumstantiis personæ, cui aufer-²⁰
tur, si nimirum ei grave damnum inferatur, aut²⁰
saltem charitas Christiana graviter lædatur :²⁰
quomodo respectu valde divitis, imò etiam Re-²⁰
gis, unus vel alter aureus notabile quid videtur;²⁰
respectu verò mediocriter divitum, quatuor²⁰
circiter regales, sive medius imperialis; respe-²⁰
ctu mechanicorum duo; respectu pauperis, u-²⁰
nus. Ita nunc plerique cum *Bon. Unde resolves:* ²⁰

I. Grave peccatum est auferre rem parvam²⁰
domino valde proficuum, v. g. sartori acum,²⁰
quam unicam habet, nec habere aliam potest,²⁰
quâ se alat. *Less. n. 33.* ²⁰

II. Grave item est (etsi non in specie furti) si²⁰
fur sciat ex jactura rei parvæ domino secutu-²⁰
ram valde magnam molestiam, v. g. quia²⁰
valde ad eam afficiebatur, nec similis recupe-²⁰
rari potest: nisi tamen sit nullius prorsus mo-²⁰
menti. *V. Bon. to. 2. de restit. in partic. d. 2. q. 8.*²⁰
p. 1. n. 8. ²⁰

III. Plus

» III. Plus requiritur ad notabilem quantitatem in rebus, quæ ultro proveniunt, & sunt valde expositæ, v. g. fructus ad viam publicam. » *V. Bonac. n. 10.*

» IV. Plus item, si quis à diversis, vel ab uno interpolatim, parva & plura furetur. *V. Less. n. 46.*

A D D E N D A.

979 Q. 214. Quidnam probabilius statuatur pro materia furti gravis. R. §. 1. Aliqui putarunt non posse assignari regulam universalem, unde desumatur gravitas materiæ in furto, sed hos rectè confutat *Esp. de Just. q. 27.*, nam potest determinari, quandonam fiat injuria gravis, ergo debet posse dari regula, ex qua colligatur gravitas injuriæ: injuria autem mensuratur in ordine ad aliquid tertium, quod sit quid notius, & fundet rationem regulæ universalis, dicemusque p. 2. n. 2. pacem communem, tranquillitatem publicam, mutuam conjunctionem & amicitiam hominum inter se, esse regulam illam obiectivam, quâ mensuratur gravitas vel levitas iniuriæ, & cum ista etiam sint finis Justitiæ, quod his graviter opponitur, est iniuria gravis, adeoque etiam datur mensura gravis furti.

980 §. 2. Materia furti potest dici gravis, vel absolute vel respectivè; illa dicitur gravis absolute, quam quicumque furatur, peccat mortaliter, à quocumque etiam furetur, non quòd semper tanta requiratur, sed quòd tanta sufficiat respectu omnium, & tanta requiratur respectu aliquorum. Materia gravis respectivè dicitur, si censeri debeat gravis respectu aliquorum, non tamen respectu omnium, quia nempe si auferam

ram alicui, peccabo mortaliter, possem tamen auferre alicui alteri, & non peccare mortaliter, uti paulò post declarabitur.

§. 3. In statuenda hinc regula communi est difficultas, suntque diversissimæ sententiæ; *Diana* p. 2. t. 3. R. 57. recenset novem; plures referunt *Lugo* d. 16. f. 2. *Dicast.* l. 2. t. 2. d. 9. d. 2. *Haun.* t. 2. c. 3. controv. 2. *Gormaz* à n. 689. Celebriores sunt hæc, in primis *Mol.* & aliorum cum *Esp.* q. 28., qui dicunt respectu hominum non habentium pingues facultates sufficere hoc, quod ordinariè datur in mercedem operario pro labore unius diei, sed cum mutetur illa merces pro varietate opificum, laborum, dierum, regionum, regula illa est obscurior & non satis determinata; deinde non est universalis, cum non conveniat v. g. Regibus. Altera est *Giatt.* *Haun.* n. 329 *Illf.* t. 4. d. 3. n. 151., qui pro regula statuunt quantitatem necessariam congruæ sustentationi hominis plebei uno die, sed hæc quantitas etiam videtur nimis parva respectu ditissimi Regis, qui irrationabiliter faceret, si propter solidum (per hunc intelligo octavam partem Imperialis, apud Italos Julium, apud Hispanos Regalem, apud alios blamuserum) graviter contristaretur aut indignaretur, cum tamen respectu hominis pauperrimi communiter censeatur materia gravis.

§. 4. Etiam in statuenda quantitate pecuniæ pro materia gravi furti sunt æquè diversæ opiniones; *Nav.* pro materia gravi posuit medium solidum; *Covarr. Salon: Llamas, Cord.*, solidum; *Med. Reb. Tol. Less.* duos solidos; *Valent. Sayr:* tres; *Haun.* posuit tertiam partem Imperialis, dicit-

dicitque n. 329. in illam quantitatem conspirare maiorem & saniozem Theologorum partem ; 7. *March.* & alii posuerunt quatuor solidos , quam sententiam *Sanch.* dicit esse in Hispania communem ; *Vega* posuit quatuor vel quinque solidos ; *Sot. Silv. Ang.* posuerunt duos circiter ducatos , (per ducatum hìc intelligo duos Imperiales) Hæ aliæque similes sententiæ , si loquantur respectivè ad aliquos homines , sustineri possunt , uti constabit ex dicendis , si autem singulas illas quantitates ponant pro materia absolute gravi respectu omnium , sustineri non possunt , saltem prima , secunda & ultima , quis enim dicat esse mortale , si ditissimo Regi furer unicum solidum ? è contrà quis dicat ad mortale respectu hominis pauperrimi requiri , ut ei furer duos ducatos ? hinc ,

§. 5. Probabilius est non posse pro regula universali statui unam certam quantitatem pecuniæ , quæ sit materia absolute gravis , sive , quæ ad mortale requiratur & sufficiat respectu omnium ; est nunc satis communis cum *Moya* t. 3. d. 3. q. 3. c. 1. §. 2. *Gorm.* à n. 693. contra Auctores §. præced. relatos ; ad quos accedunt *Tann. Arr. Esp.* q. 31. *Dicast.* à n. 26. *Ills.* n. 148. Ratio est , quia quamcumque quantitatem posueris , erit talis , ut vel minor sufficiat vel major requiratur respectu alicuius , uti jam dictum , & patebit consideranti singulas quantitates ab AA. illis allatas. Neque hoc habet se merè per accidens , uti putant Adversarii , quasi ditior aut alius ob certas circumstantias remittat , nam quòd ditior censeatur remittere & esse minùs invitus , videtur fundari in ipsa rei natura , suppositâ dispari conditione ,
recta

recta enim ratio dicitur, etiam præscindendo à dissimili voluntate, gravius peccatum esse mendico auferre solidum, quàm eundem auferre Regi; & Rex meritò judicaretur ab omnibus irrationabilis, si vellet propter furtum solidi contristari vel indignari, sicuti mendicus, ergo. *Confirmantur hæc à pari ex dicendis n. 991. de iniuria contra famam, quæ enim est gravis respectu unius, potest esse levis respectu alterius.*

§. 6. Probabilius est, quòd gravitas furti non 984
fit mensuranda præcisè ex quantitate rei ablata, sed simul ex circumstantiis personæ, cui aufer-
tur. Ratio est, quia furtum in ratione gravis vel levis, constituitur per rationem damni illati domino rationabiliter invito, ergo ejus gravitas desumi debet per ordinem, partim ad damnum, quod infertur, partim ad voluntatem ejus, qui damnificatur, atqui pauper accipit maius damnum & est magis invitus, quàm dives, uti patet, docetque *S. Th. opusc. de erudiendis Principibus l. 7. c. 8. In amissione unius gallinæ plus pauper gravatur, quàm unus multum dives gravaretur in mille marcis: in quem sensum Christus Marc. 12. v. 43. dicit viduam, quæ quadrantem miserat in gazophylacium, misisse plus omnibus divitibus, quia nempe respectu pauperis viduæ erat unicus quadrans æstimabilior; ideoque etiam pauper, si ipsi eripiatur sua res parva, censetur habere maiorem causam iustæ contristationis & indignationis, ergo gravitas furti non est mensuranda præcisè ex quantitate rei ablata, sed etiam ex circumstantiis personæ, cui auferitur.*

§. 7. Materia gravis furti probabiliter statui- 985
tur valor requisitus ad sustentationem pro una
die,

die, congruam respectu illius; cui aufertur, ita cum aliis *Sporer* t. 5. o. 5. n. 29. *Gorm.* n. 699. & in re consentiunt alii, speciatim *7lls.* n. 147. Ratio est, quia merito ab omnibus multum æstimatur posse pro una die honestè subsistere, & cui hoc tollitur, verè redditur miserabilis pro illa die, ergo censetur illi dari causa gravis contristationis & dissolvendæ amicitiae, ergo est iniuria gravis, secundum dicenda p. 2 n. 2. deinde cui tantus valor tollitur, censetur pati grave damnum & esse graviter invitus, ergo & debet censi pati gravem iniuriam: Per sustentationem autem hic intelligo necessaria ad honestè vivendum unâ die quoad victum, vestitum & habitationem, secundum communem & mediocrem modum, quem servant homines similis conditionis. Nunc regula hæc magis determinanda est ad quantitatem pecuniæ;

986 §. 8. Materia absolutè gravis in furto personæ extraneæ, probabiliter statuitur esse quantitas duorum ducatorum. Ratio est, quia quisquis tam multum furatur à quocumque, peccat mortaliter, & tam multum videtur requiri, ut quis peccet mortaliter furando ditissimo Regi: est autem etiam respectu huius gravis, quia videtur sufficere illi, ac etiam requiri pro sustentatione unâ die, uti magis declarabitur n. 997. & 998. Dixi, personæ extraneæ, nam de furtis domesticorum & filiorum dicetur specialiter à n. 1014.

987 §. 9. Quantitas respectivè gravis videtur sic posse probabiliter statui, ut respectu cuiuscumque etiam ditissimi Regis sint duo ducati; respectu inferioris Principis, unus ducatus; respectu viri per-illustris aut mercatoris valde divitis, unus

unus Imperialis ; respectu mercatoris mediocriter divitis, medius Imperialis ; respectu civis mechanici, tertia pars Imperialis ; respectu tenuioris civis vel rustici, duo solidi ; respectu hominis utcuque pauperis, scsqui-solidus ; respectu planè pauperis, etiam unicus solidus ; & de omnibus inter-mediis loquendum est cum proportione. Ratio est, quia tam multum videtur requiri & sufficere ad singulorum sustentationem pro integra die, ergo censebuntur pati grave damnum & esse graviter invitati, si tam multum auferatur, non autem, si auferatur minus : intelligo autem dictas pecunias secundum monetam & æstimationem, quæ nunc est in his partibus, nam rectè notat *Dicast.* à n. 32. pretia & valorem pecuniarum notabiliter variari pro varietate temporum & locorum, in quibus oporteret dicta sic accommodare, ut tantundem tum & ibi assignaretur, quantum postularet honesta sustentatio ejus, cui res auferatur.

§. 10. *Objiciuntur* multa contra hætenus dicta, 988
ex quorum solutione meliùs intelligetur sententia nostra : 1. *Æstimabilitas* rei temporalis, v.g. pecuniæ, nullo modo dependet à privata indigentia Domini, sed à conducentia, quam habet, ad usum humanum tanquam ad finem suum, qui præcipuè est sustentatio hominis, atqui hæc conducentia est eadem, sive pecunia sit pauperis, sive divitis, ergo æstimabilitas etiam est eadem, ergo quod respectu pauperis est materia gravis, etiam est respectu divitis, per se loquendo, ita *Ills.* n. 148. *lx. N. maj.* Nam partialiter dependet à circumstantiis personæ, cui servit, uti constat ex dictis n. 984.

Instabis 1. Jus divitis ad suum solidum est æquè 989
magnum, quàm Jus pauperis ad suum, ergo sive diviti sive pauperi furer solidum, lædo æquè magnum

magnum Jus, ergo æqualiter pecco contra Justitiã, quamvis magis peccem contra charitatem, si furer pauperi, ita *Dicast.* à num. 29. R. Jus divitis est æquè magnum, *materialiter*, conced. *formaliter*, *n. anteced. & conj. q.* Quantitas materialis Juris habetur per respectum ad res secundum se; è contrà quantitas formalis æstimatur secundum necessitatem vel utilitatem, ad quam ordinatur, sic enim si habeam maldrum filiginis nunc valens tribus Imperialibus, & illud servem in sequentè annum, tùmque valeat sex Imperialibus, habeo in mea filigine hoc anno Jus æquè magnum materialiter, ac habiturus sum post annum, attamen post annum habebo Jus majus formaliter, quia erit mihi utilius, hinc qui eam filiginem mihi eriperet hoc anno, non faceret mihi tantam injuriam, quantam si post annum, supposito quòd hoc anno fuissèm venditurus vel eã ufurus: Simile autem est in pecunia respectu pauperis & divitis, hinc si donem solidum unum tam pauperi quàm diviti, meritò censebor plus donare pauperi, qui magis æstimabit ac majores referet gratias quàm dives.

990 *Instabis 2.* Ergo si pauper unum solidum permutet cum divite, permutatio erit injusta, quia solidus pauperis erit formaliter pretiosior quàm solidus divitis, ita *Ess. Quæst. 31.* R. *N. Sequelam:* Nam solidus pauperis est soli pauperi pretiosior, non autem diviti, è contrà solidus divitis est soli diviti minùs pretiosus & non pauperi, hoc ipso autem, quòd pauper accipiat solidum divitis, & dives solidum pauperis, uterque solidus permutatus accipit suum pretium formaliter majus vel minus ab illis permutantibus, adeòque solidus divitis fit pauperi pretiosior, quàm fuerit diviti, & solidus pauperis fit diviti minùs

minùs pretiosus, quàm fuerit pauperi, ergo hæc permutatio habebit æqualitatem, non tantùm materiale, sed etiam formalem, ergo est iusta.

Instabis 3. Ex hoc, quòd aliquis sit in fama dives, 991
v.g. habeat famam in omni virtute, si illi detraham famam callitatis, non ideo minùs pecco, quàm si fuisset pauper in fama & habuisset solam famam castitatis, ergo ex eo, quòd furer solidum diviti habenti plures solidos, non ideo minùs pecco, quàm si furer pauperi habenti unum tantùm. R. 1. Isto argumento confirmatur nostra sententia, nam uti in detractioe non debet tantùm attendi *quod*, sed maximè *de quo & cui* dicatur, ita in furto. R. 2. N. *conseq.* Ideo diximus sufficere minorem quantitatem in bonis fortunæ respectu pauperis, quia pauper in his patitur majus damnum & rationabiliter est magis invitus: oppositum est in fama, nam qui habet majorem famam, illi faciliùs nocetur & infertur majus damnum, ideòque est rationabiliter magis invitus, sic enim si de homine valde sancto dicas esse mendacem, peccas graviter, si autem dicas de alio, non ita facilè peccas graviter, & ratio utriusque dabitur P. 2. Num. 1194.

Instabis 4. Si omnes essent pares conditione, 992
esset respectu omnium una quantitas gravis furti, ergo & iam est, quia natura in taxanda læsione gravi considerat hominem secundùm ea, quæ ipsi à natura insunt & debentur. *Confirmatur*: nam natura est eadem in omnibus, quæ nec divitias nec paupertatem curat, ergo quod ex natura est grave respectu unius, etiam est respectu alterius. R. N. *Conseq.* & *eius probationem*, oppositum enim farentur omnes in læsione famæ, ubi maximè attenditur, cui detrahatur. *Ad confirmat. N. conseq.*

Nam per naturam hic non intelliguntur causas necessariae vel naturales, sed intelligitur Jus five Lex Naturae vel recta ratio, suppositis autem divitiis in uno & in altero paupertate, recta ratio dicitur per ablationem solidi plus noceri pauperi quam diviti, quia pauper fit miserabilior, adeoque rationabiliter est magis invitus, ergo secundum Jus Naturae non est aequalis quantitas statuenda pro utroque.

993 *Instabis 5.* Ex hoc, quod dives damnum suum facilius reparet quam pauper, non sequitur diviti fieri minorem injuriam, uti ex hoc, quod Christus statim potuisset reparare omnia damna sibi facta per contumelias, vulnera, mortem, non sequitur ideo minorem ipsi factam esse injuriam. *Resp.* Neque nos hoc diximus: potest tamen probabiliter dici, si fiat injuria alicui, qui scitur facile posse reparare illam, alioqui non faciendam, nisi sciretur facile posse reparari, non fore moraliter tam gravem injuriam: hoc tamen non habet locum in Christo, cui ita fiebant injuriae, ut vel non sciretur posse reparare, vel aequae factae fuissent, licet inferentes hoc scivissent.

994 *Instabis 6.* Saltem (secundum dicta) divites erunt peioris conditionis quam pauperes, quia poterit citra mortale plus illis auferri; cum tamen Jus deberet potius illis favere, quia plus afferunt ad bonum commune. *R. N. Seq.* Nam etiam plus habent. *Nec obstat,* quod quod plus habent, eod plus periculi habeant, ne auferatur: *Nam* hoc compensatur per alia commoda, habentque etiam divites plura media, quibus pericula propulsent & se tueantur.

995 *Objicies 2.* Non est ratio, cur gravitas furti potius desumatur per ordinem ad sustentationem diurnam quam

quàm ad aliquid aliud. *R. N. assumptum*, nam inprimis indigere sustentatione diurna est commune omni homini, ergo inde peti potest regula universalis: deinde finis præcipuus bonorum externorū est sustentatio vitæ humanæ, ergo rectè dicimus id censerì grave in bonis externis, quod censeretur grave contra istum finem, grave autem censeretur, si homo priveretur sustentatione per integrū diem, uti dictum est num. 985, ergo.

Objicies 3. Si gravitas furti metienda sit ⁹⁹⁶ ex circumstantiis personæ, cui aufertur, nunquam determinari poterit ea gravitas, quia pendebit ab infinitis circumstantiis etiam ignotis, scire enim non possumus, an Dominus sit liberalis vel avarus, an nunc sit bene dispositus vel malè, adeoque magis invitus: item nescimus, an re ipsa sit pauper an dives, nam aliqui videntur divites, qui sunt pauperes, & contrà, ergo nunquam sciri poterit, quænam hinc & nunc sit quantitas requisita & sufficiens. *R. N. Seq.* Nam inprimis, si aliud non constet, præsumere debemus Dominum esse talem, quales ordinariè sunt homines, spectatâ complexione & educatione communi secundum rationem ætatis, conditionis, sexus & regionis: quòd si prudens sit suspicio esse v. g. avarum, tantò majorem causam habeo nil furandi: deinde quoad statum pauperis vel divitis, quisque prudenter reputatur talis, qualem se externè præfert, & simul qualis in communi à plerisque habetur, quòd si aliter est, per accidens erit, si fur occasione hujus erroris invincibilis diversimodè peccet, & lædat Jus majus, quod putavit esse minus, vel contrà.

Objicies 4. Ad sustentationem diurnam poten- ⁹⁹⁷ tissimi Regis non potest sufficere duplex ducatus,

Pp3

ergo

ergo hæc quantitas malè ponitur pro regula respectu illius, ita Lugo n. 26. R. N. antecedens, nam si semel in statu suo sit constitutus, ut hunc sustineat consideratâ solâ ejus personâ secundum necessitatem victûs, vestitûs & habitationis, sufficeret ea quantitas ; quod inde patet à posteriori, nam sæpe maximi Principes Regibus pares non dant in dies in victum Oeonomo alicui sustinenti familiam, nisi circiter ducatum pro singulis accumbentibus, & tamen talis Oeonomus habet insuper inde lucrum ; quòd si alterum ducatum in dies adjicias, habebis etiam, quæ vestitus & habitatio requireret, neque enim ad sustentationem personæ spectare censentur pompæ aliæ aularum aut apparatus armorum.

998 *Instabis.* Quantitas, quæ pro Rege statuitur, debet se ita habere ad quantitatem, quæ pro cive statuitur, uti se habet opulentia Regis ad opulentiam civis, sed opulentia Regis superat opulentiam civis longè magis, quàm duo ducati superent medium Imperialem, ergo respectu Regis non sufficient duo ducati. R. Debet se ita habere, cum æqualitate arithmetica, seu cum proportione perfectè correspondente, N. Cum æqualitate geometrica & proportione quadam deficiente, C. maj. & n. conseq. Sic enim se habet, si considerentur majora onera, frequentiora damna, plura pericula Regum : imò sæpe Reges sunt respectivè pauperiores quàm aliqui cives, cum sint in magnis debitis : atque etiam ideo AA. communiter posuerunt unum ducatum etiam respectu Regum, quia loquuntur de Regibus non ditissimis, prout nunc communiter non sunt, quod etiam valet de aliis, licet multa possideant.

Obji-

Objicies 5. Videtur nimis laxum dicere, quòd 999
 possit quis absque mortali furari ditissimo Regi
 ultra tres Imperiales. *R. N. afs.* cum *Sporer* supra,
Laym. Lib. 3. T. 3. P. 1. c. 1. n. 3. aliisque gravissimis
 Auctoribus, qui ponunt duos vel tres ducatos
 respectu ditissimi Regis; sed jam notavimus
 paucos esse ditissimos Reges, unde etiam pro illis
 variat regula secundum varietatem opulentiæ.
Instat Lugo: quamvis furtum trium Imperialium,
 si semel fiat, non sit actuale damnum grave
 respectu ditissimi Regis, tamen erit grave, si sæpius
 repetatur aut à diversis fiat, jam verò si homines
 semel sciant se posse citra mortale Regi ditissimo
 furari tres Imperiales, cum Summa ita magna
 multum alliciat, omnino præsens periculum est,
 ne Summam illam sæpius, aut saltem plurimi eam
 furentur, ergo dicendum est esse graviter prohi-
 bitum tam multum furari. *Præb. Conseq.* Ideo enim
 dicimus unicam pollutionem aut fractionem sigilli
 esse mortalem, quia quamvis, si semel tantum fie-
 rent, non ita graviter nocerent, tamen quia est
 periculum, ne, si scirentur aliquando licere,
 sæpius repeterentur, eò quòd homines putaren-
 hic & nunc esse illam circumstantiam, in qua
 liceret, ideo debuerunt illa pro omni casu esse gra-
 viter illicita. *Resp.* Si argumentum valet, probat
 contra suos AA. etiam medium Imperialem esse
 materiam gravem respectu ditissimi Regis,
 eadem enim ratio applicari potest, ergo
 nè unus quidem ducatus requiretur, quem tamen
 requirunt cum *Dicast.* num. 36; itaque N. ideo
 fore periculum proximum aut per se repetendi
 ea furta, nam si repetantur, non manebit furtum
 trium, sed fiet sex, novem vel plurium Imperia-
 lium, qui erunt materia gravis. De pollutione

vel fractione sigilli non est eadem ratio, nam quòd hæc, licèt unicâ vice facta, sint gravia, scimus etiam aliunde, saltem ex declaratione Ecclesiæ & communi consensu Doctorum, de tali autem furto non persuadet, neque tanta authoritas, neque certa ratio.

1000 *Objicies 6.* Quamvis diviti eripiatur, quantum requiritur ad sustentationem pro una die, ipse aliunde habet, quo istâ die subsistat, ergo non censetur ei per hoc dari justa causa gravis contristationis vel dissolvendæ amicitia. *R. N. conseq.* nam quæ aliunde habet, jam considerata sunt tanquam constituentia personam divitem, à qua ideo possit citra mortale plùs eripi, adeòque jam antecederet positum est, atque si præter illud non haberet aliquid, ergo facultas illa aliunde habendi sustentationem non debet iterum adduci in considerationem pro extenuanda gravitate illius injuriæ.

1001 *Objicies 7* Si materia gravis, v. g. respectu Nobilis, sit Imperialis, ergo qui tali furaretur Imperialem, minùs obolo, non peccaret graviter. *R. Haun. n. 330. Gorn. n. 723. Carden. in 1. Crisi D. 27. c. 3, iterùmque in 2. Crisi D. 23. num. 110. concedunt sequelam,* putant enim has quantitates debere statui in tanto determinatè & quasi in indivisibili, ita ut si quid minimum desit, non sit materia gravis: è contrà alii communiter & fortè probabilitùs constituunt in tanto moraliter, v. g. quando secundùm prudentem æstimationem diceris Nobili eripuisse Imperialem, peccâsti mortaliter, uti si deficient tantùm sex nummi, quorum triginta v. g. faciant solidum; si autem eriperes minùs viginti-quatuor nummis, non censeris eripuisse Imperialem nec peccâses mortaliter. *Neque obstat,* quòd Justitia dicatur intendere æqualitatem arithmeticam: *Nam hanc*

hanc intendit, non physicè, sed moraliter sumptam. Quòd si quis oppositam sententiam tenere velit, dicere debet consequenter, quòd Nobili furans Imperialem minùs nummo non peccet mortaliter, quia aliàs etiam mortaliter peccaret furans minùs duobus nummis, ergo etiam furans minùs tribus, & ita ulterius descendendo ad materiam certò levem : ex quo tamen non sequitur, quòd unicus nummus sit materia gravis, sed tantùm, quòd conjunctus cum aliis faciat materiam gravem, adeoque per additionem vel ademptionem unius nummi ab aliis censeatur induci vel demì distincta differentia specifica constituens rationem peccati gravis vel levis, quamvis enim materiæ illæ (physicè loquendo & quoad entitates) non differant notabiliter, tamen differunt moraliter & quoad effectum, quia una est de se dissolutiva amicitiae, altera non : Et similia habentur in rebus physicis, nam ad mergendam navem requiritur & sufficit tantum præcisè pondus aquæ, ita ut si gutta deficeret, non mergeretur ; item ad hominem plenè inebriandum requiruntur præcisè tot guttæ vini bibiti, ita ut si una deficeret, non essent spiritus sufficientes ad plenam ebrietatem ; ubi vides unam guttam aquæ vel vini cum reliquis conjunctam inducere moralem diversitatem & effectum notabiliter distinctum ; & ita etiam est argumentandum in illa sententia, sed, uti dixi, altera est fortè probabilior.

§. II. Ex dictis, colligitur I. Non esse grave peccatum (per se loquendo) furari ultimam partem ¹⁰⁰⁸ completè materiam gravem aut quantumcunque magnam summam cum animo statim restituendi, v. g. intra quadrantem horæ, quia per illam ablationem non infertur grave damnum, Pp̄s neque

neque est periculum diuturnæ retentionis, ideòque Proximus non debet esse graviter invitus, ita *Vasq. Salas, Hurtad. Lefs. Lugo D. 8. N. 21. Moy. T. 6. D. 4. q. 4. §. 2. Gorm. n. 703.* Idem est, si velit intra ejusmodi breve tempus restituere etiam solam ultimam partem, quæ constituit materiam gravem, uti dicitur *P. 2. N. 249*, aut si ad breve tempus restitutionem differat, *Vasq. Sanch. Sayr. Rebel. Dian. Regin. Basf.* aliique plurimi cum *Oviedo de Pec. Contr. 3. n. 103. & Moya §. 3;* sed de dilatione vide dicenda *P. 2. n. 252.*

1003 *Colligitur 2.* Si materia furti sacrilegi sit res, quæ pretio temporali æstimari solet, uti sunt calix aliæque spectantia ad Ecclesiam, gravitas determinanda est, uti diximus de re profana, attento valore secundum æstimationem communem: Si autem sit res adæquatè sacra, v. g. Reliquiæ, putant aliqui non dari parvitatem materiæ, sed semper peccari mortaliter, quantumcunque parvum quis furetur, quia *Clemens VIII, Paulus V. & Urbanus VIII.* excommunicant ipso facto eos, qui sine consensu eorum, qui præsunt Ecclesiis in Districtu Romano, extrahunt minimas, & quidquid potest habere umbram aut prætextum Reliquiarum, uti cum aliis testatur *Baldel. in Theol. Mor. T. 2. L. 3. D. 15. à n. 29;* rectè tamen notant *Sanch. Bonac. Castrop. & alii cum Dian. P. 5. T. 5. R. 35.* pro locis extra Districtum Romanum (pro quo fuerit specialis ratio sic prohibendi) dari parvitatem materiæ, & considerandam esse dignitatem aut raritatem Reliquiarum, ideòque fore mortale, si quis vel minimam partem Sanctæ Crucis furaretur: è contrà fore veniale, si quis à corpore alicujus Sancti auferret aliquid pulveris, capillum, aut simile quid, quod neque deformat ipsam Reliquiam, neque illius æstimationem minuit, ita *Baldel. num. 25.*

DUBIUM

DUBIUM III.

Quàm graviter peccet, qui multa minuta furta
committit.

Resp. Hic quòque quantitas læsionis, vel ^{cc 1004}
damnificationis, quæ fit Proximo, & quam ^{cc}
fur intendit, est mensura quantitatis peccati. ^{cc}
Vid. *Lefs. L. 2. c. 12. D. 8. Sanch. Moral. L. 7. c. 21. cc*
Unde resolves:

I. Si quis ex occasione tantùm furatur, ^{cc}
sive uni, sive pluribus modicum, non intendens ^{cc}
notabile aliquid acquirere, nec Proximo gra- ^{cc}
viter nocere, singulis furtis non peccat graviter, ^{cc}
neque ea simul sumpta unum mortale consti- ^{cc}
tuunt: postquam tamen ad quantitatem notabilem ^{cc}
pervenit, eam detinendo, mortaliter peccare ^{cc}
potest. *Lefs. D. 7. Bonac. D. 2. Q. 8. P. 2. Verùm cc*
& hoc mortale evitabit, si vel tunc restituere ^{cc}
non possit, vel animum habeat paulò post resti- ^{cc}
tuendi, ea saltem, quæ tunc accipit. *Gran. cc*
Diana P. 3. T. 6 R. 25.

II. Si autem per plura parva furta uni vel ^{cc}
pluribus facta, habeat intentionem paulatim ^{cc}
ditescendi, vel inferendi grave damnum, peccat ^{cc}
graviter eâ intentione; ac licet executio singu- ^{cc}
lorum sit tantùm venialis ex se, ut tamen substat ^{cc}
tali intentioni, est continuata executio peccati ^{cc}
mortalis. *Lefs. Sanch. l. c.* quia nocent graviter ^{cc}
Reipublicæ, & praxis illa valde perniciofa est ^{cc}
societati humanæ: v. g. si sartor particulas panni ^{cc}
à diversis surripiat; si mercatores utantur brevio- ^{cc}
ribus ulnis, &c. Interim hi excusantur subinde ^{cc}
à gravi peccato, I. Ex eo quod dictum est *casu primo. cc*

2. Sⁱ

2. Si id faciant, ut se servant indemnes; vel quia
 3. aliàs non lucrarentur; vel pretium augere debe-
 4. rent, & tunc non invenirent emptores. *Resella*
 5. v. *Emptio*. 3. Si aliàs non habeant, unde se
 6. vel suos alant,
 7. III. Si plures simul vel successivè plura furta
 8. parva alicui faciant, quæ simul sumpta graviter
 9. illi noceant, tunc, si alter de altero non sciat,
 10. nullus peccat graviter, v.g. si viatores ex vinea
 11. unam alteramve uvam rapiant & comedant;
 12. etsi hoc licere dicat *Covarruv. Valerius & Ripa*
 13. contra *Dianam* R. 20. Si autem singuli conspirent,
 14. singuli graviter peccant. Si denique de se mutuò
 15. sciant, nullus tamen alteri sit causa furti, probabi-
 16. lius est non esse mortale, ut docet *Lefs. Tann. & c.*
 17. contra *Suar. Vid. Bonac. loc. cit.*

A D D E N D A.

1005 Q. 215. Quid hæc notandum sit ad clariorem intel-
 ligentiam. R. Seqq. §. I. *Navar. Vasq. Sayr. Lefs. L. 2.*
c. 12. D. 8. Dicast. L. 2. T. 2. D. 9. N. 50. aliique fatentur,
 quòd retinere ultimam materiam levem cum aliis
 præcedentibus, si per illam compleatur materia
 gravis, sit mortale, attamen negant mortale esse
 eam surripere; quam sententiam *Amicus de Pecc.*
D. 23. N. 227. & Oviedo de Pec. Controv. 3. Num. 103.
 vocant probabilem & tutam, sed oppositum est
 tenendum cum communi, *Mol. d. 688. Lug. d. 16. n. 38.*
Sporer T. 5. c. 5. N. 37. Moya T. 6. D. 4. Q. 4. N. 8.
 I. Quia voluntas intendens retinere priores mate-
 rias, & adjiciens hæc, habet pro objecto
 totam illam materiam, quæ gravis est & graviter
 damnificativa Proximi. 2. Alioquin qui continuò
 erepta consumeret, nunquam peccaret mortaliter,
 quamvis

quàmvis successivè centies mille solidos eidem eriperet ; imò si non esset inde factus ditior, non teneretur sub mortali quicquam restituere, non ex re accepta, quia nullo modo extaret, nequè ex injusta, acceptione, quia nunquam peccasset mortaliter, hoc autem videtur absurdum, & oppositum dicitur P.2.N.244. 3. Explicari non poterit, cur peccetur mortaliter die festo omittendo multas parvas partes Misæ vel Horarum, aut ponendo multa parva opera servilia, item die Jejunii comedendo sæpius pauca, in his enim vel non est retentio, vel non facit ad rem ; & quàmvis homo vellet præcedentia non esse posita, si tamen ultimum addat, per quod completur materia gravis, hoc ipso peccat mortaliter, ergo & hic. *Si dicas*: ultima acceptio tantùm leviter concurrat ad materiam gravem addendo aliquid tantùm leve, ergo non magis est mortale, quàm priores acceptiones, quæ etiam sic concurrebant ad totam materiam gravem constituendam. R. N. *conseq.* Priores acceptiones non habebant pro objecto secuturas materias, ultima autem acceptio habet pro objecto omnes etiam priores materias, uti dictum est, hinc secunda acceptio est peior quàm prima, & tertia quàm secunda, ac ita deinceps, quia volitio, v.g. secundi solidi habet pro objecto duos solidos, est enim volitio retinendi primum & habendi secundum, & ita de reliquis, *Ovied. num. 108. Merat. de Pec. D. 20. N. 4.*

§. 2. Adhuc peccat graviter, qui post levia furtiva, 1006 quæ non potest restituere, addit aliud leve, quo compleatur quantitas gravis, *Lugo num. 39. Sporer n. 39. Illsung T. 4. D. 3. N. 157. & alii contra Gran. & Less.* Ratio est, quia liberè complet & consentit in totum grave damnum Proximi ; & aliàs, inquit

inquit rectè *Dicast.* num. 55. Pauper vel Religiosus, qui successivè damna inferret, nunquam peccaret mortaliter, quia post singula quantumcunque multiplicata manet impotens ad restituendum: Si tamen haberet efficacem voluntatem restituendi priora saltem usque ad materiam levem, excusaretur à mortali, uti notant *Mol. Rebel. Sanch.* aliique cum *Lugo* à num. 40.

1007 §. 3. Si quis post semel completam materiam gravem advertenter adhuc eidem furetur aliquid leve, *Salas & Mol. D. 688. N. 2.* putant hoc ultimum furtum esse tantùm veniale aut tantùm aggravari prius mortale, quia non additur notabile damnum, sed illud jam causatum est, & tantùm leviter augeatur; quam sententiam *Bonac. de Restitut. D. 2. Q. 8. P. 2. N. 5.* dicit esse valde probabilem: è contrà probabiliùs docent *Lugo* à num. 43. *Dicast.* num. 59. *Amicus* n. 233. *Sporer* n. 39. *Ovied.* n. 114. toties esse mortale, quoties ulterius aliquid etiam leve tollitur, 1. Quia habet voluntatem saltem implicitam augendi prius damnum grave; neque posteriora habent se quasi seorsim ad priora, sed cum illis conflant unum damnum majus. 2. Quia toties complet voluntatem habendi materiam gravem, partim retinendo priorem, partim addendo novam. 3. Alioquin etiam dicam nunquam compleri primum mortale, sed semper inchoari materiam novi venialis aut saltem tantùm aggravari primum mortale, quantumcunque multum postea per repetitas vices addatur, quod videtur absurdum. Hinc *Dicast.* n. 60. à pari doceteum, qui in Horis per omissiones parvas pervenit ad materiam gravem, toties postea peccare mortaliter, quoties aliquid leve iterum omittit, si pergat habere volunt-

voluntatem iterum hoc parvum omittendi simul cum prioribus.

§. 4. Furta parva coalescunt, etiam si fiant ¹⁰⁰⁸ in diversis negotiis, ut si defraudes Titium, semel venditione, semel cambio, semel furando &c. Ita *Sanch.* in Dec. L. 7. c. 21. N. 16. contra *Rebel. Tan. Dian. P. 1. T. 6. R. 34.* Ratio est, quia ad rem non facit, quod sit hoc vel illud negotium, cum in omnibus causetur damnum ejusdem rationis.

§. 5. Si plures eidem furentur multa parva, ¹⁰⁰⁹ non quidem communi consilio, attamen ita, ut unus moveatur exemplo alterius, *Less. Salas, Tamb. Lugo* à n. 159. dicunt non peccari contra Justitiam, sed tantum contra Charitatem per scandalum, alioquin homo movens alium suo exemplo ad ludos noxios faceret huic injuriam ac teneretur restituere, quod nemo dicet: *Oviéd. Contr. 2. à n. 96.* quamvis agnoscat hanc sententiam esse valde probabilem, tamen cum *Laym. Bona-Spei, Steph. & aliis* tenet oppositam, quia videtur esse contra Justitiam, quod sine justa causa ponam hoc, ex quo prævideo læsionem Juris alieni, implicite enim censeor velle illam læsionem, implicitum autem & explicitum spectant ad eandem speciem malitiæ, uti habet communis regula ex *Cajet. Suar. & Sanch.* Deinde talis tacite movet ad eam injuriam, qui autem movet ad damnificandum, facit injuriam & tenetur restituere, uti dicitur *P. 2. N. 21, ergo. Potest videri Dicast. de Pœn. D. 9. à num. 337,* ubi etiam hanc sententiam tuetur, estque conformior damnationi propositionis loco citato referendæ.

§. 6. Si plures furta levia committant, ¹⁰ non moventes se mutuo, sed tamen advertentes per omnia simul sumpta causari grave damnum alteri, *Suar.*

Suar. Vsq. Rebel. Fil. T. 31. N. 249. aliique multi apud *Lugo* n. 54. dicunt singulos peccare graviter, quia scienter concurrunt ad grave damnum & consentiunt in illud; è contrà *Sanch. Salas, Lefs. Tann. Ovied.* de Peccat. Controv. 3. N. 112. *Lugo* n. 55. *Sporer* num. 47. *Illsing* n. 158. probabilius dicunt peccare tantum venialiter, quia singuli non sunt causa neque physica neque moralis damni ab aliis causati, sed tantum illius, quod inferunt, hoc autem est leve, ergo. Deinde si opposita sententia esset vera, quisquis alicui diviti furaretur minimum, credere deberet se peccare mortaliter, quia moraliter certus est alios eidem fecisse multas similes injurias; item qui post direptam vineam, unicam uvam furaretur, peccaret graviter, uti rectè argumentatur *Lugo* num. 56. Imò peccaret longè gravius, quàm omnes ceteri, qui totam vineam diripuerunt, inquit *Dicast.* de Just. L. 2. T. 2. D. 9. N. 79, jam enim in totum prius damnum censeretur influere ac reddere majus. *Nec obstat*, quòd sciam grave damnum causari, in quod partialiter influo, nam influo in illud ex se divisibile respectu singulorum, respectu quorum per accidens est, quòd sit grave, uti si milleni donent medium solidum Pauperi, singuli physice & moraliter donant quid leve, nec merentur apud Deum, nisi quantum responderet dationi medii solidi, licet per accidens ex omnibus simul sumptis fiat illi egeno magna eleemosyna. *Nec obstat iterum*, quòd ille peccet mortaliter, qui homini vulneribus aliorum læso addit vulnus, ex quo & aliis emoritur; item qui homini ferè ebrío dat haultum, quo plene inebriatur: *Nam* disparitas est, quòd hoc ultimum vulnus vel hic ultimus haustus non tantum augeat malum illatum, sed sit causa novi effectus gravis, nempe

nempe mortis vel ebrietatis, qui effectus indivisibilis est, nec causatus erat à prioribus, sed nunc causatur ab ultimo; tribuitur quidem etiam prioribus tanquam causis inadæquatis; attamen ultimo tribuitur totus secundum prudens iudicium; è contrà furtum meum leve tantum auget malum illatum, nec est causa novi effectus gravis, & damnum, quod causat, est divisibile, neque ulli prudentes mihi totum illud damnum attribuunt.

§. 7. Si inter ablationes leves parum temporis 1011
intercedat, v.g. tantum unus vel alter dies, quantitas, quæ simul ablata sufficit ad mortale, etiam sufficit, si ita successivè auferatur, quia quando parum temporis intercedit, censetur fieri eodem moraliter tempore: è contrà si ablationes per mensem vel per dimidium separentur, *Dian. P. 1. T. 6. R. 34.* putat non uniri, quod *Fil. n. 244.* dicit esse valde probabile, si priora expenderit, præsertim si à diversis & bonâ fide acceperit: *Sanct. num. 10.* & *Dicast. num. 58.* dicunt non uniri, si per annum separentur, additque *Sanchez* idem sensisse viros doctos à se consultos, sed alii cum *Rebell.* adhuc dicunt continuari, etiamsi quatuor annis separentur, quod videtur probabilius, manet enim damnum datum & obligatio restituendi, & quidquid accedit per vices, auget antiquum damnum & priorem obligationem: admittunt tamen omnes cum *Carden.* in 2. Crisi D. 23. N. 114. ad materiam gravem tum requiri amplius, v.g. duplo plus quam sufficeret, si simul auferretur: *Ellsung num. 155.* dicit, si interpolatio temporis sit valde magna, dimidio plus requiri: quod si mediocre tempus intercedat, v. g. unius mensis, aliquid plus requiretur, hinc

si materia gravis essent quatuor solidi simul ablati, si ita successivè auferantur, deberent minimum esse quatuor & medius.

1012 §. 8. Quò plures sunt damnificati, eò plus requiritur, quia damnum divisum in plures censetur minus, uti rectè *Sanch. Lefs. Rebel. & alii*; hinc *Mol. D. 689. & Diana* requirunt saltem duplum, & fatentur *Lugo num. 51. Dicast. n. 71. Rebel. & alii* aliquem faciliùs excusari à culpa gravi, si à pluribus per intervalla temporis ac in diversis negotiis abstulerit: putant tamen *Sanch. & Carden.* si eripiantur ab illis, qui unam Communitatem constituunt, ad materiam gravem semper sufficere unum aureum, sed probabile est, si Communitas sit magna & dives, quandoque posse extendi ulterius, dummodo non ultra duos ducatos, quamvis *Moya* in *Sel. T. 3. D. 3. Q. 3. c. 1. §. 2.* dicat furtum circa publica non esse mortale, nisi attingat quadraginta solidos, eò quòd quantitas minor non videatur graviter opponi bono communi & rectæ gubernationi *Reipublicæ*. Posse autem peccari mortaliter ita eripiendo parva, patet, quia aliàs Mercator in vendendo utens pondere, mensurâ vel ulnâ parum minore non peccaret graviter, cum tamen hoc *Deuteron. 25. & Proverb. 11.* dicatur esse abominatio apud Deum. Ratio autem est, quia sic inferatur grave damnum Communitati rationabiliter invitæ, læditur enim per aliquid grave, quod ipsa in suis membris patitur, uti si singula membra corporis leviter vulnerarentur, fieret toti corpori gravis injuria; imò singuli homines de ista Communitate sunt & debent esse graviter invitæ, ne hoc fiat, quia vergeret in gravissimum præjudicium *Reipublicæ*, in qua desineret omnis honesta industria, & fures otio dediti

se quotidie parvis alerent. *Accedit*, quòd homo, qui talia minuta congesisset, nullo titulo ea haberet, ergo esset injustus possessor materiæ gravis, ergo eam accipiendo etiam peccat graviter, secundùm dicta n. 1005. Porro illi hìc dicuntur constituere unam Communitatem, qui debent ferre simul aliqua onera, ita ut si unus eorum non ferret, reliqui deberent plus ferre, tum enim si unus eorum depauperaretur, onus recideret in alios, quibus ideo pejus esset.

§. 9. Si singuli, à quibus quis furatur parva, ¹⁰¹² non constituerent unam Communitatem, & furans non intendisset unam Summam magnam, probabile quidem est cum *Ess.* vix peccari graviter, licet simul sumpta essent multum, quia nullum grave damnum sentitur, neque singuli aut illi omnes, qui ad invicem nullam communionem habent, videntur posse esse graviter invitis; probabilius tamen est oppositum cum *Less.* *Illsung* num. 155. *Busenbaum* supra, ob Scripturas & rationes antè insinuat. *Nec obstat*, quòd non videatur peccari graviter contra *Justiciam commutativam*, cum ad injuriam contra illam debeat uni determinatè fieri damnum grave, quod hìc non est: *Nam* gratis dicitur ad læsionem *Justitiæ commutativæ* requiri, ut uni determinatè fiat damnum, cum possit etiam *Communitas* habere *Jus strictum*, aptum lædi: dici quidem posset peccari saltem graviter contra *Justiciam legalem* (ut cum aliis docet *Moya* à num. 3.) quæ obliget partem ad procurandum bonum totius, contra quod graviter agitur; ac etiam contra bonum universale societatis humanæ, si passim fierent ejusmodi furta parva: sed

difficultas est in hac responsione, quòd ex læsione solius Justitiæ legalis non sequatur obligatio restituendi, uti cum communi tenet *Lugo* D. I. N. 52. & *Platel*. P. 3. N. 718. Dicendum autem est deberi restitutionem, si à pluribus pauca auferantur, uti constabit ex dicendis P. 2. N. 244.

DUBIUM IV.

Quid in genere notandum sit de furtis domesticorum vel amicorum.

- 3014 **R** *Esp.* Licet verè furtum sit, si uxor, liberi, amici, servi, patri-familias invito quid auferant, plerumque tamen major quantitas requiritur, ut sit mortale, cum plerumque hic Dominus, aut non rationabiliter invitus, aut saltem minus invitus sit, ut ab his, quam ab aliis auferatur. Vel etsi valde invitus sit, sæpe tamen id fiat, non tam ratione rei acceptæ, quam modi accipiendi clam, aut ratione finis, propter quem accipitur, v.g. ad ludendum, ad potandum, &c. Vide *Cajetan.* v. *Furtum.* *Less.* Lib. 2. Cap. 12. num. 76. Unde resolves:
- I. Uxor graviter peccat, si notabilem Summam accipiat invito marito, etiam ex dote, vel bonis communibus; quia licet media pars ad eam spectet, maritus tamen habet usum-fructum illius partis, ideòque tenetur ad restitutionem. *Trul.* L. 7. c. 5. D. 8. N. 7. &c.
- II. Similiter peccat graviter maritus contra Justitiam, cum obligatione restituendi, si aliquid notabile uxori surripiat absque ejus consensu, ex bonis ipsis paraphernalibus, vel ex aliis propriis, si quidem libera eorum administratio ipsimet uxori competat, quia

par est ratio mariti & uxoris, quoad bona
propria. *Vid. Villalob. T. 2. T. 13. Trull. num. 21.*

III. Uxor potest dare eleemosynam & munera,
secundum consuetudinem aliarum mulierum
istius loci & conditionis, etiam si maritus ele-
emosynas omnes illi prohibeat; quia consuetudo
hoc Jus ei tribuit, quo maritus eam privare
non potest. *Ibid. num. 3. Dian. P. 1. T. 3. R. 23. Et P. 5.
T. 8. R. 34. ubi cum Mol. & 10. aliis docet posse eam
in scio marito dare vigesimam partem annui
census, vel lacri; eò quòd hoc pertineat ad decen-
tiam status, & maritus irrationabiliter sit invitus:*
hinc etiam potest cum Abigail moderatas ele-
emosynas dare, ut mariti conversionem impetret,
vel ne Deus illum puniat. *Vasq. Bonac. Regin. &
& alii 10. contra Kon. &c. Vid. Dian. P. 2. T. 26. R. 23.
Et P. 5. T. 8. R. 34.*

IV. Uxor potest bona expendere, marito
absente vel fatuo: quia tunc ad illam spectat
administratio domus. Item quæ acquirit
suâ industriâ; item paraphernalia, hoc est, bona,
quæ præter dotem marito allatam, sibi refer-
vavit. *Trull. num. 16. & ceteri communiter.*

V. Non peccat uxor, subducendo aliqua, vel
compensationis causâ, si vir sit prodigus, quia
is tunc facit uxori injuriam, partem ipsius
profundendo; vel pro victu, vestibus, ceterisque
sibi vel familiæ necessariis, quæ mariti sæpe
non intelligunt, & frustra ab illis peterentur.
Bonac. Trull. num. 17.

VI. Uxor, si ejus pater, mater, vel proles ex alio
Matrimonio sit pauper, ita ut miserè secundum
statum suum vivat, & maritus iis nolit succurrere,
potest ex bonis suis propriis, vel etiam ex com-
munibus, (dummodo post mortem viri omnia
computet in sua parte) eis subvenire, quia

20 Jure Naturæ tenetur eos alere, & maritus in id
 21 consentire. *Navar. Palaus, Lefs. D. 34. Dian. P. 5. T. 3.*
 22 R. 34. ubi illam potestatem extendit ad fratres
 23 & sorores; quod etiam *Lefs. loc. cit. & Trull. n. 18.*
 24 judicant probabile.

25 VII. Filius peccat graviter, invitis Parentibus
 26 notabilem Summam accipiens, qualis non semper
 27 est, secundum *Lefs. D. 13.* si filius patri prædiviti
 28 duos vel tres, imò secundum *Sanch.* quinque vel
 29 sex aureos furetur; eò quòd Parens fit minus
 30 invitus, & filius sit aliquid patris: unde non tene-
 31 bitur ad restitutionem, nisi fortè cohæredibus
 32 graviter noceat.

33 VIII. Si filius notabilem Summam expendat
 34 in res turpes, aut vanas, contra voluntatem
 35 Parentum, ex pecunia sibi suppeditata ad usus
 36 honestos, putat *Lefs. num. 77.* eum peccare morta-
 37 liter; etsi excuset à restitutione, si pater rogatus
 38 facile condonaturus putetur.

39 IX. Si filius, v.g. mercatoris, vel cauponis
 40 administret bona Parentis, potest à patre exigere
 41 salarium, quantum dare deberet extraneo, &
 42 si id impetrare non possit, vel exigere non auit,
 43 potest clam accipere. Ita probabiliter. *Laym. L. 3.*
 44 *Sect. 5. T. 4. c. 8. Dian. P. 4. T. 4. R. 66.*

45 X. Etsi famuli in esculentis, & poculentis,
 46 quæ domo exportant, aut divendunt, graviter
 47 peccent; quæ tamen ipsi domi consumunt, in his
 48 facilius (uti & Religiosi) excusantur; cum in his
 49 Dominus, aut Prælati sæpe tantum sit invitus
 50 quoad modum accipiendi clam, non quoad rem:
 51 Quod tamen timeri posset, si magis extra-ordi-
 52 naria acciperentur. *Laym. Escob. & Lefs. num. 48.*
 53 ubi docet, quòd furta minima famulorum
 54 ex comestibilibus, quæ claudi non solent

non

non coalescant, si non ad vendendum, sed ad comedendum tantum accipiantur.

XI. Cum à gravi peccato furtum domesticum non potest excusari, tunc uxor tenetur restituere ex paraphernis, filius ex castrensis, vel quasi; vel si ea non habet, post mortem patris afferre in divisionem hæreditatis, (si quantitas rei ablatæ sit valde magna, nec pater restitutionem tacite vel expresse dimiserit) Famuli verò, si sine magna difficultate restituere non possint, jubeantur compensare officiis, & obsequiis extraordinariis, quantum possunt. *Laym. Lib. 3. Tract. 3. P. I. C. I. N. 5.*

A D D E N D A.

Q. 216. *Quid præterea notandum sit circa furta domesti-* 1015
corum. R. Seqq. §. I. Dominus est minus invitus,
si uxor, quàm si filii aliquid ipso inscio accipiant; si filii, quàm si Propinqui; si Propinqui in familia sua habitantes, quàm si famuli; si famuli, quàm si extranei: ubi autem est minus invitus, major quantitas requiritur, ut sit mortale, pro qua quantitate non potest una certa regula poni, rectè enim notat *Lugo D. 16. Num. 64.* considerari debere, an sit pecunia, an esculenta; an multum simul eripiatur, an parum & successive; an ad proprios usus, an ad vendendum vel ad dandum aliis; an herus habeat multas, an paucas proles; an sit pauper vel dives, an liberalis sit vel parcus; an bene an malè affectus erga furantem; an furans sit ei valde utilis vel de cetero piger &c. Et ex his judicari debet, quantum herus censeatur graviter invitus quoad substantiam.

§. 2. Exigua furta esculentorum, quæ successive 1016
committuntur à domesticis, non continuari in ordine ad constituendam materiam gravem, docent

docent *Cajet. Navar. Bann. Sayr. Less. Regin. Sanch. Moya* T. 6. D. 4. Q. 4. N. 14. *Dian. P. 1. T. 6. R. 34.* Limitat cum aliis *Amicus de Peccat. D. 23. N. 236,* nisi accipiant, ut vendant aut donent aliis, tum enim Domini censentur esse magis rationaliter inviti: sed neque sic admittit *Sporer T. 5. c. 5. N. 58.* dicens præsumendum esse, quod Dominus etiam quoad substantiam sit invitus, quis enim dicat, si famulus per annum è cella vinaria accepisset mediam amam, aut servus pistoris similagines pro sex Imperialibus, Dominum tantum quoad modum fore invitum?

1017 Q. 217. *Quanam dicantur bona conjugum dotalia, paraphernalia, anti-phernalia, propria, communia; & quid circa ea possint maritus & uxor. R.*

§. 1. *Bona dotalia* dicuntur, quæ uxor affert marito ad sustinenda onera Matrimonii; & horum quidem dominium habet uxor, teneturque maritus ea ipsi servare, ac poterit post mortem mariti uxor de eis disponere; sed usum fructum & administrationem totam habet maritus. Putant quidem aliqui probabiliter uxorem posse de eis disponere pro tempore solvendi Matrimonii, quia hoc non videtur præjudicare marito, sed etiam probabiliter contradicit *Castrop. de Justit. D. 9. P. 19. §. 3. N. 1,* quia ipsamet illa obligatio perseverandi in contractu præjudicat marito, in cuius favorem adhuc potuisset disponere uxor, hinc *D. 2. P. 18.* docet, ubi uxores prohibentur contrahere, etiam prohiberi donare, non tantum inter vivos, sed nequidem mortis causâ.

1018 §. 2. *Bona paraphernalia* seu præter-dotalia sunt, quæ uxor præterea affert; item quæ ipsa acquirit per industriam aut per laborem, ultra eum, quem familiæ debet; vel quæ ipsi donantur vel legantur,
aut

aut alio modo adveniunt citra mariti cooperatio-
nem ; item quæ à marito illi dantur tam
quoad Jus, quàm quoad usum ; & horum habet
uxor de Jure communi plenum dominium &
administrationem ; quibusdam tamen locis aliter
statuitur, maximè si non attulit dotem, uti notant
Gob. in Quin. T. 5. c. 24. n. 26. & Stephan. T. 3. D. 3. N. 20.

§. 3. *Bona anti phernalia seu contra-dotalia* sunt, 1019
quæ maritus assignat uxori in compensationem
reciprocam dotis , & horum dominium etiam
quoad usum fructum est penes maritum.

§. 4. *Bona propria mariti* sunt omnia, quæ is possi- 1020
det, exceptâ dote, & quibusdam in locis parapher-
nalibus uxoris : *propria uxoris quoad Jus* est dos ;
quoad Jus & usum sunt, plerisque in locis, para-
phernalia. *Communia* sunt, quæ durante Matrimo-
nio accedunt ex communibus bonis, dicunturque
superlucrata , quorum medietas , quoad Jus,
ad maritum , & medietas ad uxorem spectat,
quoad usum autem & administrationem omnia
spectant ad maritum tantum. Putant autem
multi Juristæ illa omnia esse communia , quæ
conjuges in Matrimonio lucrantur , etiam
proprio labore ordinario, emptione, venditione,
mutuo, censu seu ex redditibus, quia conjuges
habent communionem inter se & quasi contractum
societatis, ideòque multi dicunt mortaliter peccare
maritum & teneri ad restitutionem, si potu aut
aliter talia dilapidet : è contra *Gobat & alii* dicunt
illa esse propria mariti, uti illa sunt propria uxoris,
quæ ipsa per propriam industriam, aut ex censu
paraphernaliam lucratur : sed in hoc spectanda
sunt Jura specialia locorum, & interrogandi sunt
viri prudentes : saltem consuetudo non habet,

ut maritus restituat, si aliquid dilapidet vel lusu immodico perdat.

1021 §. 5. Si maritus nolit impendere sumptus necessarios ad medicinas pro se vel pro familia, potest uxor eos è bonis communibus accipere, quia quando maritus ostendit se irrationabiliter invitum, ipsa licitè administrationem suscipit, *Cón. Gobat* n. 35. & 37; hinc universaliter potest uxor etiam renuente marito ex bonis communibus expendere ea, quæ necessaria sunt ad impediendum damnum familiæ, prout fecit *Abigail I. Regum* 25. Similiter si pater filio ad bellum vel ad studia misso non suppeditet necessaria secundum statum, posse matrem mittere, docet *Lug. de Just. D. 16. N. 68.* cum aliis: dicunt etiam aliqui licitum esse uxori facere extra-ordinarias eleemosynas pro mariti conversione vel salute, uti potest procurare medicinas, utiliter gerendo negotium illius, negat tamen hoc cum aliis *Gobat*, quia uxoris non est gerere negotium mariti in re, cujus eventus est ita incertus & impediri potest vel obtineri solâ voluntate ipsiusmet mariti; quidquid sit de hoc, videtur esse licitum uxori curare legi quandoque *Misfam*, constituere peregrinationem & similia pro bono spirituali mariti vel familiæ, hæc enim non videntur extra-ordinaria, si non sæpe nimis fiant: hinc universaliter dicit *Lugo num. 69.* esse satis probabile, quod possit ad eum finem facere eleemosynas moderatas juxta conditionem & statum, secundum Christianam prudentiam: quod autem *Busenbaum* adducit ex aliis apud *Lugo num. 64.* posse uxorem inscio marito in eleemosynas vel in munera dare vigesimam partem reddituum annuorum, meritò sic universaliter dictum improbant *Lugo, Sporer*

Sperer num. 52. *Tambur.* Lib. 8. T. 2. c. 3. N. 2. Similiter non est licitum uxori facere extra-ordinarias eleemosynas, si maritus discessurus domo ei præscripserit certam quantitatem, uti enim potuisset totam administrationem domus committere alteri, ita debet uxor administrare omnia, prout maritus sciens prudens jusserit, *Gobat* n. 39. Quòd si maritus positivè prohibeat uxori, ne quidquam accipiat vel expendat, etiam in eleemosynas, *Turrian.* putat uxorem nil posse, quia maritus utitur Jure suo, & favent *S. Antonin.* & *Navar.* apud *Lugo* num. 65, quia *S. Aug.* relatus *Cap. Quod Deo, 33. Quæst. 5.* ait: *Nihil de tua veste, nihil de tuo auro vel argento vel quacunque pecunia aut rebus ullis terrenis tuis sine arbitrio viri facere debuisti.* E contra *Mol. Less.* *Regin. Bonac. Cõn.* aliique cum *Diana* P. 2. T. 1. R. 33. dicunt nihilominus posse pro more aliarum mulierum similium, quia ista pertinent ad competentem & decentem sustentationem, ad quam Jus habet; *S. Augustinus* autem loquitur de profusa eleemosyna, uti constat ex contextu.

§. 6. Si uxor marito absente vel fatuo administret 1022 bona, putat *Navar.* non posse plus impendere, nisi quantum maritus præsens vel suū compos expenderet; è contra *Molin. Less.* aliique cum *Lugo* n. 70. dicunt non teneri se ad hoc alligare, sed posse agere, prout judicabit juxta regulas prudentis administrationis, quæ ad ipsam nunc spectat: Si tamen maritus non sit ita fatuus, ut indigeat curatore, quamvis imprudenter res suas gerat, non ideo est licitum uxori in administrationem involare, potest tamen coadministrare, quantum necesse erit, *Gobat* n. 40. Quòd si maritus bona communia ita dilapidet,

ut

ut periculum sit, ne familia egeat, potest uxor clam ea tenere, quæ judicat fore in posterum necessaria sibi & familiæ, *Navar. Mol. aliique cum Lugo n. 67. & Gobat num. 41.*

1023 §. 7. Uxor non peccat, quando accipit ea, quæ maritus certò & facillè concederet, si rogaretur, communiter enim est justa causa non petendi, ne se velut ancillam ostendat, ita cum aliis *Gobat num. 33. & 46.* Non est tamen licitum uxori, si maritus repugnet, expendere aliquid cum animo illud computandi in partem sibi obventuram post Matrimonium dissolutum, quia non habet administrationem bonorum, & injustè privaret maritum saltem usu illorum, *Mol. Lugo n. 66.*

1024 §. 8. Si maritus aliqua assignaverit uxori pro vestitu vel sustentatione familiæ ad certum tempus, & ipsa honestè vestiverit ac sustentaverit familiam, potest liberè disponere de superfluo, quia est veluti fructus industriæ, *Palud. Navar. Less. Bonac. Molin. D. 234. in fine, Dicast. de Justit. L. 2. T. 2. D. 9. N. 205. Gobat num. 47.*

1025 §. 9. Potest ista facere uxor, non tantùm quando non attulit dotem, sed etiam quando necdum sunt bona communia, quia cum maritus teneatur alere uxorem & familiam, peti possunt ista ex propriis ejus bonis. *Nec refert, quòd fortè habeat uxor bona propria, quia hæc non tenetur expendere, nisi fortè alendi essent uxoris ipsius Parentes vel proles ex alio patre, vel fratres aut sorores, tum enim, si haberet, teneretur priùs ex propriis, Bonac. aliique cum Gobat. n. 51.* Advertit tamen *Lugo n. 72.* posse uxorem congregare eleemosynas, quas dare posset externis, & eas tradere illis suis. Denique rectè monet *Gobat* non semper expedire hæc dici uxoribus, ne abutantur, sed potius consu-

consulendum, ut pro meliore concordia faciant omnia marito conscio & consentiente.

Circa relata hactenus bona conjugum eorumque dominium & administrationem, videri possunt allegatæ Leges aliæque plura apud *Illsung* T. 4. D.2.Q.3.Art.4.

Q. 218. *Quenam dicantur bona filiorum-familiæ, 1026*
castrensiæ, quasi castrensiæ, adventitiæ, profectitiæ; &
quid circa ea possint tales filii. R. Præmittenda sunt aliqua cum *Illsung* Artic.2, ubi fusè proponit, quæ dicemus, ac firmat adductis Legibus.

§.1. Filius-familiæ (idem est de filia-familiæ) est filius naturalis vel adoptivus sub patria potestate constitutus, quacunque in ætate versetur: septem verò ætates distinguunt Juristæ, & sunt, *infantia* usque ad annum septimum inclusivè; *pupillaris ætas* seu *impubertas*, usque ad decimum quartum in masculis, & usque ad duodecimum in femellis; *pubertas*, usque ad decimum octavum; *plena pubertas* seu *adolescencia*, usque ad vigesimum quintum; *Juventus* seu *virilis ætas*, sic denominata à robore seu à viribus, extenditur usque ad sexagesimum; *senectus* usque ad octogesimum; *decrepita ætas* seu *senium* usque ad centesimum. Vide P.2.N.667.

§. 2. Aliquis constituitur in patria potestate, 1027
vel per procreationem ex Matrimonio legitimo saltem existimato ab alterutro conjugum, vel per legitimationem prolis, quæ fit, aut subsequente Matrimonio aut Rescripto Principis, vel per adoptionem hominis liberi, de quibus omnibus *Illsung* referens etiam effectus patriæ potestatis ac modos, quibus finitur.

§. 3. *Bona castrensiæ* dicuntur, quæ filius 1028
acquirat tanquam miles, vel occasione belli;
militis

militēs autem etiam hīc dicuntur nautæ & Remiges in destinatis ad pugnam navibus ; item castrense bonum censeatur , quod filius lucratur ex peculio castrensi vel in famulatu Regis : & horum plenum dominium administrationemque habet filius, si sit Pubes.

1029 §. 4. *Bona quasi castrensia* sunt, quæ ex dispositione Juris habentur quasi essent castrensia, & sunt, quæ filius acquirit ex Artium Liberalium professione, publico munere, beneficio Ecclesiastico, ex officio Magistri, Doctoris, Judicis, Prætoris, Advocati, Medici &c, hi enim publicæ utilitati serviunt : item ex functione Sacerdotii vel Clericatus : denique quod ex propria parcimonia vel à liberalitate Regis consequitur, & horum etiam dominium ac administrationem habet, si sit pubes.

1030 §. 5. *Bona adventitia* sunt, quæ neque sunt castrensia, nec quasi castrensia, & filio adhuc sub patria potestate constituto obveniunt aliunde, quàm à patre, vel aliter, quàm ejus intuitu, uti sunt bona, quæ privatim acquirit per artes mechanicas, per hæreditatem ex linea materna, per donationem vel fortunam; & horum dominium directum habet filius, adeoque mortuo patre illi soli competunt ; dominium autem utile sive usus-fructus de Jure competit patri ; quandoque tamen habet filius patre permittente & saltem tacitè consentiente, aut si eximatur à patria potestate, aut uxorem ducat , aut etiam in quibusdam aliis casibus à Jure expressis apud *Lugo D. 5. Num. 23.* Quod si res sit usu consumptibilis , uti pecunia, frumentum, & pater eis utatur, tenebitur filio in æquivalenti restituere, quia hic filius erat eorum dominus proprietarius: non poterat tamen

invise

invito patre de his testari, nequidem ad causas pias,
Mol. T. 2. D. 138. N. 9.

§. 6. *Bona profectitia* sunt, quæ nec sunt castrensia, 1031
nec quasi castrensia, & proveniunt à patre vel
ejus intuitu donantur filio adhuc sub patria
potestate constituto, & horum dominium
tam directum quàm utile manet apud patrem,
quo mortuo dividantur inter fratres. Quod
si donentur occasione quidem aliquâ patris,
attamen principaliter ex affectu erga filium ipsum,
sunt adventitia, uti rectè *Lugo* num. 37. Præterea
si à patre donentur filio in patrimonium, item
ut Ordines suscipiat &c. dominium & fructus
spectant ad filium; denique si dubitetur, an filius
acquirat ex se an ex gratia patris, adeoque an sit
bonum adventitium an profectitium, si filius
de se sit industrius, judicari debet adventitium;
si tamen omnibus expensis adhuc maneat dubium,
deferendum est possessioni, & si filius possideat,
judicari debet adventitium; si pater possideat,
profectitium; si neuter possideat, dividendum erit,
quia res tradenda est juxta Jus, quod quisvis habet,
ergo cum pater & filius sub dubio Jus habeant,
debent rem participare pro qualitate dubii, ita
Tamb. L. 1. c. 3. v. *Peculium*.

Q. 219. *Quid addendum sit circa furta filiorum.* 1032
R. Hæc pauca: §. 1. *Bann.* dixit ad furtum grave filii
Parentis prædivitis requiri saltem quinquaginta
aureos, quod *Lugo* D. 16. Num. 76. meritò rejicit,
nisi fortè esset filius Principis. *Salas* dixit, si filius
sit unicus, & Parens habeat annuè mille quin-
gentos aureos, requiri viginti vel triginta in anno
ad furtum grave filii, quod *Lugo* non improbat,
si Parens non sit tenax, & filius jam adoleverit,
simulque

simúlque furetur ad usus honestos. *Lesius* dicit duos vel tres aureos non sufficere respectu Parentis prædivitis, sufficere autem respectu mechanici, quod etiam non improbat *Lugo. Cenedo* apud *Tamb. L. 8. T. 2. c. 3. N. 3.* dicit non fore mortale, si filius intra annum non furetur ultra sedecim solidos Hollandicos. *Fagund.* si non ultra quatuor vel quinque, sed (ut etiam ex his sententiis patet) non potest generalis regula statui, verùm judicandum est consideratis circumstantiis *num. 1015.* relatis. Notant etiam *Navar. Sot. Laym. & alii*, si Parens filio in studiis versanti mittat, v. g. annuè centum aureos, contentum esse, ut quinque insumat in honestas recreationes aut eleemosynas, secundùm consuetudinem aliorum, qui sunt similis status & conditionis.

203 §. 2. Si filius clam accipiat à patre, quem rationaliter præsumit non negaturum, dicunt *Villalob. & Alloz. v. Furtum. Num. 8.* non peccare mortaliter, quando nempe satis est certus fore contentum, si peteret; tamen peccat venialiter, saltem, quia pater non est contentus quoad illum modum, nec ipse habebit facile causam à petendo excusantem. Addit rectè *Lesius L. 2. c. 12. n. 50.* si eripiat ad ludos vetitos, comotationes vel luxus, ad quos nullo modo concessisset pater, esse verum furtum: an autem talis filius ad restitutionem obligandus sit, debet conjici ex facultatibus & voluntate præsumpta patris, quæ colligetur ex liberalitate ejus affectuque erga filium, aut è contrà ex tenacitate & severitate; nam si credatur non condonaturus, si sciret, erit obligatio restituendi, vel si jam fieri non possit, suo tempore compensandi fratribus; si verò pater & fratres resciant, nec petant satisfactionem, censentur condonare, *Burgh. Cent. 2. Cas. 36.*

possit, suo tempore compensandi fratribus, si autem pater & fratres resciant, nec petant satisfactionem, censentur condonare, *Burgh. Cent. 2. cas. 36.*

Q. 220. An filio in domo paterna laboranti, 1034
debeat salarium; & possit sibi illud occultè compensare, si negetur, vel si pudeat petere. R.

§. I. Salarium deberi putant (*Nav. Lop. Ang. Gomez, Less. n. 81. Dicast. lib. 2. t. 2. d. 9. n. 187. Burgh. cas. 80. Petsch. q. 6. art. 2. aliique apud Lugo d. 5. n. 42., idem dicunt Escob. & Corr. apud Moyam. t. 6. d. 4. q. 1., qui n. 6. vocat sententiam probabilissimam: Dian. p. 4. t. 4. R. 66. vocat tutam: Rationem dant, quia talis filius est veluti socius negotiationis, neque debet esse deterioris conditionis, quàm famulus vel extraneus, qui cum hero lucraretur junctâ industriâ; quod magis valet, si filius sit emancipatus, aut illegitimus, uti notat Sanch. in Conf. lib. 1. c. 2. d. 8., qui non sunt potestati patriæ; item si filius serviat matri, quia filius non est in matris potestate. Oppositam sententiam tenent *Silv. Molin. Laym.* aliique pluri, quos citat & sequitur *Moya*, suntque rationes graves, nam 1. Non est consuetudo, ut talis filius salarium exigat, inquit rectè *Laym.* 2. Quid magis rationi congruum est, inquit *Lugo*, quàm ut filius agricolæ juvet patrem in agricultura, filius mercatoris in mercatura? præsertim cum sic addiscant illas artes, inquit rectè *Mol.*, addens non facile fore tam audacem filium, qui ideo petat salarium. 3. Si salarium petat, pater justè subtrahit victum & vestitum, non enim tenetur hoc dare filio potenti ea lucrari, uti ex communi *Laym. lib. 3. t. 4. c. 8. n. 5.,* ergo salarium compensatur per sustentationem. 4. Si filius petivisset salarium, pater potuisset eum repellere, vel accipere ejus loco*

R. r

alium,

alium, qui gratis, aut viliori pretio, aut melius servivisset, ergo cum non contraxerit cum filio, non tenebitur ei dare salarium. Quod *Conf.*, quia quando praesens est ille, cujus negotium geritur, gestor negotii non potest petere salarium, de quo mentionem non fecit, inquit recte *Molina* t. 2. d. 234., quia non petens censetur remittere. §. Jura apud *Sanch.* dicunt filium debere patri operas industriales: similia Jura apud *Sanch.* dub. 9. & apud *Laym.* n. 12. absolute statuunt hoc acquiri patri, quod filius lucratur ex bonis Paternis, estque hoc in communi utile filiis, maxime ut vitentur lites, quisque enim posset dicere se hoc, alter se illud praestitisse etiam pretio aestimabile, ergo jura recte statuerunt, ut omnia lucra essent Patris, postea inter filios aequaliter dividenda. Haec secunda sententia est longe probabilior.

1035 §. II. Quamvis daremus primam sententiam probabiliorum esse, attamen adhuc absolute tenendum esset, si a patre negaretur salarium, vel filium puderet petere, non fore licitum filio occulte sibi illud compensare: Ratio est, quia occulta compensatio non est licita, nisi ubi jus est certum, uti dictum est n. 962., Jus autem filii non est hic certum, uti patet ex dictis, quia secunda sententia est saltem probabilis, ergo.

1036 §. III. Notat *Laym.* n. 6. ad id saltem Confessario servare sententiam oppositam, ut si ejusmodi filius bona fide talem compensationem fecerit, mitius cum illo agat, & non statim obliget ad restitutionem exactam ejus, quod respondet tali industriae: sed contra est, quia quamvis possit talis filius per bonam fidem a peccato fuisse excusatus, tamen non ideo excusatur a restitutione ex re accepta, ob rationem ante datam.

Q. 221. Quid circa famulos sit addendum. R. 1037

Hæc pauca:

§. I. Si famulus peractis operis à domino præceptis extraordinario labore lucretur aliquid, potest sibi retinere, ita *Mol. Fag. Nav. Burghab. cent. 2. cas. 50.*: Ratio est, quia est capax dominii, & vñ contractus tenetur tantum ad operam à domino præscriptam: Quod etiam aliquo modo dici potest de mancipiis, quia possunt etiam habere aliqua jura contra dominum, uti cum aliis *Molin.*, potestque videri *Ill. t. 4. d. 2. q. 3. a. 3.*

§. II. Famuli, secundum *S. Thom. Ar. Fill. Cõn. 1038* *Turr. Burgh. cent. 3. cas. 92.* & alios, licitè è rebus domini aliquid erogant, 1. In extrema necessitate proximi. 2. De rebus sibi designatis ad victum, si paucioribus contenti sufficiant ad labores. 3. Si detur modicum, non admodum frequenter. 4. Si adsit consensus saltem interpretativus aut prudenter præsumatur rati habitio; quod tum est, si ipsis commissa sit administratio. 5. Quando dominus non potest esse rationabiliter invitus, de quo sint satis certi, uti si res alioquin malè periret. Quoad hæc tamen potius restringenda est quàm laxanda famulorum libertas, cum alioqui sæpe excedant.

Q. 222. Quid liceat illi, cui committitur, ut 1039
emat, vendat, solvat, negotietur pro altero. R. In his procedi debet secundum voluntatem committentis, de qua præsumi debet secundum consuetudinem, & consideratis circumstantiis rerum ac personarum: in dubio autem de intentione committentis, videtur præsumi posse secundum sequentia.

§. I. Si tibi committatur, ut alteri emas triticum, 1040
vel indeterminatè justo pretio, vel determinatè maldrum tribus aureis, tu verò industrius, emas duobus & medio, non poteris hunc medium aureum

Rr 2

retine-

retinere, quia emptionem fecisti nomine alterius, qui ex iustitia nihil debet illi tuæ industriæ, quam non conduxit, sed tu liberè posuisti, *Hann.* de just. t. 10. n. 683. *Sporer* t. 6. c. 5. n. 39. Si tamen fecisti expensas, ut minoris emereres vel pluris venderes, v. g. si ideo iveris ad remotam urbem, poteris tibi hoc compensare ex lucro, certò enim præsumitur esse talis consensus domini, quando sic procuratur lucrum, uti notat *Tamb.* l. 8. t. 3. c. 7. §. 9. n. 10. Imò *Lugo* de just. d. 26. n. 153. putat id semper præsumi posse, si vendideris cum lucro supra pretium assignatum, nec tibi pretium laboris decernatur, tu autem adhibueris extraordinariam diligentiam: sed imprimis rectè excipiunt *Tamb.* n. 6. & *Sporer* n. 37., nisi committens putarit te gratis facturum, aut ab alio sine pretio faciendum fuisset: deinde diligentiam illam liberè posuisti, ergo non potes tibi pro libitu mercedem attribuere, sed vel pete mercedem illam, vel expecta gratitudinem.

1041 §. II. Si tibi committatur venditio equi pro 50. aureis, & vendas pro 52., non poteris hos duos retinere, quia pretium est tibi determinatum, ne venderes infra, non autem ut non venderes supra, nisi aliud colligeretur ex verbis vel circumstantiis, *Hann.* supra, *Illf.* t. 4. d. 2. n. 404. E contra si dominus voluerit equum jam vendi pro 50., jam autem non possis vendere carius, sed speres te postea posse, licitè emes illum tibi pro 50., ut postea vendas quanti poteris, & hoc, quod erit supra 50., erit tuum, *Lugo* n. 150. *Spor.* n. 39.; Signum autem, quòd tibi emas, est, si in te suscipias periculum aliaque onera, quæ sequuntur dominium equi, ita ut si pereat, velis illum perire tibi, &c. *Lug.* n. 152.

1042 §. III. Si Titius à te petiit, ut emas ipsi equum ad summum pro 50., & tu casu invenias equum pro

45., eumque bonâ fide tibi prius emas, quærasque etiam venalem pro Titio, & postea non inveniens alium, hunc illi revendas pro 50., excusant te *Lugo* n. 151., & *Spor.* suprâ, saltem si non eras famulus nec conductus, sed gratuitò acceptâras commissiõnem, quia non tenebaris propter alterum negligere illam occasionem emendi tam parvo pretio equum casu oblatum: si autem eras famulus vel mercede ad hoc conductus, meritò non excusant te *Sporer*, *Less.* in auct. v. *Restitutio* cas. 8. & 9. *Tamb.* n. 8., quia tum obligaberis primam emptionem facere pro Titio.

§. IV. Si missus ad emendum, merceris rigidè, & quod de pretio communi detrahis, tibi retineas, facis injuriam, quia cum nomine committentis merceris & emas, quod detrahis, manet ipsi: excusatur tamen ancilla, si hoc, quod semel de pretio detrahit, conservet, ut aliâ vice, quando carius cogetur emere, per hoc suppleat, si soleat ab hera reprehendi, eò quòd justo carius emat, hanc enim reprehensionem injustam subire non tenetur, neque hera potest esse rationabiliter invita circa eam retentionem, cum totum illud residuum postea in ejus commodum impendatur.

§. V. Quamvis vendentes sartoribus remittant aliquid de pretio, possintque sartores aliquando aliquid inde retinere, uti habet *Busenb.* p. 2. n. 927. referendus, tamen si sartores illi poterant minori pretio alibi emere, injuriam faciunt, uti rectè *Molin.* *Lugo* n. 153. *Spor.* suprâ, & *Illf.*

§. VI. Si dominus commiserit famulo 100. aureos, ut his debitum solvat creditori, & hos aureos commutet famulus cum lucro, sicque per aliam monetam satisfaciat creditori, communiter nulla fit injuria, sed hoc lucrum est famuli, quia est fructus industriæ, qui non acquiritur alteri, *Molin* *Ragin.*

Rebel. Lugo d. 28. à n. 24. Less. l. 2. c. 23. n. 18. Laym³ l. 3. t. 4. c. 19. n. 5. Sporer t. 6. c. 6. n. 46. Dabuntur tamen aliquæ limitationes p. 2. n. 1036. Ex eadem ratione docent *Beja p. 1. cas. 42. Diana* aliique cum *Lugo* suprâ, thesaurarium vel quæstorem, si domino incio negotietur cum ejus pecunia, posse sibi retinere lucrum, si id faciat sine præjudicio & periculo domini, quia cum pecunia de se non sit fructifera, fructus ex ea censetur esse industriæ.

046

§. VII. Si Titius numeravit Cajo 100. aureos dandos Officiali bellico pro redimendo incendio suæ domûs, Titius autem Officiali gratus id sine pecunia exoret, non potest hos 100. aureos sibi retinere nisi aliunde constaret Titium hos obtulisse ad averendum quocunque tandem modo incendium: ratio est, quia Titius præsumitur numerasse illos aureos, quod putaret non esse alium modum placandi Officialem, quem si credidisset solis verbis posse molliri, petivisset interpellationem Caji, tumque contraxisset de pretio pro opera illa, aut postea, si voluisset, ex gratitudine donasset.

047

§. VIII. Si Factor Mercatoris Amstelodamensis existens Coloniae transigat cum Gabellariis, ut omnes merces sui Principalis sint liberæ pro integro anno, v. g. pretio 30. dalerorum, cum tamen gabellæ, si singulatim solvi debuissent, excurrissent ad 50., si hic Factor habuit commissionem, ut sic contraheret, patet facere injuriam retinendo sibi hoc lucrum, quia contraxit nomine Principalis; si autem commissionem non habuit, *Less. l. 2. c. 33. d. 11. Dicast. l. 2. t. 10. d. 3. dub. 11.* dicunt lucrum esse ipsius, quia nomine suo emit jus gabellarii ad exigendas pro singulis vicibus gabellas: limitat rectè *Lugo d. 36. n. 50.*, nisi mercatores alii soleant communiter ita transigere cum gabellariis, tum enim etiam ad

ad hoc tenebitur Factor nomine sui Principalis, quia censetur se obligasse ad industriam ab aliis communiter adhiberi solitam.

Ex dictis solvitur hic Casus. Cajus Titii Quæstor, prævidens certò futurum, ut Titius redimat censum millenorum, quem debet Sempronio, ex se obnunciat Sempronio, uno anno antequam id mandet aut resciat Titius, qui postmodum per Cajum reddit Sempronio millenos, & adjicit hujus ultimi anni pensionem; hanc autem sibi retinet Cajus. *Quæritur* an justè. Videtur, quòd justè, quia est fructus industriæ Caji: sicuti si pecuniam Titii exposuisset ad ludum, lucrum fuisset ipsius. *Respondi*, non justè, quia fructus ille provenit ex obnunciatione temporè facta, sed hæc facta est nomine Titii, si enim non processisset ex præsumpta voluntate Titii, fuisset invalida, cum Cajus non haberet disponere de re sua, adeoque Sempronio adhuc deberetur illa pensio, ergo fructus ille provenit ex actione, moraliter Titii, ergo fructus est Titii, qui solas gratias debet Cajo, quia rem ejus benegeffit. Simile est, si quis mandaret Procuratori suo millenos poni ad censum A pro 40. annuis, & Procurator posuisset ad censum B. pro 50. annuis, utique Procurator non posset hos decem annuos sibi retinere, quia censum B. celebrasset nomine & pecuniâ mandantis, ergo fructus totus esset Mandantis. Aliud simile est in ancilla, uti n. 1043. dictum est. De ludo, disparitas est manifesta, nam hunc contractum Cajus suo, non Titii nomine, celebrat.

INDEX RERUM.

Quæ in Libri III. Parte I. continentur.

Numeri hic, sunt marginales.

A *Bortus* procuratio. n. 822. à n. 823.

Adulterium. n. 915. 916.

Ancilla. v. *Famulus.*

Aspectus turpes. v. *Luxuria.*

Bellum, an & quando liceat. n. 867. à n. 868. Quando peccent Officiales, Commissarii, milites. n. 867. à n. 875. n. 880. Quid liceat in bello justo. n. 880. Cujus sit, quod hosti eripitur. n. 880. Si munitio ædificetur, quis ferat damnum fundi. n. 882. Quibus liceat pabulatio. n. 883. Castrenses Missionarii. n. 884. Si urbs detur direptioni & ferro, an occidi possint innocentes. n. 885. An expulsi ex urbe obsessa, permitti debeant transire castra. n. 885.

Bestialitas. n. 918.

Blasphemia. n. 246. Enunciare Sanguinem Christi, Sacramenta &c. à n. 247. Effutiens verba blasphema: Utens verbis Scripturæ ad profana. à n. 250. Immutans verba, ne blasphemet. n. 252. Dicens se ad DEI gloriam potaturum. n. 253. Esse stultum, licet DEUM haberet Patrem. n. 254. Carentem usu rationis inducere ad blasphemiam. n. 255.

Bona Conjugum dotalia, paraphernalia &c. à n. 1017. Filiorum Castrensia &c. à n. 1026.

Castitatis votum. n. 481. à n. 556.

Chorea. n. 887.

Commissarii bellici. v. *Bellum.*

Commissio emendi, solvendi &c. pro altero. à n. 1039.

Commutatio voti. n. 506. à n. 507.

Comædia turpes. n. 887.

Com.

R E R U M.

- Compensatio occulta.* à n. 959.
Complementa, an mendacia. n. 302.
Concio, an audienda in parochia. n. 607. An habenda ab ipsomet parochio. à n. 763.
Confessarius divinatoris, magi &c. n. 41.
Conjugum bona. à n. 1017. Furta. n. 1014. Obligationes mutuz, n. 708. Alimentatio conjugis post divortium. à n. 709. Quid debeat adulteræ. à n. 714. Cui Conjux teneatur primò subvenire. à n. 719. Quis viro teneatur primò subvenire. à n. 731. An marito liceat percutere uxorem. n. 734.
Copulam abrumpere cum dispersione feminis. n. 928.
Cultus imaginum & rerum sacrarum. à n. 15. Beatorum. à n. 18.
Curator, quid possit & debeat. n. 705.
Delectatio, quid & quotuplex. à n. 889. Speculativa, practica. à n. 895.
Desiderium mortis alienæ, pollutionis in se &c. à n. 932.
Destillatio. n. 920.
Discipulorum obligatio. n. 768.
Dispensatio voti. n. 537. à n. 540.
Disimulatio, an licita. à n. 296.
Divinatio, quid sit & quotuplex. n. 8. à n. 9.
Dominorum obligatio circa famulos. n. 706.
Duellum, an liceat. n. 834. à n. 836. Tacita provocatio. à n. 850. An acceptari possit. n. 835. Concurrens ad illud. à n. 852. Non prohibens. à n. 855. Aspiciens. à n. 859. Quale prohibeatur sub pœnis. à n. 843. Quæ sint pœnæ, & quis incurrat. à n. 847. Privatio sepulturæ. à n. 863. Modus impediendi. n. 866.
Eunuchi, quomodo peccent in materia venerea. n. 908.
Famulus occultè eripiens, quia putat salarium esse

I N D E X

- nimis parvum. n. 706. à n. 971. Laborans per
 actis Domini sui operis. n. 1037. E rebus Do-
 mini faciens eleemosynas. n. 1038. Cui commit-
 titur emere, solvere &c. pro Domino. à n. 1043.
 Quid ei præstare debeat Dominus. n. 706.
- Festa*, an sub mortali observanda. n. 572. Quid
 prohibeatur die festo. n. 573. Quæ opera cen-
 seantur servilia. n. 573. à n. 574. Mandans, ut sex
 famuli per horam laborent. à n. 580. Causæ ex-
 cusantes laborem. n. 583. Dispensatio. n. 584.
 Consuetudo. n. 583. Pietas. n. 586. Chari-
 tas. n. 587. Necessitas. à n. 588. Brevitas tem-
 poris. à n. 594. Quid circa forensia. à n. 596.
 Quid præcipiatur die festo. n. 607. Si partes Mis-
 sæ simul audiantur. à n. 608. Qui ad Missam ob-
 ligentur. à n. 613. Quibus diebus. à n. 618.
 Qualis Missa audienda. à n. 622. Quo tempore.
 à n. 624. Quo loco. à n. 626. Quæ requiratur
 intentio. à n. 631. Quæ præsentia corporalis.
 à n. 639. Qualis assistentia. à n. 646. Qualis at-
 tentio. à n. 650. Omittere partem. à n. 662. An
 audienda in parochia. à n. 672. Quæ excusent.
 à n. 674. Regula generalis pro excusatione. à n.
 675.
- Filiorum* bona. à n. 1026. Furta. n. 1032. Obliga-
 tio erga Parentes. n. 692. 694. Si laborent in
 domo paterna. à n. 1034. Si optent vel gaudeant
 de morte Patris. à n. 693. n. 932. 933.
- Fornicatio*. n. 915. 916.
- Furtum*, quid & quale peccatum. n. 935. Furtum
 & rapina, à n. 936. Quæ sint species furti. n.
 944. Si Dominus videat, vel putetur esse con-
 tentus. à n. 945. Si quis faciat sumptus nimios.
 n. 947. In cujus domo res aliena invenitur. n. 947.
 Eripere in gravi vel extrema necessitate. à n. 948.
- In

R E R U M.

- In necessitate gravi Reip. n. 956. In urgente pri-
vata. n. 957. Occulta compensatio. à n. 959.
Si famulus putet salarium esse nimis parvum. à
n. 971. Quantitas ad mortale furtum. n. 978.
à n. 979. Furans rem gravem, cum animo sta-
tim restituendi, saltem usque ad levem mate-
riam. n. 1002. Gravitas furti sacrilegi. n. 1003.
Furans successivè minuta. n. 1004. à n. 1005.
Multi furantes uni. à n. 1009. Furta domesti-
corum & amicorum. n. 1014. Filiorum. à n.
1032. Si alicui committatur, ut pro alio emat,
solvat &c. à n. 1039. An furtum sit peccatum
sodomiam gravius. n. 919.
- Gaudium* de morte aliena. à n. 693. 932.
- Homicidium* vel mutilatio sui. n. 769. Con-
servatio vel prolongatio vitæ. à n. 770. Occide-
re malefactorem. n. 788. Uxorem in adulterio
deprehensam. à n. 789. Bannitum, grassatorem
&c. à n. 792. Aggressorem. n. 798. à n. 813.
Volentem calumniari, &c. à n. 799. Furem; im-
pedientem in affecutione boni. à n. 806. Inno-
centem. n. 822. Bestiam, cum qua se miscuit
homo. n. 831. Infantem, quem aggressor obji-
cit. n. 832. An in urbem obsessam repelli pos-
sint innocentes. n. 833.
- Hosti*, an servanda fides data. n. 880. 881. An ju-
rari possit fidelitas. n. 269. Hosti crepta bona,
cujus sint. n. 880.
- Idololatria*, quid & quocuplex. n. 14. An sit, in-
terrogare vel credere dæmoni loquenti in obses-
so. à n. 24.
- Imagines*: cultus rerum sacrarum. à n. 15.
- Incestus*. n. 915.
- Irreligiositas*. v. *Religionis virtus*.
- Irritatio voti*. n. 482. à n. 486.

Iura

I N D E X.

Juramentum, quid sit. n. 256. Quot modis fiat n. 257. Quotuplex. à n. 261. Jurans rem malam. n. 265. Impossibilem. n. 266. Probabiliter tantum veram. n. 267. Si falsum juretur per procuratorem. n. 270. Jurans ex consuetudine. à n. 271. An hic liceat æquivocatio. n. 275. Cum restrictione mentali. à n. 283. Sine animo jurandi, implendi, se obligandi. à n. 276. Mercator jurans se non posse tali pretio; &c. n. 301. Obligatio juramenti promissorii. n. 303. Parvitas materiæ in juramento. à n. 304. Juramenta quomodo interpretanda. à n. 307. Illicitum, an obliget. à n. 316. Fictè jurans. n. 321. Jurans contra prius juramentum. à n. 322. Contra finem perfectiorem. n. 324. Jurans non revelare artem. n. 329. Secretum. n. 330. Dare aliquid absenti. à n. 331. Debitori reddere rem mutuatam. n. 333. Redire in carcerem. à n. 334. Non ludere chartis. à n. 452. Non bibere vinum. à n. 459. Obligatio juramenti, an sit personalis. à n. 337. Adjuratus ab alio, an teneatur. n. 346. Quæ excusent ab impletione. n. 347. Conditiones in juramento inclusæ à n. 348. Juramenti irritatio, dispensatio, commutatio, remissio. n. 354. à n. 355.

Luxuria, quid sit. n. 886. An in ea detur parvitas materiæ. à n. 910. Oscula amplexus, tactus, verba, lectio, choreæ, comœdiæ turpes. à n. 887. 898. Motus venerei. n. 893. Delectatio turpis &c. à n. 890. 895. Luxuria consummata naturalis. à n. 915. Innaturalis. à n. 918. Luxuriæ remedia. n. 914.

Magistorum obligatio erga discipulos. n. 768.

Maleficium quid; & quomodo tolli possit. n. 41. à n. 42. Uti effectum maleficium n. 43. Si Medicus sciatur esse magus. n. 44.

Maritus. v. Conjugum &c.

Medi-

R E R U M.

- Medicus*, si sciatur esse magus. n. 44.
Miles. v. *Bellum*.
Missa. v. *Festorum observatio*.
Missionarii castrenses. n. 884.
Mutilare seipsum. n. 769.
Observantia vana. v. *Superstitio*.
Occidere seipsum vel alium. v. *Homicidium*.
Officiales bellici. v. *Bellum*.
Oscula. v. *Luxuria*.
Pabulatio. v. *Bellum*.
Parentes, ad quid teneantur erga filios. n. 695. à
n. 696. Si dubitetur, quis è duobus fit pater. n.
704.
Parochorum obligatio. n. 735. *Residentia*. à n. 736.
Cura per seipsum. à n. 749. *Tempore morbo-*
rum & belli. à n. 754. *Missa pro parochianis*.
n. 762. *Conciones*. à n. 763. *Peccata ratione*
officii. n. 767.
Parvitas materia, in materia simoniae, n. 198. In
materia venerea. à n. 910.
Permutatio simoniaca. v. *Simonia*.
Pœna simoniae. v. *Simonia*.
Pollutio. n. 918. *Ejus malitia*. n. 921. *Procura-*
tio. n. 920. 928. *Permissio*. n. 920. *Quomodo*
cavendæ causæ. n. 920. à n. 922. *Desiderium vel*
gaudium de illa. n. 920. à n. 932. *Pollutio in*
somno. n. 920. à n. 929. *Pollutio inter homi-*
nes ejusdem sexûs. n. 920.
Præcepta Dei, an observari possint. à n. 1.
Præceptorum obligatio erga discipulos. n. 768.
Raptus, causâ libidinis. n. 915.
Religionis virtus, & vitia opposita. n. 6. *Irreli-*
gio & ejus species. *Ante* n. 45. *Religionis vo-*
tum. n. 481. à n. 565.
Resignatio simoniaca. v. *Simonia*.

Restri-

I N D E X

Restriçtio mentalis. à n. 283.
Sacrilegium, quid & quotuplex. à n. 48. Quando
 donam præterea committatur. à n. 49. In ma-
 teria castitatis. n. 915.
Sepultura sacra, an danda occidenti seipsum. n.
 769. An duellanti. à n. 863.
Simonia, quid, quotuplex, quando committatur.
 n. 56. Juris naturalis, ecclesiastici. n. 57. Men-
 talis. à n. 58. Si spirituale fiat propter tempo-
 rale. à n. 60. Confidentialis. à n. 63. Circa Be-
 neficia. à n. 69. 79. Dicere, *confer &c. & ero*
gratus. n. 102. Quid hic veniat nomine Bene-
 ficii. à n. 103. Permutatio Beneficiorum pro-
 pria auctoritate. à n. 109. Permutatio aliarum
 rerum spiritualium. à n. 112. Venditio Bene-
 ficii. à n. 116. Dare spirituale pro temporali,
 an injustitia. à n. 119. An in Beneficiis nil sit
 vendibile. n. 123. Vendere Decimas; fructus
 Beneficiorum. à n. 124. Vendere vel elocare jus
 patronatus. à n. 127. Pecuniam dare patrono
 hæretico. à n. 133. Vexam redimere. à n. 138.
 Emere titulum Ordinationis. à n. 150. Vende-
 re vel elocare res benedictas, consecratas &c. à n.
 152. Accipere pretium pro Sacramento, preci-
 bus, &c. à n. 158. Pro exercitio virtutis, &c.
 à n. 163. Actione jurisdictionis vel functionis
 spiritualis. à n. 165. Omissione aliqua. à n.
 175. Docenda Theologia. à n. 179. Jure se-
 pulturæ in loco sacro. à n. 185. Ingressu Re-
 ligionis. à n. 187. Quid censeri debeat in du-
 bio. à n. 195. An in simonia detur parvitas
 materiæ. n. 198, *Pœna simoniae*. n. 199. An
 incurrantur per simoniam fictam. à n. 200.
 Per mentalem. à n. 202. Per materialem tan-
 tum. à n. 204. Per commissam à tertio. à n.


R E R U M.

206. Per conventionalem necdum completam à n. 212. Per simoniam juris Ecclesiastici tantum. à n. 213. Per actum invalidum. n. 225. Pœnæ simoniæ communis. à n. 214. Confidentialis. à n. 220. An metus excuset à simonia. n. 226. An Papa simoniam, aut pœnas incurrat. n. 227. Quis dispenset in pœnis à n. 228. An Papa suppleat, confirmans electionem. n. 234. Judex, accusator, testis in materia simoniæ. n. 235. An & cui restituendum pretium simoniacum. n. 236. à n. 237.
- Simulatio*, an licita. à n. 296.
- Sodomia*. n. 918. An sit, si mutuo polluant mares vel fœminæ. n. 920. Sitne peccatum furto gravius. n. 919.
- Stuprum*. n. 915.
- Superiorum* obligatio erga subditos. n. 706. Si diffimulent leves defectus. n. 707.
- Superstitio*, quid & quotuplex. n. 7. Regulæ discernendi. n. 28. Exempla. à n. 29. Per submersionem explorare sagam. à n. 37.
- Tactus* turpes. v. *Luxuria*.
- Tentatio Dei*, quid, quotuplex. n. 45. Petere miraculum. n. 46. Offerre se ad martyrium. n. 47.
- Turpiloquia* v. *Luxuria*.
- Tutor*, ad quid teneatur. n. 705.
- Verba obscœna*. v. *Luxuria*.
- Virginitas*, in quo consistat, & quomodo amittatur. n. 917.
- Votum*, quid & quotuplex. n. 360. Propositum firmum, an obliget. 361. Per quid differat à voto. n. 362. Voti deliberatio & intentio. n. 363. An sit votum: *Domine redde sanitatem, & vivam castè*. n. 364. Vovens, non sciens, quid sit vovere. n. 365. Vovens fictè vel inde-

INDEX RERUM.

indeliberatè. à n. 369. Error circa finem voti. n. 363. à n. 371. Ignorantia vel error circa circumstantiam. à n. 377. An requirat plenam libertatem. n. 380. Dubia circa vota. à n. 381. 474. n. 500. Materia voti. n. 399. Si res fit ex parte impossibilis vel inepta. n. 400. Votum nunquam peccandi. à n. 401. Vitandi omnia venialia. n. 403. Confitendi omnia venialia. n. 404. Materia voto apta, vel melior. à n. 405. Vovens illicita, indifferentia &c. à n. 422. Quæ & quanta obligatio voti n. 427. Voti obligatio, an major quàm juramenti. n. 306. An fit personalis. n. 427. à n. 477. Interpretatio obligationis voti, à n. 428. Dilatio voti. n. 446. An violatio voti fit contra iustitiam. n. 447. Si materiæ sint parvæ. à n. 448. An manifestandum votum, ut impleri possit. n. 451. Vovens non amplius ludere chartis. à n. 452. Non bibere vinum. à n. 459. Votum conditionatum. à n. 467. Votum pœnale. à n. 471. Ordo inter debita, vota, legata. n. 479. Quot modis tollatur obligatio voti. n. 480. Incontinens, qui vovit castitatem vel Religionem. n. 481. Voti irritatio. n. 482. à n. 486. Directa. n. 484. Quomodo differat à dispensatione. n. 483. An Superior propria vota. n. 485. Votum non dispensabile nec commutabile, an irritari possit. n. 502. Indirecta. à n. 503. Voti commutatio. n. 506. à n. 507. Votum factum in favorem tertii. à n. 532. Dispensatio voti. n. 537. à n. 540. An Superior potens, teneatur dispensare. à n. 538. Vota reservata. à n. 544. Votum castitatis. à n. 556. Religionis. à n. 565. Trium peregrinationum. n. 570.

Vxor. v. Conjugum &c. Uxorum furta. à n. 1014. Bona. à n. 1017.



pr

QVI

Th 2

2403